





BRABANT





VERIDICVS CHRISTIANVS:

Auctore P. IOANNE DAVID,
Sacerdote Societatis IESV.



Securis ad radicem posita est. Mat. 3.

Dixi iniquis: Nolite inique agere. Ps. 74.

EDITIO ALTERA, AVCTIOR.

ANTVERPIÆ
Ex officina Plantiniana,
cIↃ. IↃCVI.


EX BIBLIOT. CARM. EXC. ME.

REVERMO IN CHRISTO DOMINO,

D. PETRO SIMONS,

EPISCOPO IPRENSI VIGILANTISSIMO,

Domino ſuo cum primis obſeruando,

IOANNES DAVID, *Soc. Jeſu Presbyter*

L. M. D D.

CONSCIA eſt Rma V.D. me aliquot abhinc annis Bruxellæ Diſticha centum, noſtro ſcripta idiomate, in gratiam Catechiſticæ Iuuentutis edidiſſe, quæ Fidei vitæque Chriſtianæ ſummam cõtinerent. Ea ipſa deinde ſcholiis quibuſdam, atque adeò centum in æs inciſis iconibus illuſtrare viſum eſt; vt, qui lecta intelligerent, eadem quaſi ſubiecta oculis viderẽt: & rudiores, quæ aliàs nõ poſſent, ipſo ſaltem intuitu legerent. At dum, omnibus ad rem comparatis, cum typorum inciſoribus Antuerpiæ de libro quoque ipſo imprimendo tranſigerem; eâ demum lege illi tantum onus ſuo periculo ſuſcipere voluerunt, ſi etiam Latino ſermone vulgaretur, prout in breui ad Lectorem proloquio ſum expoſiturus.

In quas præter opinionem redactus anguſtias, neceſſitatem (vt aiunt) in virtutem mihi vertendã exiſtimaui, potiùs quàm eouſq; productus labor irritus caderet.

deret. Sumſi igitur calamum; &, quòd vrgerer, opus hoc vniuerſum ſumma celeritate, ac trimeſtri penè decurri: quod vel tacente me, vt properatam olim illius tabellam Apelles, ex ipſo ſtylo cognoſcas. Et hic eſt liber ille, cuius in litteris ad me tuis, XII. Februarij proximè elapſi, ſi meminiſti, mentionem faciebas; cuiusque editionem mihi literis illis vehementer commendabas: quia ſcilicet illius argumentum aliorum relatu didiceras; populóque Chriſtiano & Catholico vtilem fore conſideres. Quod futurúmne ſit, & quam quantámve vtilitatem liber hic ſit allaturus, Deus nouit: equidem de illa re ſtatuere nec audeo, nec poſſum.

Sed quia iudicium tuum, vt noſti, ſemper magni feci, ex quo tuam, quam dico, recepi epiſtolam; feriò mihi de editione cogitandum cenſui; quando præſertim, cum tuo iudicio planè congruere didici multorum clarorum ac doctorum virorum ſententias, qui librum viderunt; méque vniuerſi ad eam editionem magnoperè ſunt hortati. Qua quidem in re, magnam mihi atque adeò opportunã occaſionem vltrò oblatam, mirificè gauiſus ſum, animi mei erga R^mam V. D. hoc qualicunque officio declarandi; necnõ ſubito prçmaturoque huic operi, aduerſus ſiniſtros ſi qui eſſent interpretes, patrocinij cõparandi. Quàm meritò hanc affectus mei, & ſingularis inter nos amicitiæ conteſtãdæ anſam arripuerim, nôrit is, qui omnes vitæ noſtræ partes, ſtudia, habitationes, muniáque diſcuſſerit. Siquidem quàm amœna illa fuit, & quaſi neceſſitudinis præſaga maioris, intimo quodam diuinioris affectus ſenſu condîta animorum morúmque concordia,

dia, & ſuauis æqualitas Louanij in Theologorũ Collegio cõtracta! Vbi, tametſi multis me ſpatiis, ætate, ſapiẽtia, morúmq; grauitate antecederes; eò tamen moderationis pro tua modeſtia deſcẽdiſti, vt mihi par videreris: quemadmodũ eminentioris ſtaturæ quiſpiam ſe ad ſocij ſui breuitatem ſolet in cõgreſſu demittere. Inde, cùm per glorioſæ memoriæ Venerabilẽ virum, D. CORNELIVM IANSENIVM, ad recèns erectã Gandauenſis Epiſcopatus ſedem tendentem, Louanio ſacræ Theologiæ candidatus abriperer; neſcio quî euenerit, vt non multo pòſt, ab eodem quoque, ob ſingulare pietatis atque eruditionis teſtimonium, ad Eccleſiæ illius dignitates perhonorificè euocareris. Rurſum itaque iiſdem non modò mœnibus, ſed etiam tecto menſaque ſociati, quantam experti ſimus veræ amicitiæ vim, quæ in Virtute conſiſtit, nòn eſt huius loci & temporis dicere: cuius vel ſola recordatio non modicam etiamnum mihi in Domino adfert voluptatem.

Aliud deinde ſecutum eſt, non animorum, ſed corporum locorumque diuortium: cuius magna ex parte hæreſis in Flãdria inualeſcens occaſionem dedit: cùm ego paulò antè Cortraci in patrio ſolo adminiſtrationi ſcholæ vrbanæ, ac deinde alteri (vt vocant) portioni Curæ paſtoralis ad D. Martini præficerer. Nec hîc quidem te diu deſideraui eiuſdem Curæ paſtoralis in altera portione conſortem: eò te videlicet perilluſtri Comite de Mansfelt ſeniore (poſtquam is Cortracum ex hæreticorum ac rebellium tyrannide, ceu Regij exercitus ſub Illmo atq; inuicto Parmenſi Duce, ſupremo Belgij Gubernatore, Præfectus fortiter ac feliciter eri-

puiſſet)ad populi Cortracenſis inſtructionem Duaco, vbi adhuc in voluntario agebas exilio,euocante.Ita hîc etiam, præter cetera coniunctionũ vincula,iam quaſi ſub vnum iugum colligati,agrum Dominicum, pari paſſu,licet impari merito, colebamus. In quo quidem munere, illud recordor, tacito quodam humanitatis pacto inter nos obſeruatum,vt & R^ma V.D.mihi tanquã in officio antiquiori,& ego viciſſim R^mæ V. D. vt verè ſeniori, præceptori,ac patri,deferremus: indiuiſamque animorum concordiã, nouis ſemper fomentis, contra inimici pacis machinationes, aleremus. Quòd verò vnà quoque, quũ ego aliquot annis Cortraco,tu verò Gandauo exularemus, in Gallias profecti ſimus, Lutetiamque, & alias quaſdam regni illius præclaras vrbes vidimus; ac præſertim auguſtum regiumq; cœnobium D.Dionyſij Galliarum Apoſtoli, mõtemq; ſanctorũ Martyrũ vicinum venerati ſimus: non hîc commemorandum putarem, tanquam non magni admodũ rem momenti, niſi hîc etiam Petrus & Ioannes ſic vnà coniuncti fuiſſent, vt nuſquã penè viderentur(duorum illorum Apoſtolorum inſtar)potuiſſe à ſe mutuo ſeparari; donec tandem ex reſidentia Cortracenſi,à clementiſſima diuini Numinis bonitate, ego quidem ad Societatem IESV, V.autem R^ma D. ad Iprenſis Epiſcopatus apicem euocati diuellimur.

Hæc ſemina,hi progreſſus amicitię noſtræ;quã nec locorũ interualla,nec hæreſis,ac rebellionis ſæuiſſimæ tempeſtates,neq; deniq; diſpar vitæ ratio vlla ex parte hactenus cõuellere imminueréve potuerunt. Nunquã enim,teſte D.Auguſtino,vera fuit amicitia, quæ deſinere

nere potuit: æterna est enim, si vera est. Cùm itaq; nostrā hanc verā fuisse, tot argumētis cognouimus: æternā quoq;, & hîc, & in illa beatorū patria fore confido.

Quare, sit hoc munusculum & necessitudinis nostræ velut publicum monimentū, ac tessera; & nominis etiā vestri clypeo, vt initio dixi, tegatur aduersus ea omnia, quæ nouis cuiusq. modi libris ab iniquis ferè rerū æstimatoribus obiici solēt. Perspectissima namq; est Rmæ V. D. cùm in omni humanioris litteraturæ genere eruditio, tum in altiorū sacrorumq́; studiorū palæstra dignitas ac præstantia: quā vitæ sanctioris sinceritate; & pastorali, cùm in ouibus pascendis, tum in arcendis lupis vigilantiâ, egregiè videmus cumulasse. Quæ me sanè ratio & causa commouit, non solùm vt librum hunc Rmæ V. D. dedicarem; verùm etiam vt prædictam epistolam tuam, qua me ad libri editionem hortatus es, in ipso operis vestibulo, huic Dedicatoriç subiunctam excudi curarim: vtpote multis refertā eruditis egregiisq́; sententiis & doctrinis. Eo videlicet cōsilio, vt ita quoq; liber paulò prodiret ornatior cultiorq́;, atq; adeò commēdabilior Lectori: omnino confidēs, id tibi nequaquam ingratum fore; cùm bona & sincera intentione, ad maiorem Dei gloriam, quam pariter hîc ambo spectamus, à me factum sit.

Ego interim, quantum in me erit, pro Rmæ V. D. incolumitate, & prospero sanctæ functionis successu orare non desinam: vt factus forma gregis ex animo, cùm apparuerit Princeps pastorum CHRISTVS, immarcescibilem percipias gloriæ coronam. Gandaui, xxx. Octobris, M. DC.

EXEM-

EXEMPLAR EPISTOLÆ
R^{MI} D. D. PETRI SIMONS, EPISCOPI IPRENSIS;

Cuius meminit superior Dedicatoria.



AVDIO, te, R^{de} Pater, librum quendam iamdudum habere præ manibus, plenum bonæ doctrinæ & salutaris sapientiæ, inscriptum VERIDICVS CHRISTIANVS. Hunc etsi nec integrum, nec partem eius aliquam viderim; tàmen cùm argumentum quod tractat, quídve contineat, quid doceat, ab aliis bona fide acceperim, temperare mihi non potui, quin te ad celerem ac maturatam editionem, pro veteri nostra necessitudine, paucis exstimulem.

Ephes.5. Dies nunc mali sunt admodum, vt vas illud electionis ait: & in nostrum hoc seculum longè magis quadrat, quod de suo *1.Ioan.5.* olim dicebat Ioannes Apostolus: *Mundus totus in maligno positus est.* vt vehementer huiusmodi doctrinis, medicamentis, antidotis opus habeamus, qualia VERIDICVS tuus suppeditat. Quibus nimirum homines, & aduersus vafras, noxias, pestiferasque hæreticorum imposturas muniantur; & ad mundi immundi, caduci, fallacisque odium, & contemtum prouocentur. Quod aliis verbis, ac breuioribus dici potest; Rectè credere, quod præcipit verbum Dei; & benè sanctèque viuere. Quidquid huc facit, & aliquam præcipuè singularis gratiæ laudem habet, qua legentis animum capiat: vt solent (absit verbo fictio omnis & adulatio) quæ abs te proficiscuntur; maturè in lucem edenda, & quaquauersum spargenda sunt; vt citò prosint plurimis.

Procliues sunt homines ad omnia scelera, ruuntq; præcipites, sine mente, vel timore vllo, quò cæci eos affectus rapiunt. Exundât vndique, velut agmine facto, mira & damnabili fœcunditate, malorũ vitia, instar noxiarum herbarum. Nun-

quam

quam hîc passim ita regnarunt hæreses omnis generis: malum per se longè maximum, cunctorum fons aliorum malorum. Nunquam sic grassatæ sunt in exitium miserorum mortalium artes magicæ, artes verè infernales, incantamenta, veneficia, & his similia. Nunquam hominibus in ore fuit tantum nefandorum iuramentorum, periuriorum, blasphemiarum in Deum, in Sanctos eius, in sacra omnia. Nunquam itidem sic palàm, & sine fronte, vel pudore vllo, peccatum in Prçcepta secundæ tabulæ Legis Diuinæ. Vt iure meritoque in nos dici queat illud Isaiæ: *Trangressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum.* Nam quo vnquam tempore auditum, de tot cædibus, homicidiis, latrociniis, proditionibus: de tot tamque fœdis adulteriis, stupris, obscœnitatibus? de tot furtis, rapinis, incendiis, sacrilegiis? de tot falsis testimoniis, enormibus mendaciis, nefariis calumniis? vt de bellorum stragibus, damnisque incredilibus, quę hinc enascuntur, nihil commemoremus. Scelera nostra nunquam desinentia pariunt nobis bella continua: bella rursus, infelici ac perpetua vicissitudine, maria nobis scelerum & flagitiorum generant. Quid ergo de nobis, ac de rebus nostris tam deploratis sperandum, nisi quisquis aliquid Dei gratiâ quoquo modo præstare potest, ad opem ferendam festinus accurrat, tanquam ad ingens & commune incendium restinguendum? aut velut ad nauem quassatam, laceram, rimis & fissuris plenam, vndique aquas trahentem, & submersioni proximam, fulciendam & conseruandam? *Isaia 24.*

Eia igitur, Pater Dauid, (vt te familiariter & solito more appellem) porrige languentibus & moribundis medicinam conuenientem & paratam. Prodeat in medium VERIDICVS tuus, qui depulsa è mentibus & moribus hominum tam tetra, tamque multiplici falsitate, claram omnes, puram, & salutiferam Fidei & Vitæ veritatem doceat. Hîc, hîc demum reperiemus, spero, quod Poëta Lyricus mihi semper visus fuit aliquanto maiore quàm par est arrogantia, parumque verè dixisse, de doctrina Epistolarum suarum:

† † *Feruet*

Feruet auaritiã, miseraq́; cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator;
Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit:
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Hæc, inquam, & his maiora, ex VERIDICI tui lectura & cultura potiori iure expectamus. Quæ cùm ita habeant: ne, quæso, diutiùs pecces in exhortationes illas graues & præclaras arcanarum literarum, quæ sic habent: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, vel sub modio; sed super candelabrum: vt, qui ingrediuntur, lumen videant*. Et, *Sapientia absconsa, ac thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Illam potiùs imitare naturalem omniq́ue dignam laude bonitatem Diuinæ æternæque Sapientiæ: *Quod sine fictione* (inquit) *didici; sine inuidia communico: & honestatem illius non abscondo.* Sic te clementissimus Deus, studiaque, piosq́ue conatus tuos, magis hîc semper magisq́ue benedicat: ac demum cælestis æternæque benedictionis (dubito, an citò an serò velim dicere) consortem faciat. Ipris, die xij. Februarij, M. DC.

Lucæ 11. *Eccli. 10.* *Sap. 7.*

Tuus

Petrus Simons,

Episcopus Iprensis.



IN

IN VERIDICVM CHRISTIANVM

Hendecasyllabon.

VITAM quæ faciant beatiorem,
Causa est peruetus, omnium sophorum
Docto puluere ventilata quondam:
Sed, nulli satis expedire nobis
Hanc vnam potuêre veritatem.
At tu, si cupis, ô amice Lector,
Quantumuis puer, insolénsque rerum,
His cornicibus eruisse ocellos;
Fatalémque tuæ salutis vrnam
Stipari melioribus tabellis:
Non prurigine curiositatis
Caterua est tibi consulenda vatum,
Non oneirocrita, augur, aut haruspex,
Non pullarius, atque cheiromanta,
Magíve, astrologíve, dæmonésve:
Hunc, hunc VERIDICVM *roga reuoluens:*
Et dicet tibi veriora veris.
Dicet; non titulis, honore, formâ,
Auro, deliciis, auis, amicis;
Sed septem Fidei sacræ columnis,
Sed virtutibus innocentis æui,
Puro pectore, moribus pudicis,
Mente haud immemori Nouissimorum;
His, inquam, paribusque contineri,
Vitam quæ faciant beatiorem.

I. D. C.

ADMONITIVNCVLA AVCTORIS.

DVM opuſculo hoc Teutonicè confecto, cum typorum æneorum inciſoribus, etiam de totius libri impreſſione agerem: ea lege ipſi totum in ſe recepêre negotium, vt eandem lucubrationem Latinitate donarem. Itaque præter expectationem, dum illi formas æreas magnis impenſis parant, & ſemeſtri ſpatio abſoluturi ſperantur; ego, ne in mora eſſem, currente calamo, Latinam interea verſionem expediui. In vertendo autem eâ vſus ſum libertate, quam mihi meo iure in proprio opere deberi exiſtimabam: vt, quocunque luberet modo, à Teutonico deflecterem, adderem, demerem, mutarem: vtrumque quaſi primarium opus exhiberem; nec alterum propriè alterius verſio cenſeretur. Latinitatis verò, in tanta acceleratione, qua ne reſcribere quidem licuit, eam duntaxat habui rationem; vt, ſi nulla eſſet (quam quidam nimis affectatè requirunt, præſertim in iſtiuſmodi argumento) tenerior elegantia; nulla quoque eſſet, quod equidem ſciam, horridior inamœnitas: ſed ſeruato ſtyli vſitati candore, rei præcipuè ipſius commendaretur vtilitas. Quare, bone Lector, boni conſulas noſtrum conatum velim; in quo non literam ſpectes, ſed ſpiritum; & bonam in re bona voluntatem. Vale.

PRÆFA-

QVANDO communem hodie hominum vitam, agendiq; rationes attentiùs perpendimus, quosdam ita in aliorũ videmus vtilitatem ac salutem incumbere, alios è diuerso, tanto studio aliis moliri perniciem & malum; vt ad hoc esse nati videantur. In hisce tam diuersis hominum studiis, hoc luce meridiana clariùs expressum cernimus, quod inquit Sapiens: Vnus Eccli. 34.
ædificans, & vnus destruens: quodq; in rei olim veritate, & nobis in figura, tempore Nehemiæ accidit; Iudæis muros Hierusalem ædifi- 2. Esdr. 4.
cantibus; & circumiacentibus æmulis eosdem satagentibus demoliri.

Ad eorum laudem & commendationẽ, qui se proximorum auxilio impendunt, illud facit, quod ex Platone commemorat Orator: Non Cic. 1. Off.
solùm nobis nati sumus. Cui & illa diui Pauli sententia conuenit: Nemo nostrûm sibi viuit. Nam Dei in primis obsequio; tum pro- Rom. 14. 2. Cor. 5.
priæ atq; proximorũ deinde vtilitati ac saluti studendum est. Quemadmodum idem ille Apostolus se nobis in exemplum statuit, dum ait: Omnibus omnia factus sum; vt omnes facerem saluos: quod & 1. Cor. 9.
alij, illo ipso dicto, factiq; imitatione ducti, post eum expresserunt. In illos verò, qui aliorum seductioni & exitio operam nauant, vera ac seuera illa vibrabitur Salomonis sententia: Homines pestilentes Prou. 29.
dissipant ciuitatem. Prauis siquidem suis suggestionibus, molitionibus clandestinis, & exemplis omnia pessundant: & sunt non rarò causa ruinæ, ac Reipublicæ Regnorúmque vastationis. De his meritò Tullius: Nulla detestabilior est immanitas, quàm eorum, qui lacerant Cic. 1. Off.
scelere patriam, & in ea funditus delenda occupantur.

Istiusmodi homines æquè hostes humani generis fas est dicere, at- Baptista
que olim Timonem illum Atheniensem; qui ita omnium hominum Fulgos. l. 9. cap. 11.
affectabat interitum, vt summo mortales omnes, & se quoque odio fatali prosequeretur. At verò, cùm Alcibiadem aliquando, adhuc puerum, obuium haberet, plenis eum vlnis amplexus & exosculatus est. Rogatus ecquid præter morem puero illi tanta demonstraret argumenta beneuolentiæ & fauoris, fertur respondisse; amare se illum puerum, quòd præuideret, ipsum quandoque Atheniensibus magnorum malorum causam fore: qua spe mirificè pascebatur; acerrimus alioquin hominum osor & hostis: quod eiusdem appellatio, ducta παρὰ τοῦ μισανθρωπεῖν, indicabat.

Dignum, vt aiunt, patellâ operculum, dum alter alteri adeò op- Sabell. li. 1.
portunè factus est obuiam. Nam Alcibiades iste tam suspectæ fuit cap. 3.

ab ado-

ab adoleſcentia indolis; vt dum aliquando, etiamnum puer, ad Periclem auunculum ductus, ſubtriſtem illum conſpicaretur; Ecquid eſt, inquit, auuncule, quòd doleas? Illo reſpondente, angi ſe animo, quòd curati à ſe Propylæi rationem, minùs aptè profuſæ pecuniæ, expoſcenti populo reddere non poſſet: quinimmò, inquit, cogitandum tibi potiùs, quo pacto non reddas. Arripuit ſtatim vir prudentiſſimus puerile conſilium: patriámque adeò graui finitimorum populorum bello implicuit, vt ſollicita de ſalute imperij ciuitas, aliò mentem conuerterit. Sícque Alcibiades ſe geſſit denique, vt patriam ſuam, cui ad faciliorem ruinam puer viam ſtrauerat, vir factus euerterit.

Fulgoſ. ibidem. *Timon autem ille tam immanis & inhumanus extitit, vt, cùm hortuli ſui ingentem ficum, de qua ſe multi Athenienſes ſuſpenderant, nunc extendendæ domus gratiâ eſſet inciſurus; priùs in Senatum venerit, palámque edixerit: Si quis vitæ tædio affectus ſuſpendium cogitaret, feſtinaret ad laqueum, priuſquam arborem exſcinderet. Heu ferinam hominum indolem! At eorum magis execranda rabies, ſtudiumq; pernicioſius, qui vel peſtilenti doctrina, vt hæretici; vel prauis conſiliis, & exemplis, vt politici, malíque Chriſtiani, alios in irreparabilem animarum iacturam ignesq; ſempiternos pertrahunt.*

Quapropter, ſicut pernicioſum Reipublicæ eorum eſt ſtudium, qui in aliorum deſudant interitum, ita vtilis & probanda cumprimis eorum eſt induſtria, qui omnes ingenij ſui neruos ad hoc intendunt, vt quæ virtutis ac ſalutis ſunt, maius ac maius ſemper in proximo incrementum accipiant. Quod fit, dum alij prædicationi verbi diuini inſiſtunt, alij piis admonitionibus quos poſſunt ad meliora exhortantur, alij Eccleſias, Monaſteria, Collegia, Scholas, & pias eiuſmodi Inſtitutiones, quæ ad Dei gloriam & animarum ſalutem ampliandam pertinent, promouere contendunt: denique alij, iuxta ſtatus vel officij ſui rationem, bonorum tranquillitati conſulunt, hominúmque improborum coërcent veſaniam. Quos inter, minimè in poſtremis habendi ſunt, tametſi poſtremo eos loco recenſeam, qui vitæ probitate & innocentia, ceu facula in caliginoſo hoc mundo prælucente, per virtutum tramitem, quoſcunque imitari volentes ad æternæ vitæ patriam perducunt.

Viſum itaque mihi fuit, ad maiorem Dei gloriam, animarúmque auxilium, in tanto (prô dolor!) pereuntium numero, manum tam pio operi, vnà cum tot ſtrenuis operariis, quibus præcipuum hoc opus

&

& onus incumbit, adhibere: vt exiguus hic meus conatus, quem pro mea facultate in commune conferre possum, tantillum saltem subsidij tantæ moli adijcere queat, quo vel deerrantium quispiam ad rectam orbitam reuocetur; lapsusve erigatur; aut in lubrico nutabundus firmiùs gradum figat: vel saltem, qui stat, perq́ veram fidem viam mandatorum Dei rectus inambulat, in bono confirmetur; animeturq́ ad reliquum cœpti itineris alacriùs prosequendum, & ad finem vsque perseuerandum.

In hanc rem, aliquot abhinc annos, certa quædam Interrogata, seu Quæsita, cum Responsis, per disticha centum, Teutonico Rhythmo, Fidei vitæq́ Christianæ Summam complectentia, in gratiam Catechisticæ Iuuentutis concinnaram: cuius institutio, inter Ecclesiasticas functiones non infima, mihi semper valdè cordi fuit. Atqui cùm pro earundem Quæstionum elucidatione breuem commentariolum describerem, quo saltem constaret quid rei continerent, & vnde ipsa Interrogatio subiectaq́ Responsio desumtæ essent, maioris spe lucri Christo totius messis domino corradendi; accidit, vt opere sub manu succrescente, illud opinione prolixius euaserit.

Quæcunque ad Catechismum vel doctrinam Christianam pertinebant, ea ferè paucis complexus sum: memoriæ potiùs iam olim perceptorum refricandæ gratiâ, quàm nouo eadem pertractandi studio, quæ à tam multis hactenus copiosè felicitérque essent explicata: ad quos, qui maiori instructione Catechistica indigent, censui remittendos. Si quando tamen horum quædam latiùs quàm cetera eiusdem generis extenderim; factum id est, quòd illa tali fortè modo non essent antea declarata. Quam ob rem etiam accidit, vt Capita quædam longiùs exspatientur, quædam verò contractiora sint: non quòd in breuioribus esset penuria materiæ; sed quòd illa minùs viderentur necessaria; vel aliunde, vt dixi, eorum notitia haberi facilè posset: illis interim iussis excurrere, quæ hac nostra adeò deploranda tempestate vtiliora, magisq́ necessaria esse sperabantur.

Vt vt est, quò scribentem ardor impulit, & spiritus fuit in rotis; eodem plenis velis & ēquis secutus sum, quousque mea mihi conscientia testabatur, me zelo diuini amoris, & salutis animarum moueri; & ad malorum conatus, quà possem, reprimendos, & omnium bonorum studia indefessè promouenda. Huic nimirum meæ quoq; intentioni imputandum erit, si quid minùs solidè, minusq́ ornatè vel ordinatè scriptione deduxi, quàm vel res ipsa, vel accuratus fortè Lector exigeret. Eum nihilominus interea oratum velim,

lim, vt grato animo quidquid id est accipiat; sicut & Deo omnipotenti acceptum fore confido. Cui cum Propheta Regio. præparatis iam 1. Paral. 29.
ad templi ædificationem rebus necessariis, dico: Scio, Deus meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas: vnde & ego, in simplicitate cordis mei, lætus obtuli vniuersa hæc.

Quod ad ordinem in hoc libro seruatum attinet, hoc præcipuè spectatum est, vt à principio Sapientiæ, velut primo beatitudinis acquirendæ gradu, per credendorum agendorumq́ notitiam & praxim, ad mortis ceterorumq́ Nouissimorum felicem exitum, Lector Christianus, vt lachrymabilis huius exilij viator, tranquillè perduceretur.

Quòd autem libro ipsi Veridici Christiani *nomen indiderim, ratio est: quia hoc nostro sæculo, ita in hoc feruntur homines, vt consilium auxiliumq́ ab eo requirant, qui & Christi & Christianorum iuratus est hostis: hoc est, à dæmone, & infelicibus ipsius membris ac seruis, Magis, Veridicis, quos diuinos nuncupant, & id genus diabolicis hominibus. Quod virus quò inter Christianos grassatur latiùs, eò euidentiori est indicio, magnæ ab æterna veritate, & à vero Saluatore Christo discessionis: deficiente primùm Fidei fundamento, tum superexstructo vitæ ædificio labascente.*

Ea autem pestis ita hodie mundum infecit, adeoq́ cum ceterorum vitiorum sentina imbuit, vt totus in maligno positus, demersioni proximus esse videatur; ac, nisi citò manus vndecunque auxiliatrices porrigantur, suimet mali mole in profundum ruiturus. Quapropter, cùm tanta nunc mortales teneat sciscitandi consulendiq́ cupiditas, & in omni propemodum aduersitate ac necessitate, ad mendaces veridicos spiritumq́ erroris recurratur; operæpretium me facturum existimaui, si veracem Christianumq́ ac diuinum Veridicvm *exhiberem; qui tutò & citra scrupulum adeatur rogeturq́ quidquid res vel vsus postularit. Indubitata siquidem me spes tenet, fore vt vel in particulari, vel vniuersè, ad ea quæ animo candido quisque percontabitur, fideliter tutoq́ respondeat: tam ad ea quæ ad benè feliciterq́ viuendum pertinent, quàm quæ ad salubriter moriendum. Quorum præsidio per vitæ præsentis ærumnas & incommoda, æternam calamitatem euadere, & ad iucundissimam illam perennemq́ cælestis gloriæ coronam liceat peruenire: quò vt ego quoque pertingam, beneuoli Lectoris precibus submissè adiuuari deposco.*

Veridi-

o omnipo-
tatis iam
Deus meus,
& ego, in

[illegible]

ERIDI-



Quod sibi principium posuit Sapientia vera?
Numinis, infixum summisso in corde, Timorem.

Welck is d'oprecht beghin: om tot Wysheyt te comen?
De Vreese Godts; met sin: Sonder dies te becomen.

Diuine Sageße, Donne moy addreße, Pour aller a vous?
Commenc' a refraindre, Ton coeur, et a craindre, De Dieu le courroux.

VERIDICVS CHRISTIANVS:

Auctore P. IOANNE DAVID, Societatis IESV Sacerdote.

CAP. I.

Quod ſibi Principium poſuit Sapientia vera?
Numinis infixum ſummiſſo in corde Timorem.



VOTIDIANVS humanæ vitæ nos vſus docet, veriſſimè id initio Metaphyſicorum dictum eſſe à Philoſopho: Omnes homines naturâ ſcire deſiderant. Id enim non ſolùm in communi illa rerum in dies occurrentium inueſtigatione, quæ vel viſu, vel auditu, vel alio quopiam ſenſu exteriore perfici ſolet; verùm etiam, quæ in ſeria cuiuſcumque diſciplinæ acquiſitione conſiſtit: per quam doctus quiſpiam, ſapiénſve dici conſueuit. At ſumma ac principalis Sapientia, in Dei, ſuíque cognitione ponenda eſt: pro qua ita oraſſe legimus D. Auguſtinum: Deus ſemper idem, nouerim me, nouerim te. De Dei cognitione ſic ipſe Chriſtus, Dei Filius: *Hæc eſt vita æterna; vt cognoſcant te ſolum Deum verum; &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Hæc eſt ratio & ſcientia, ſeu certum medium, quo ad vitam perueniatur æternam; veram Dei rerumq́ue diuinarum habere notitiam; per Ieſum Chriſtum, Filium eius vnicum: eíque luci, vt vitæ duci inhęrere. Quod ad ſui ipſius cognitionem attinet (quæ ita cum priori illa

Ariſtot 1. Metaph.

Vera Sapientia.

Auguſt. Solil. li. 2. cap. 1. tom. 1.

Ioan. 17.

Dei notitia coniuncta est, vt vix separari possit) notatu dignum est, quod olim Ethnici apud Delphos templo Apollinis aureis litteris inscribebant, γνῶθι σεαυτόν: Nosce teipsum. Quo innuebant (liceat Christiano ex Gentilium cœno gemmas Christi colligere, reique meliori inserere) excellentissimę id esse scientiæ, vt quæ in Deum primariè quadret: quamque nemo mortalium, nisi speciali diuinæ sapientiæ illustratione & munere donatus, accipere possit.

Diogen. Laert lib. 1. Basil. Homil. ad adolescẽtes, quomodo ex Gentiliũ doctrinis proficiant.

Ad hanc quoque maximam prętantissimamque Sapientiam referri debet boni malique discretio. De qua tam sublimiter ipse omnium Dominus sentit, & loquitur; vt homines hac facultate pollentes os suum appellare minimè dubitet. Ita enim is per Prophetam: *Si separaueris pretiosum à vili: quasi os meum eris.* Os enim naturâ suâ, & gustandi tangendique facultate in esculentis nociua repudiat; & in expromenda sensati cordis sententia, occultiore quodam sensu à prauis recta secernit. Proinde eodem spectat, æternum à temporaneo; quod ad animam pertinet, ab eo quod corpus concernit, aliaque similia toto cælo distantia ritè diiudicare; & quod in iis dignius est, viliori anteferre: paucis; reprobare malum, & eligere bonum.

Ierem. 15.

Isaiæ 7.

Quia verò parui refert, scire bonum, & non facere: nosse distinguere, nec tamen eligere quod præstantius est; nemo rectè sapiens vocetur, qui in his saporem non inuenit, neque bonis delectatur: quod vel ipso eius nomine solo constare potest. Sapiens siquidem quis dicitur à sapiendo; vt & Sapientia. Sin autem non sapit; quomodo sapientiâ præditus, vel sapiens esse dicetur? Hinc Ecclesiasticus: *Sapientia doctrinæ, secundùm nomen est eius: & non est multis manifesta.* Ratio est: quia; Scire volunt omnes; sed scitè viuere pauci: sapientes dici, sed non sapere, neque verè sapientes esse: bonum scire; sed neque id affectu complecti, neque effectu exprimere.

Eccli. 6.

Interrogatio itaque erat, quódnam esset principium, & quasi primus ingressus ad veram hanc Sapientiam. Respondetur, quòd Timor Numinis. Id sacra scriptura quamplurimis asserit locis: & quidem tribus quatuórve, ijsdem planè cum Psalmista verbis; qui sic habet: *Initium Sapientiæ Timor Domini.*

Timor Domini initiũ Sapientiæ. *Psal. 110. Prou. 1. & Eccli. 1.*

Primùm timetur Deus, vt Dominus; & tandem vt Pater. Timor namque primus, seruilis; qui solam pœnã pro obiecto habet, per initialem, quo simul & pœna, & Domini offensio timetur; & per filialé, quo sola patris indignatio respicitur, ad reuerentialem perducit: quo timore etiam sancti omnes Dominum timent. Atque ita timor seruilis tandem charitatem inducit, sicut seta, vel acus filum: vt loquitur D. Augustinus; & post eum alij. Vt autem filum non traijcitur, nec intrat, nisi transeat seta, vel acus; ita charitas, vbi subintrauit, sicut dicit D. Ioannes, foras mittit timorem: seruilem illum scilicet. Timor

1. Ioan 4.

mor autem reuerentialis manet cum perfecta etiam charitate; non solùm viæ, sed etiam patriæ. hoc est, in sanctis huius vitę, quæ via est ad alteram; & in sanctis, vitæ æternæ possessoribus. Id indicat Propheta Regius: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* *Psal.18.*

Rectè igitur Timor Domini initium Sapientiæ vocatur: quia, vt ipse testatur Sapiens: *Timor Domini expellit peccatum*: quod est veræ Sapientiæ: & cum initio acquirendæ, & iam quasi primus quidam effectus acquisitæ. Quocirca appositè D. Basilius seruilem timorem Isagogicum, hoc est, introductorium appellabat. Et quis non animaduertat, exempli gratiâ, quàm manifestè eo vsus est ipse etiam Domini nostri præcursor Ioannes; dum eo peccatores percellebat, vt ipsos à ventura ira fugere doceret, & per veram pœnitentiam ad saniorem mentem conuersos ad Christum adduceret, in quorum cordibus per timorem Christo Domino viam pręparasset? Ita hodieque fit, vt quod solo pœnæ metu malum omittebatur, vel fiebat bonum; id deinde ex mera boni dilectione, malique odio perficiatur: iuxta illud Poëtæ: *Eccli.1.* *Basil. Homil. in Psalmum 32.* *Math 3.*

Oderunt peccare boni, virtutis amore: *Horat. lib 1. Epist.1.*
Tu nihil admittes in te, formidine pænæ.

A In totius huius tractatus dilucidiorem explanationem, referri potest, quòd dum olim Dominus populo suo Israëli per Moysem Decalogum daturus erat, primùm curabat, vt in monte Sinai audirentur tonitrua, micarent fulgura, nubesque eum densissima operiret, & clangor buccinæ vehementissimè perstreperet, ac mons omnis fumigaret; adeò vt populus vniuersus, qui erat in castris, ingenti timore corriperetur. Ita enim initio necessarium erat; vt per timorem illum, & Legi pronunciandæ attentiùs aures præberent, eidemque obseruandæ animum magis applicarent. Hinc nimirum Moyses idipsum illis indicauit, dum præ formidine extremum sibi vitæ periculum *Exod.19.* Terror Legis.
B imminere arbitrarentur. *Vt probaret vos* (inquit) *venit Deus: & vt terror illius esset in vobis; & non peccaretis.* huc siquidem spectabat illud quod Dominus anteà Moysi præceperat; *Constitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos; Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur: siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet.* Quo respiciens Apostolus, idem dicit explicatiùs, in hanc sententiam; *Non enim portabant quod dicebatur; Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur: Et ita terribile erat quod* *Exod.20.* *Exod.19.* *Hebr.12.*
C *videbatur.* Eadem est ratio, cur ferulis, & virgis, suis in scholis sit locus: quo scilicet rerum illarum timor pueris principium sapientiæ & probitatis ingeneret. Neque puerorum tantùm ratione, ac teneræ ætatis erudiendæ causâ, terror ille est vtilis, siue in scholis ad scientiā, siue domi ad formandos mores, virgâ ob id plerumque eminentiori loco conspicuâ; verùm etiam in Republicâ populus ipse hoc modo

ſub diſciplinâ, & in officio continetur; Iudice non ſine cauſa gladium
Rom. 13. portante, vt ait Apoſtolus: Itaque, *Si malè feceris, time*. Eodem facit,
quòd non modò in publicis extra Vrbem viis, ſed etiam in medio foro patibula erecta aliquando cõſpiciantur: vt improbi hoc metu velut inſipientes à malis deterriti, effecti tandem prudentiores ſponte ſua & à malo declinent, & etiam amore recti diſcant facere bonum.

Polybius. Prædictis concinnè iungi poteſt, quòd Polybius de natali Platonis ſolo recenſet; quem vt aptiſſimum tradendæ diſciplinæ, ſapientiæque
Academię origo. acquirendæ locum delegerat: cui *Academia* nomen erat, vnde & aliorum ſtudiorum ſcholæ, ſeu Vniuerſitates, Academię deinceps dictæ ſunt. Rationem facti Platonis, & eiuſmodi loci ad ſtudia electi ſubiicit idem auctor, his verbis: Quia ex frequenti terræmotu ſæpè colliditur (hic locus) exiſtimabat vir prudentiſſimus efficaciſſimum hoc fore medium, vt à malis auditores deſciſcentes, meliora capeſſerent; & ita aptiores eſſent ad ſapientiam amplexandam. Timor enim (inquit) ſicut modeſtiæ cognatus eſt, ita familiaris eſt ſapienti: quia ſcilicet mentem componit, & humiliat.

Notandum, ſicut initium ſapientiæ verè Chriſtianæ, eſt timor Domini; ita gradatim, vt dixi, illo ad perfectiora tendente, etiam abſoluta mandatorum Dei obſeruatio, & vitæ ſanctitas, timor Domini di-
Eccli. 12. citur. Ita habet Sapiens: *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo*. Id eſt, illa eſt omnis & conſummata ſapientia, & felicitas, ac demum optimum, quod homo hìc optet; eíve in hac vita poſſit accidere. Hinc optimi quique, & perfectiſſimæ vitę viri, vt Iob, Tobias, Zacharias, Symeon, iiſque hoc æuo ſimiles, timorati, timenteſque Deum appellantur.

Quod in reſponſione habetur [infixum] ſua non caret energia. Nam vt quis per timorem ad ſapientiam veniat, infixum illum cordi ipſius eſſe neceſſe eſt; nec leui vento afflari, difflarique: ſic enim nec attenderet, neque in animum quidem induceret meliora meditari. Attamen, ſi timor ille non ſtatim ad cordis meditullium penetret, oportet ſaltem vt is qui eruditur, morbis & aduerſitatibus ceu flagellis foris afflictus, ictus ſapiat; & inde ad cor redeat. Erit alioqui, vt qui percuſſi non dolent, neque verberibus, nedum minis vllis, percelluntur. In tales ſiquidem non cadit facilè timor Domini, neque principium hoc ſalutare ſapientiæ: verùm inſtar incudis, crebris malleorum ictibus, magis magiſque obdureſcunt.

Quòd autem cor timentis Dominum [ſummiſſi] vocabulo inſignitur; innuitur, hominem Chriſtianum & timentem Deum, quando iam hoc felici initio ad laudabilem vitæ probæ & ſanctæ ſapientiam perductus eſt, gloriari in eo non debere, neque faſtu aliquo, ex virtutum concepto fœtu, turgere: ſed eo humiliùs de ſe ſemper ſentire,

tire, quo altiorem earum gradum conſcenderit: iuxta prudens illud Sapientis conſilium: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Quia quemadmodum eo ſe ampliùs quiſpiam per humile oſtium tranſiturus inclinare debet, quo eſt ſtatura ſublimior, quod puſillis à natura cautum eſt: ita quo quis maior eſt virtutum altitudine, eo humilior eſſe debet ſui æſtimatione; vt per anguſtam cæli portam tranſeat. *Niſi* (enim) *efficiamini ſicut paruuli; non intrabitis in Regnum cælorum.*

Eccli. 3.

Matth. 8.

Accommodatiſſimum huic propoſito narrat exemplum D. Gregorius, de Conſtantio Manſionario: qui cùm pro virtutis excellentia magni nomen mereretur, paruuli minimiq́ue opinionem prælegit. Is ſiquidem terrena deſpiciens, ita toto mentis anniſu ad ſola cęleſtia flagrabat, vt quadam die, cùm ruſticus ad eum viſendum, famâ ſanctitatis eius excitus, acceſſiſſet, ſtantemq́ue in gradu ligneo ac lampadem in templo curantem offenderet, cœperit indignari ſanctumq́ue deſpicere, dicens; Ego grandem hominem credidi, hic autem de homine nihil habet. Erat enim vir Dei ſtaturâ puſillus valdè. Conſtantius hoc audito deſcendens, contemtorem ſuum eſt exoſculatus; eiq́ue gratias agens, dixit; Tu ſolus es, qui habuiſti oculos apertos in me. Quantæ apud ſemetipſum humilitatis illum fuiſſe oportuit, qui deſpicientem ſe ruſticum ampliùs amauit! Qualis enim quiſque apud ſe lateat, contumelia illata probat. Ita ſanctus ille Eccleſię doctor.

D. Greg. lib. 1. Dialogor. cap. 5.


Oratio pro timore Domini, & ſapientia obtinenda.

DOmine Ieſu Chriſte, æterna Patris ſapientia, quandoquidem te necdum diligo vt patrem, neque verè vt Dominum timeo: confige timore tuo carnes meas, & cor meum: vt timore charitatem inducente, per hoc tandem initium, ad veram ſapientiam, mandatorúmque tuorum obſeruationem, & ita ad vitam perueniam ſempiternam. Amen.

CAP. II.

Quis magnos toto orbe Sophos Sapientior anteît?
Qui probus eſt: Habet hęc ſolidã Sapiẽtia laudem.

Quis verè Sapiens.



APERIT hęc interrogatio, quod ſuperiori capite tractabatur: A hominem ſcilicet Chriſtianum optimam debere atque excellentiſſimam quærere ſapientiam: rogatque, quíſnam omnibus ſophis, ſeu ſapientibus ſapientior eſſe exiſtimandus ſit: talibus videlicet, qui ſapientiæ ſuæ apicem in eo conſtituunt, quòd multa & magna ſciant, alta & ſublimia ſpeculentur, de variis rebus miranda loquantur; quales fuerunt olim Philoſophi, Poëtæ, O- B ratores: quales etiamnum quidam Chriſtiani, quibus multa cognoſcere eſt animus, ſed pauxillum opere exequi. Qui omnes circa excel- C ſam ſcientię diſquiſitionem ita detinentur, vt puteum æternæ damnationis, ad quem per malam vitam tendunt, ante pedes patêre non videant, nec verò deuitent. ſic olim Thaleti Mileſio ſenicula exprobrabat, quòd dum fixiùs cęli aſtrorumque curſus motionesque perpenderet, puteũ in quem incidit, ante pedes minimè videret. His non abſimile eſt, quod D. Auguſtinus, iam conuerſionẽ in cubiculo cordis ſui ſecum meditans, Alipiũ inuadens exclamat: Quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? (audierant enim Potitianum duorum Aulicorum, ex lectione vitæ S. Antonij conuerſorum, ſtupendam mutationem narrantem) Surgunt indocti (inquit) & cælum rapiunt: Et nos, cum doctrinis noſtris, ſine corde; ecce vbi volutamur in carne & ſanguine.

Laert. lib. 1. Thales Mileſius.

Auguſtin. Confeſſ. lib. 8. cap. 8.

E quibus rectè conficitur, illum eſſe omnibus ſapientiorem, qui probus eſt, & qui virtutum viam graditur, quæ ad vitam ducit: ſolus namque bonus ſapiens: quia tali arte ſummum adipiſcitur bonum: quod prudentiſſimæ eſt ſapientiæ. Et quandoquidem timor Domini hominem ad virtutem adducit, quæ prauum vitat, & ſectatur bonum; rectè initium talis cœpti vocatur, tanquam ſummi optimíque conſilij, & præcipuæ ſapientiæ. His conſonat Iob Prophetæ ſententia: *Timor Domini, ipſa eſt ſapientia: Et recedere à malo, intelligentia.* Quæ & Gregorius Nazianzenus valdè ſuis verbis illuſtrat, dum ait: Prima ſapientia, eſt vita proba & honeſta. Et apud Deum pura mens: per quam puri puro iunguntur; & ſancti ſancto ſociantur.

Iob 28.

Gregor Nazianz. Orat. in plag. grand.

Hæc Sapientia (cuius primò principium inueſtigauimus, & qua quis omnibus ſapientibus ſapientior eſt iudicandus) omnem ſuperat theſaurum, nulloque mundi pretio æſtimari poteſt; eſtque planè incomparabilis. Hoc teſtatur clariſſimè ipſe Sapiens; immò ipſamet Sapientia, hoc elogio verè Regali: *Præpoſui illam Regnis, & ſedibus: & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretioſum:*

Sap. 7.



Quis magnos toto orbe ſophos Sapientior anteit?
Qui probus eſt. Habet hæc ſolidam Sapientia laudem.

Wie is warachtich Wys; wyser dan alle wyse?
Die leeft naer Godts bewys: Wel weerdt datmen hem pryse.

Qui eſt le plus ſage, Que voye noſtre aage, En aucuns quartiers.
Celuy, qui pourmeine, Par la droite pleine, Des diuins ſentiers.

sum: quoniam omne aurum, in comparatione illius, arena est exigua: & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Rationem subdit: *Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei; propter disciplinæ dona commendati.* Nam eiusmodi sapientia pręditi sic se suaque omnia secundùm Dei legem componunt, vt ipsi placeant, & summi ipsius amici fiant, cui etiam seruire Regnare est: quod & Iob copiosè probat.

Sapientiæ pretium inæstimabile.

Iob 28.

Hinc olim Ethnici non temerè, scientes tam pretiosum munus non sine Numine obtineri; quodque sine Dei præsidio & ope nihil præclari suscipi conficique posset: antiquorum illorum Philosophorum consilio, & hortatu, in templorum suorum ianuis, Sapientiam tanquam Nympham vel Diuam aliquam pulcherrimam appingebant, verbis hisce subiunctis: Vsus me genuit: peperit Memoria: Sophiam me vocant Græci; vos Sapientiam. Ego odi homines stultos.

Polybius.

Alphonsus Arragonum Rex pretium huius Sapientię nequaquam ignorabat, dum quodam tempore à familiaribus rogatus, quî fieri posset, vt tantæ potentię, tantarumque opum Rex ad paupertatem aliquando deueniret? sapienter respondit: Si sapientia, inquit, venditaretur. Tacitè innuens emturum eam se; plurisque facere, quàm omnes diuitias, omniaque mundi regna. Neque immeritò; Spiritu sancto idipsum de Dilectione his verbis attestante: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quasi dicat, tā parui æstimabit omne quod dederit, respectu rei comparatæ, vt nihil se impendisse arbitretur, gratisque tam pretiosam rem coëmerit.

Panorm. in Proœm. li. 3. de reb. gest. Alphonsi.

Cant. 8.

Apprimè his congruit, quod antiqua Francorum Chronica referunt, quomodo videlicet studia Sapientiæ, cultioresque disciplinæ primùm Parisios peruenerint. Temporibus siquidem Caroli Magni duo sapientes viri, Ioannes Mailrosus, & Claudius Clemens, circiter annum 791. cum mercatoribus ad Galliæ littora appulerunt. Qui cùm nullas, vt alij rerum temporalium negociatores, merces exponerent, admirantesque ob id homines illos conspicerent, cœperunt precónum more clamare: Si quis est auidus sapientiæ; veniat ad nos; & accipiat eam: nam apud nos venalis est. Cumque hoc iteratò, crebriusque inclamarent; stultos illos atque deliros esse quidam arbitrati sunt. Verùm, dū id Flacci Albini operâ (is enim cum ipsis Venerabilis Bedæ quondam discipulus fuerat) ad Caroli Magni aures perlatum esset; vocati rogatique sunt illi antehac inauditi mercatores, num verum esset, quod promitterent: illisque annuentibus, asserentibusque quòd inæstimabilem illam Sapientiæ mercem, Deo adiuuante, endituri essent, candidè eam desiderantibus, digneque suscipientibus: percontatus est porrò Rex, quo pretio ea venalis esset, quantíve liceret. Tria se illi deposcere significabant, cùm alioqui pretium eius esset in-

Chronicon Arelatense. Speculum Aquilin.

Studiorum Parisiens. initium.

ſet inæſtimabile. Primùm, conuenientem expromendæ merci locum: deinde, capacia pro vaſis ingenia: tertiò, victum & amictum, ſine quibus non viuitur. Gauiſus ſupra modum Rex, vtrumque apud ſe retinuit: eoq́ue initio cœpit ita Gallia, & in primis Pariſienſis ciuitas, omni bonarum diſciplinarum genere florere, vt cum Athenis ipſis, aliíſve ſapientiæ ſedibus, non vereatur contendere.

In verę autem Sapientiæ commendationem, & encomium (per quam, vt iam dictum eſt, homo benè faciendo, Deo appropinquat, omnesq́ue humanę ſcientię gradus tranſſcendit, diuinè ſapiens) il-

Septem Græciæ Sapientes.

lud quoque non inconuenienter adduco, quod de ſeptem ſuis Sapientibus tantopere iactant Græci: vt & hac ratione ſtudioſam ſed Chriſtianam Iuuentutem doceam, ex prophanis ſacra quædam elicere; quę illis non niſi à Deo, omnium largitore, occulto quodam nobisq́ue profuturo conſilio indita fuerunt. Id quoque D. Paulum feciſſe conſtat; & D. Hieronymum eius occaſione ſic interpretatum.

1. Cor. 15. Actor. 17. Aratus.

Nominatim dum ad Corinthios ſcribens, verſum Menandri cuiuſdam adducit: (*Corrumpunt mores bonos colloquia praua.*) Et dum Areopagi Athenienſibus Poëtę vnius ipſorum verba produxit (*Ipſius enim & genus ſumus*) ſuoq́ue inſtituto prudenter applicuit. Attexamus igitur & illud ſeptem Sapientum elogium noſtræ telæ; ſed pectine Chri-

Val. Max. li. 4. cap. 1. Plutarchus in vita Solonis.

ſtiano diſcretum. Id ſic narrat Max. Valerius. A piſcatoribus in Mileſia Regione verriculum trahentibus quidam iactum emerat: extracta deinde magni ponderis aurea Delphica menſa, orta controuerſia eſt: illis piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus; hoc Fortunæ ductus emiſſe, dicente: qua contentione, propter nouitatem rei, & magnitudinem pecunię, ad vniuerſum eius ciuitatis populum delata; placuit, Apollinem Delphicum conſuli, cuínam adiudicari menſa deberet. Reſpondit, illi eſſe dandam, qui ſapientia ceteris præſtaret. Tunc illi, conſenſu, Thaleti menſam dederunt: ille ceſſit eam Bianti: Bias Pittaco: is protinus alij: deinceps per omnem ſeptem Sapientum orbem, ad vltimum, ad Solonem peruênit: qui & titulum ampliſſimæ prudentiæ, & præmium, ad ipſum Apollinem trãſtulit. Hac-

Cicero epiſt. ad Brutum.

tenus Valerius. Vnde natum adagium: Tanquam ex Tripode. Quaſi dicat: puta oraculum; tamq́ue indubitatum, atque à Deo profectum. noſtra autem Chriſtiana ſapientia, vt quæ diuina ſit, non tantùm Sapientum illorum eminentiam, ſed etiam tripodes, & cortinas, & oracula, toto quod aiunt cælo ita excellit, vt nec vmbra huius illa omnia dici cenſeríve poſſint.

Laude dignum eſſe, non laudẽ quærere, laudabile eſt.

Quod in Reſponſionis poſteriore hemiſtichio habetur [habet hæc ſolidam ſapientia laudem] præter iam dicta huc ſpectantia, notari etiam debet; laudem hanc, tum ab animo, tum ab ore huiuſmodi Sapientis procul eſſe debere: proprio enim laus ſordet in ore. Non vti-

que

que hęc benè consistunt: Sapientem esse, & laudem sectari, nedum seipsum laudare; vt neque seipsum vituperare. Hinc prudens Dionysius Cato, de moribus ad filium, sapienter monuit, vtrumque reprehendens.

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse. Dionys. Cato lib 2. Distich. 17.
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Talium enim quidam virtutes suas, rectéque facta dilaudant; alij verò, satis animaduertentes hoc nimis manifestæ esse stultitiæ, planè in aduersam partem inanis gloriæ ventis vela expandunt; vt captent eò cautiùs auram popularem, quò magis euitare videntur; suumque ob id occinunt vituperium, suisque se verbis deprimunt: ore quidem in contrariũ nitentes, sed corde eôdem velificantes; & tandem in eundem cum prioribus stultitiæ scopulũ impingentes, diuersis licet viis.

Si quis hanc fabulam, disparibus planè vijs sectantium gloriam, lepidè adumbratam intueri desiderat, Platonem atque Diogenem sibi ob oculos statuat; videbitque ambos, illum quidem per nimis accuratam mundiciem, istum verò per sordes, sibi mutuo in vanitatis ambitu occurrentes. Diogenes siquidem calcans Platonis culcitram, pręsentibus aliquot Dionysij amicis, quos inuitarat ad conuiuium, Calco (inquit) fastum Platonis: Calcas, inquit Plato, sed alio fastu. Nam hoc ipsum fastus erat, quòd iactaret mundiciei contemtum. Et qui sordibus gloriantur, non minùs ambitiosi sunt, quàm qui splendidè vestiuntur, sed aliter. Contrariæ ad ambitum viæ.


Qui probus est igitur, is & magnos toto orbe sophos sapientior anteît, & verè laudemque decusque meretur. Idque eò magis, quò minùs se ipse effert, vel laudem appetit: subscribente Salomone: *Laudet te alienus; & non os tuum.* Prou. 27.

Oratio, ad prudenter probeque viuendum.

DEus, à quo omne datum optimum, & donum perfectum est, cùm nihil ex nobis boni habemus; ab inani nos, quæso, & inflante scientia protege, vt quæ neque te neque se ipsa cognoscit: sed illam nobis largire sapientiam, quæ in æterni boni dilectione & inquisitione consistit; vt ad illud per virtutum semitam pertingere valeamus. Amen.

CAP. III.

Stultitiæ palmam ſtultis quis præripit ipſis?
Dæmona qui mauult dominũ, quã ferre Tonãtem.



Cic. Epiſt. lib. 9. ad Papirium Stultorum plura genera.

MVLTA ſunt ſtultorum genera: vt & Cicero, vnus iſtorum, è ſapientiſſimis tamen vnus ſuo more, diſertè teſtatur. Stultorum, inquit, plena ſunt omnia. Nam tametſi illos communiter ſtultos vocamus, qui ſenſibus & cerebro minuti ſunt, egentque elleboro; inque delirij ſignum, aurito cucullo caput inſerunt; tamen longè plures alîus generis ſtulti reperiuntur: quod quotidiano loquendi modo exprimimus, dum quempiam incuſantes dicimus: quàm ſtultus eſt, qui id agat! ſtultus eſt, qui iſtuc eat: ſtultus qui id permittat: atque ita deinceps, vt nemo neſcit. Quam ſtultitiæ rationem, ſi frequenter tam in nobis ipſi, quàm in aliis notaremus; ſæpenumero inſipientiam noſtram detegeremus, etiam dum nobis de prudentia magnopere blandimur. Nam, (veluti D. Gregorius rem acu tangit) Tanto quis ſtultior, quanto plus conatur ſapiens videri. Neque quiſquam alijs ſapiens videri ſtudet, niſi priùs ſibi talis videatur: dumque ita deſipit, ſe ipſe decipit. Poſſetque tam lepidus ſaperda cum Seneca dicere: Si quando fatuo delectari volo; non eſt mihi longè quærendus: me video. Apertè indicans, vnumquemque ſi ſe & ſua diligenter excutiat, abundè inuenturum, in quibus, tamquam imprudens & ſtultus, reprehendi poſſet, ſtultusque dici.

Gregor. 18. Moral. cap. 25. — *Seneca.*

Matth. 25. Omitto hîc imprudentiam virginum illarum fatuarum, quę pauxillum olei in exterioribus tantùm lampadibus ſumentes, quò hominum oculis vtcunque facerent ſatis, lucemque aliquam intuentium luminibus obijcerent, nullam olei bonorum operum, ac meritorum prouiſionem in cordium laguncùlis habebant, quò Diuinę Maieſtatis oculi ſolent introſpicere. Conſultò etiam magnam illam cogitationum, verborum, actionumque noſtrarum inconſtantiam prætereo; cùm tamen iſtiuſmodi omnes, ſtulti nomine, Sapiens depingit: *Stultus vt luna mutatur*. Heu quàm conſtans inconſtantia in rebus noſtris cernitur, in tota vita noſtra, & in nobis ipſis, ſi agnoſceremus! Nolo hîc vehementer vrgere puerilitatem noſtram merè infantilem: de qua tamen nos D. Paulus tam ſedulò præmonet: *Nolite pueri effici ſenſibus: ſed malitia paruuli eſtote.*

Eccli. 27. — *1. Cor. 14.*

Omitto, inquam, hęc omnia, ceteraque eiuſmodi: ſed ingens illa, damnabilis, atque execranda dementia, quę hodie vbique ferè locorum, omni ex parte exundat, nunquam ſatis deplorari poteſt: quam

neſcio



Stultitiæ palmam ſtultis quis præripit ipſis?
Dæmona qui mauult Dominum, quàm ferre Tonantem.

Wie is warachtich dwaes; dwaſer dan eenich ſot?
Soo wie liever (eilaes) den duyvel dient, dan Godt.

Quelle est la folie, La plus auilie, Des fols de tout rang?
Celle qui meſpriſe, De Dieu la maiſtriſe, Pour ſeruir ſathan.

nescio quibus loquendi modis sufficienter describam. Nonne stultus est ille, qui carissima sibi oculorum lumina eruit? qui se prudens volensque in casses diaboli induit? qui tunicam pluris quàm corpus suum facit? qui corpus æstimat pluris quàm animam; terramque pluris quàm cęlum? cœnum auro præfert, & excrementa gemmis? qui æterna temporaneis postponit; & is sibi sapiens videtur? Nunquid conuictæ manifestæque est stultitię, maiorem asini sui curam habere, quàm suimet? Illum bellè comere, splendideque induere; se verò nudum relinquere? Illum opiparæ mensæ admouere; & interim inedia macerari, & fame confici? Illum molli lecto deponere, seque eius loco, laboribus, oneribusque vectandis fatiscere? Quis talem non vt dementem rideat; vtque omni scommate dignissimum exsibilet; seu potiùs non vt mente captum deploret? Spiritus noster in nobis Domini vicem gerit, aselli autem ipsum corpus. Et quid horum omnium erga illos duos, non ita vt dixi, inuersò prorsus agimus ordine? & quis recogitat, seque vt stultum detestatur? Pessimum stultitiæ genus, Peccare.

Deinde, quæ maior insania, quàm sibimet ex stramine, & sarmentis, pice & resina illitam pyram vel ędiculam struere, in qua viuus perennibus flammis concremetur; quod peccator facit? Quis furor perniciosior, quàm cęli sibi præcludere ianuam; & inferni voraginem non tantùm horrendè sibi dilatare, verùm etiam nouam, quantum in se est, gehennam condere, & noua tormenta cudere, quibus meritas in perpetuum dementiæ suæ pœnas luat, igneque infernali densam tantæ fatuitatis rubiginem excoquat? secundùm illud Prophetæ: *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo, quòd fecerint stultitiam in Israel.* Ierem. 29.

De huiusmodi stultis talem fert Sapiens sententiam: *Stultorum infinitus est numerus.* Significans verò de quo stultorum genere loquatur, hoc præmittit: *Peruersi difficilè corriguntur.* Illos namque eosdem stultos vocat, quos peruersos, & præ peccatorum duritie, emendatu difficiles contestatur. Ecclef. 1.

Clara igitur iam satis euadet ad interrogationem responsio. Stultis omnibus illum stultitiæ palmam præripere,

Dæmona qui mauult dominum, quàm ferre Tonantem.

A Id faciunt stulti illi, de quibus meminimus; nempe peccatores. Tantundem enim est, atque si Deo Saluatore repudiato, dæmonem humani generis hostem colerent. Nam qui volens peccatum mortale perpetrat, cum perfidis Iudęis, electo ad vitam Barabba, Christum morti destinat, atque à se repellit. Salutem namque suam reijcit; & mortem, damnationémque animæ suæ, sciens lubénsque amplectitur. *Dicunt Deo* (vt est in Iob) *Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob 22.

Salomonis infatuatio. 3.Reg.11. cap.

Stultitiæ huius exemplum in Rege Salomone velut in ſpeculo, licet B contueri: qui ex tantæ dignitatis gradu apud Deum, in tantam, per mulierum infatuationem, vilitatem, cæcitatémque delapſus eſt; vt ſe dęmoniorum cultui dediderit, ijsque publicè litarit; templis etiam & aris idolorum cœtui erectis. Hunc in modum inſaniunt, quotquot impiè viuunt, & ad nequiſſimam illam ſtultitiam peccando deueniunt. Talis ſtultus fuit & Nabal; talis & ille Euangelicus, minimè Euangelicus: & quicunque ſub iſtorum ſignis militant: bibones, epulones, iracundi, faſtuoſi, inſatiatę libidinis & auaritię, & id genus homines vitæ nequioris.

1.Reg.25. Lucæ 12.

Quæ namque maior inſania, quàm Deo optimo domino ſpreto; C cui omne ſeruitium, & nos ipſos noſtráque omnia infinitis debemus modis; quíque poſt innumera in nos collata beneficia, & poſtquam ſe nobis in ſocium, in cibum, & in pretium dedit, etiam tandem in prę̨mium daturus eſt; hoc inquam, ſuauíque eius iugo ceruicibus excuſſo, teterrimum ſalutis noſtræ inimicum dæmonem, tyrannum ſęuiſſimum, in dominum ſponte deligere? Illum, inquam, cui nihilominus nunquam facturi ſumus ſatis, neque ad votum plenè valemus obſequi: cui totis viribus reſiſtendum erat: quíque nihil vnquam nobis boni præſtare poterit, ſed hîc odio ſummo perſequitur, ſempiternis cultores ſuos poſteà tormentis fœneraturus: maiórne toto in orbe ſtultitia & inſania?

Sabell.lib.4. cap.9. Corinthiorum dementia.

Corinthij olim non ſtulti ſolùm, vt refert Sabellicus, ſed dementes etiam habiti, qui non ſuam, non Romani populi virtutem metientes, ſed prę̨ſentem animi affectum, Romanorum legatos, ſtercoris iniectu, pro concione violarunt. Peperit itaque iniuria illa Corinthiis excidium. Sed quid illa temeritas, ad eam, qua homo viliſſimus, neque ſua vilitate, neque diuina maieſtate cõſiderata, ſed affectui ſoli indulgens, Dei vultũ in anima ſua, peccati fęcibus obruit; & tam ſtulto ludo ſe inexſtinguibilibus gehennę ardoribus obnoxium reddit?

Sabell. ibid. Claudij ſtultitia.

Claudio Principi velut ingenita fuit ſtultitia, ſed nihil vnquam ſtolidius fecit, nec tota vita quidpiam minùs conſideratè, quàm quòd Domitium Neronem adoptauit, cùm Britannicum legitimo toro natum haberet, quem Imperij hęredem potuit inſtituere: verùm pellectus oſculis Agrippinæ coniugis, facem illam adoptione accendit, qua non ſolùm propria ipſius domus, ſed Roma & totus orbis conflagrauit, vt idem Auctor narrat. At peccator ipſe ſemet, ex filio Dei, Diaboli filium facit: & quantum in ipſo eſt, cælum & terram, & quidquid illis continetur, æternis inferni incendijs tradit: quod longè deteſtabilioris eſt inſaniæ.

Ibidem. Athenienſium veſania.

Athenienſes aiebant ſe purgare ciuitatem cùm ex illuſtribus viris vnum aliquem oſtraciſmo ex vrbe eijciebant: ceterùm rogati ab Ariſtide,

ſtidę, quo ſuo merito ſe tali afficerent ignominia: reſponſum: Quia ferre non poſſumus, te vbique bonum prædicari. At peccator maiori adhuc laborat veſania: dum non ſolùm neque ipſemet bonus, vel doctus eſſe vult, neque tales tolerat; verùm etiam ſe ipſe, cùm Regni cæleſtis ſit hæres, exulem eiuſdem, & extorrem facit. Nam, vt dicit D. Auguſtinus; Deum derelinquere, idem eſt quod perire. Et Baſilius: Paradiſus patria noſtra eſt. Quid igitur niſi extremę eſt amentiæ, dum peccator viuens videnſque perit, cùm per peccatum à Deo & à ſalute ſua recedit? Quibus conſentit quod Sapiens de ſapiente & ſtulto interrogat: *Quid habet amplius ſapiens à ſtulto; niſi vt pergat illuc, vbi eſt vita?* *Auguſt. Soliloq.* *Baſil. de Virgin.* *Eccli. 6.*

In parùm perſpicaci hominum iudicio, parua interdum diuerſitas, inter eiuſmodi ſtultos peccatores, & inter probos verè ſapientes ſtatuitur; immò nõ raró illi iſtis prę feruntur: ſed in rei æquitate, magna & inexplicabilis eſt differentia, dum id à quo totum dependet attenditur. Nam peccator ſtultâ ſuâ & inconſultâ vitâ eò vadit, vbi non eſt vita; ſed æterna mors, & ſempiternus horror inhabitat. Sapiens verò, quia viam & veritatem tenuit, vitæ quoque æternæ hæredium obtinebit. *Iob 10.*

Vitę ſapientum ſtultorumque diſcrimen, viarum prorſus contrariarum oppoſitu, percommodè declarauit Diogenes: qui die quodam, cùm populus è theatro egrederetur, ipſe aduerſus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus, cur id faceret: Hoc, inquit, in omni vita mea facere ſtudeo. Quin, cùm in Stoa aliquando retrorſum ambularet, eumque riderent; An non pudet, inquit, vos vitæ viam retrogradam ambulantes, qui meam in ambulando reprehenditis? Innuebat, ſtultorum hominum peruerſam vitam retrogradę ambulationi comparandam, vt quę ſemper à vitæ ceu viæ termino quàm longiſſimè recedat. *Via vitaque retrograda.*

Oratio contra peccati ſtultitiam.

Qvandoquidem, Domine Deus, vniuerſa noſtra perditio, & cæcitas per primam illam primorum parentum inſipientiam in mundum venit, dum per peccatum, te derelicto, ſerpenti aures præbuerunt; Nos, quæſumus, à maxima illa peccatorum ſtultitia, toto vitæ noſtræ curriculo dignare tueri; vt tibi, qui vita noſtra & ſalus es, in æternum valeamus adhærere. Amen.

CAP. IV.

Ergóne bruta adeò ſteterunt præcordia cuiquam?
Qui vitijs ſeruit: ſordet cui ſplendida Virtus.

Peccator, diaboli cultor.



INTERROGATIO iſta tacitè indicat, multos quidem eſſe, qui ſpreto Deo, dæmoni ſeruiant; ſed quòd præ rei indignitate, neque ipſi de ſe ita ſentiant, tantíve rem faciant, multoque minùs pro talibus ab aliis haberi velint. Quis enim non inficietur, vllóve modo fateatur, ſe diabolum colere? & quod grauius eſt, diuino Numine ſpreto; tametſi verè ita faciat, & libenter faciat? Proinde reſponſio hæc oſtendit, quínam tam malè ſani exiſtant, ſubditque: Qui vitijs ſeruit. Eadem quidem cum ſuperiori capite dictis res eſt: ſed quomodo, qui peccat, diabolo ſeruiat; hîc diſtinctiùs ob oculos ſtatuetur.

Lucæ 15. Filius prodigus.

Quàm graphicè iſtud in filio prodigo expreſſum videre eſt! Is namque eò inſipiëtiæ venit; vt paterna domo obedientiaq; neglecta; patris A
amore, ſolicitudine, tutela, dignitate, & omni denique felicitate contemtis; iuerit ſe perditũ: vni ciuium tenebroſæ huius regionis, hoc eſt B
diabolo adherendo; & luxurioſæ vitę damnabili exitu, porcos hoc eſt fœdos prauosq; affectus ieiunè & inaniter paſcendo: quē qui imitantur, haud dubiè facto declarant, ſe lubentiùs diabolo ſeruire, duro domino; quàm amantiſſimo patri, Deo. Rei autē veritas ex eo patet: quoniam ſicut Deo ſeruiunt, qui ipſius voluntati morē gerunt; ita diabolo, qui quod vult ille faciunt. *Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* hoc eſt, ſuper omnes in peccatis degentes; quorum principes ſunt, qui cum ipſo præcipuè in ſuperbia, omnium peccatorum regina, conueniunt.

Iob 41.

Equi diaboli. *Chryſoſt. Homil.* 24. *in Matt. & Aug. Hom.* 7. *in Apoc. Proſp. lib.* 2. *de vita contempl. ca.* 15.

Quòd autem tales Diabolo ſubſeruiunt & obſequuntur, clariſſimis verbis oſtendit D. Chryſoſtomus, dum ita loquitur: Peccatores ſunt e- C
qui diaboli. Nam ſicut equus domino ſuo in portãdis oneribus, in trahendo curru, & in vectando ſeruit; illumq; ſeſſor fræno in quam vult partē inflectit ad nutum: ita regit peccatorē diabolus pro ſuo arbitrio.

Audi, quæſo, quomodo ad hanc indignitatem exclamet D. Proſper. O facinus inauditum! Suaui iugo Chriſti contemto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione ſuſcipimus. Ita ille. Hoc nos ſcilicet imperio dæmon, vt ferreo fręno, quocunque lubuerit, per vitiorum prçcipitia rapit. Ecquod maius veriusque emotæ mentis indicium, quàm ab optimo Domino deſciſcere, & immaniſſimo carnifici ſponte nomen dare? Cui illud ſummo iure congruit quod de Holoferne legimus: *Nec iſta tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt.*

Iudith 3.

Exem-



Ergone bruta adeò ſteterunt præcordia cuiquam?
Qui vitijs ſeruit : ſordet cui ſplendida Virtus.

Wie wortter toch ſoo ſot, en ſoo onwijs beuonden?
Die tgoet, en Godts ghebodt, verlaet, en leeft in ſonden.

Y auroit il teſte, D'homme ſi mal faite? Sens ſi abatu?
Celuy qui ſe gliſſe, Au bourbier du vice, Foulant la Vertu.

Exemplis duobus, huc aliunde depromtis, ſeruitium iſtud diabolo per peccata præſtitum, manifeſtius reddemus. Narrat Caſſianus de quodam, ſuppreſſo tamen nomine, quòd adhuc ſupereſſet, quem diabolus diutiuſculè ludificauit. Is noctu ad eum ventitans, & cellam ſplendore illuſtrans, multaque ei occulta verè reuelans, vt poſtremò in erroris foueam incautum præcipitaret; nihil illi vltrà ad promerendum gloriæ culmen deeſſe dixit, præter Abrahæ obedientiam: proinde, Deo iubente, ne dubitaret filium quem ſecum habebat in holocauſtum offerre. Credidit miſer: ſed, dum præter conſuetudinem cultrum in cote ſubigeret, & vincula expediret; continuò pueri mens mali præſaga ſuſpicari id quod erat, ac ſubinde quid ille acturus eſſet, ſemotior quàm ab eo comprehendi poſſet, ſpectare cœpit: cumque iam aduerſum ſe inſurgentem vidiſſet, nihil moratus, ſe proripuit, & fuga ſalutem petijt. Ecce, quò ſe miſer veſanię, fallaci diaboli fręno, duci permiſerat, malę eius ſuggeſtioni obſequendo, ſicut equus, & mulus.

Caſſianus Col. 2. 7. Illuſio diabolica.

Alius debitâ obedientiæ paupertatiſque ſorte non contentus, magno labore deſudabat, vt tugurium ſuum laxius paulò ornatiuſque redderet, quàm communis conſodalium ratio ferebat: dumque aliquando ferueret opus, ſuperueniens Senior, inuenit illum ingenti malleo ſaxum grande diuerberantem; volentem illud minuere, & vſui ſuo aptum reddere: viditque diabolum, in forma Æthiopis, manus manibus applicantem, ictus ſingulos dirigentem, & adiuuantem; quique totis viribus, atque conſilio opus curioſa mente conceptum ſtrenuè promouebat. Accedens vir ſanctus propiùs rogauit, ecquidnam ageret: Lapis hic (inquit) nobis multum faceſſit negotij, & vix illum confringere valemus. Rectè, inquit Superior, dicis (nobis) & (valemus) nam ſolus non es in hoc opere: ſed cooperatorem habes, qui tibi non tam ſeruit, & opitulatur; quàm imperat, & dominatur: teque facere compellit quidquid voluerit, iuxta proprij tamen ſenſus tui peruerſam cupiditatem. Dum viſibili fraus iſta ſpecie detegitur, ſimul innuitur quid quotidie latenter peragatur, quando diaboli iuſſis per peccatum obtemperatur.

Caſſianus Coll. 9. ca. 6. Alia illuſio diabolica.

Oratio ad amoliendam dæmonis ſeruitutem.

Domine omnipotens, clementiſsime Deus, & pater dulciſsime, qui animas noſtras è diabolica ſeruitute liberaſti; nos, quæſo, ab omni peccatorum impugnatione defende; vt omne maligni ſpiritus conſilium, & auxilium deteſtari valeamus, & tibi toto corde ſeruire. Amen.

CAP.

CAP. V.

Quid mage præcipites auido nos inuehit Orco? Hortatus: Exempla: Duces sociique malorum.


QVAMVIS nemo ad locum illum infernaliũ tormentorum deueniat, nisi libero arbitrio, propriaq; volũtate, qua peccatũ commisit; multę tamẽ sunt occasiones, & adminicula, quæ hominem ad peccatũ & ad damnationẽ inducere, & quasi orco præcipites inuehere, non ineptè dicuntur. Interrogatur igitur, quæ eiusmodi præcipuæ sint occasiones, hominẽ incautũ, & maximã fermè pereuntium partem, in animæ dispendium pertrahẽtes. Tria eiusmodi potissimùm recẽsentur: malũ Consiliũ, Exemplũ, & Consortiũ.

Nota satis per se sunt singula, paucis idcircò verbis perstringenda.

Consilium malum. Primum est, Consilium malum; quod tametsi communiter dicatur A consultori pessimum, ipsum tamen à culpa immunem non reddit, qui illud admittit, & exequitur. Eiusmodi praui suggestores diabolum in Genes. 3. serpente imitantur, qui pessimum Euæ consilium dedit, inobedientiam suadendo, & ad vetiti fructus esum adhortando. Iam verò, cùm nõ solùm adeò fragilis sit, verùm etiam tam corruptæ exinde naturæ homo, vt suapte nequitia, absque consultore, exemplo, vel duce, in malum, & æternam mali pœnam ruat (velut Iudas, qui è cõtrà optimum consilium, exempla optima, & optimum consortium habebat, in ipsa Saluatoris nostri persona, & Apostolorum collegio) quanto magis malum gliscit, quantoque pronius præcipitium, quando homini per se in interitum propendenti fertur auxilium? Quidnam hoc est aliud, quàm, quod dicitur, verè oleum camino addere? Quocirca, sicuti eximium est opus misericordiæ, dubitantibus sanum rectumque consiliũ dare: ita peccatum est alienum, & opus serpentinum, prauè aliis consulere. Et sicut illud cælesti gloria, ita istud gehenna rependetur.

Exemplũ malum. Alterum est, malum Exemplum, eò deterius priori, quò efficacius. Qui namque facto Exemplum mali præbet, alteri quasi viam ad infernum ostendit; & quot vicibus, vel etiam vitiis, id facit; tot ei quasi passibus ad ignem æternum pręit. Lucidum in re tam obscura & te- 1. Reg. 31. nebricosa exemplum prębebat suo armigero primus Israëlis rex Saul: B se suo gladio innixus perfodiens; famulo id confestim eodem planè modo imitante. Rectè Poëta:

Horat. Art. Poet.

Segniùs irritant animos immissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Homo instar simiæ ad imitandum pronus est; atque ideò quàm bonum atque efficax est, alicui ad virtutem præire; tam perniciosum est, ac pestilens, aliis in malum exemplo esse. Vnde alioqui profe-

ctum



Quid mage præcipites auido nos inuehit Orco?
Hortatus: Exempla: Duces ſocijque malorum.

Wat brenghtter, metter daet, den menſche meeſt ter hellen?
Quaet raedt: Exempel quaet: en quade Meghesellen.

Queſt-ce qui nous meine, Pluſtoſt a la geine, Du gouffre infernal?
C'eſt la Compaignie, Le Conſeil, la Vie, De ceux, qui font mal.

ctum putamus, quòd prioribus ſæculis tot hominum myriades, vitæ ſanctioris ac quaſi cæleſtis in terra ſtudio & cultui ſe tradiderunt? quòd vaſtiſſimę ſolitudines, deſerta horroris anteà pleniſſima, & cubilia draconum, in denſiſſimas colonias, & quaſi ciuitates, propter anachoretarum, eremitarum aliorumq́ue monachorum frequentiam, verſa ſint? quòd tot monaſteria virorum virginumq́ue erecta? oppida ipſa prę religioſè viuentium multitudine, cœnobiorum formam ſumſiſſe quandoque viderentur? Vnde, inquam, tantæ tamq́ue ſtupendę in bonum mutationes, niſi per exempla ſanctorum? In quemcumque diuinitus minimus ſanctimoniæ igniculus inciderat; ſtatim ille ad aliorum exemplum in magnam flammam exurgebat. Harum rerum plenæ ſunt vitæ Sanctorum, & Scriptura ſacra.

De pereuntium per aliorum exempla multitudine, par eſt ratio. Sed hoc ſumma deploratione dignum, quando qui aliis bona exempla da-
C re deberent, mala ſubijciunt. Lapidem illi ponunt, vt dicitur, in quem alij impingant: ipſimet ſic effecti lapis offenſionis, & petra ſcandali. *1. Petr 2.* Hi ſunt parētes, pręceptores, omnéſq; ſeniores & ſuperiores mali. Qui in cōſpectu populi (inquit D. Gregorius) malè viuit; quantum in illo eſt, eū à quo attēditur occidit: quāto igitur grauius, ſi is etiā imitetur! *Gregor. in Paſtor.*

D Tertium eſt, malum Conſortium. Iſtud prioribus pernicioſius eſt; quia prauus conſultor malum ſuggerit: qui exemplum dat, facto viam oſtendit, & præit: ſed tertius ducit, comitatur, & quaſi manu alterum ſecum ad interitum rapit. Dicunt qui iſtiuſmodi ſunt conſortij: *Marſupium vnum ſit omnium noſtrûm.* dumq́ue ſeſe mutuo confœderant, & in malis patrandis implicant; etiam ſe mutuo, colligato quaſi nexu, ad inferna trahunt. Sicut dicit D. Bernardus; Qui ſocij laboris, & participes mercedis ſunt. Periculum, & perniciem praui conſortij ita D. Chryſoſtomus manifeſtat. Rerum natura ſic eſt, inquit, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur. Sic vnum pomum facilè centum bona corrumpet: ſed centum ſana nunquam vnum corruptum efficient bonum. Veriſſimè ille: Vuaq́ue conſpecta liuorem ducit ab vua. *Iuuenal. Satyr. 2.*

Conſortiū malum. Prou. 1. Bern. epiſt. 73. Chryſoſt. ſuper Matt.

Viderint nunc adoleſcentuli illi, & alij, qui nulla ſe ratione à perditorum contubernio patiuntur auelli.

Oratio, pro fuga mali conſortij.

DOmine Ieſu Chriſte, qui via, veritas, & vita es; Duc, & doce me, & vitam mihi concede; vt euitatis omnibus, quæ conſilio, exemplo, & conſortio nocere poſſent; per viam rectam, quam nos docuiſti, nobis oſtendiſti, & præambulaſti, ad cæleſtem patriam valeam peruenire. Amen.

CAP. VI.

Peius letiferi vitem quid peste veneni?
Hæresin: Hanc Stygiæ nidus confouit Echidnæ.



x præcedenti capite didicimus, è tribus, quæ hominem in animę perniciem trahunt, tertium esse efficacissimum, malum scilicet consortium: Nunc autem quęritur, quódnam malorum sodalitiorum, vt perniciosissimum, præ cæteris fugiendum sit. Quia verò nihil ferè homo peste peius odisse solet, A quòd illa, inter omnia corporis contagia, & citiùs contrahitur, & difficiliùs curatur, & atrocissimè sæuit, hominesque è medio tollit: ideò hîc interrogatur, quid peste peius vitandũ sit. Respondetur, Hæresis: B & ita res habet: quia quanto dignior, maiorisq; pretij est anima, quàm corpus; tanto magis illius quàm huius pestis & mors fugienda est.

Hæresis, peste magis fugienda.

In maiorem huius contagij detestationem securioremque fugam, Deus nos mirabili olim præmonuit, & solicitè præmuniuit exemplo: quando lege lata cauit præcepitque; vt quicumque maculatus esset lepra, haberet vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum; ac contaminatum se ac sordidum ipse clamaret; solusque extra castra habitaret: quę omnia ad hoc faciebant, vt noti & ad cutem vsque perspecti, tutiùs vitarentur, neque quemquam fœtido suo halitu, nimiáve vicinitate inficerent. Hanc in tam præsenti periculo cautelam, propiùs viuaciorique adhuc terrendi modo Christus ipse renouauit, latensque virus apertè detexit, dicens: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Cuius attentionis & fugæ etiam Apostolus Ephesios commonefecit ijsdem ferè verbis: *Attendite vobis, & vniuerso gregi: Scio quòd intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Quid posset ad diligentem accuratamque hæreticorum fugam efficacius adhiberi; quàm lupi rapacitatem ac ferociam obijcere? Quis cum lupo commercij aliquid habere velit? immò quísnam eo conspecto non illicò sibi fugâ consulat? Nam licet (quod quidam temerarij in sui facti purgationem obtendunt) Deo facile sit lupum in agnum conuertere, non ideò tamen ille mihi minùs pro lupo vitandus est, quamdiu est lupus. Cùm ex lupo Deus ouem fecerit eum qui lupus fuerat; tunc pro oue habebo. Interim dum lupus est, quod luporũ est facit; rapit & dispergit oues; neq; parcit gregi. Pro tali igitur eum habebo, & fugiam, aut non sapiam. Immò non solùm non comedam cum eo; sed nec aue ei dicam, nec eum dignabor salute per viam, ne pestilenti suo halitu, virus mihi aliquod afflet, quo etiam penetralia pectoris mei inficiat. nam *sepulcrum patens est guttur*

Leuit. 13. C

Matth. 7.

Act. 20.

Psal. 5.



Peius letiferi vitem quid peste veneni?
Hæresin: hanc Stygiæ nidus confouit Echidnæ.

Wat moetmen van al die, meer schouwen dan de peste?
Ketterie; ghebroeit in duyvels neste.

Y at il de reste, Rien de plus funeste, Que peste, ou poison?
Ouy; c'est l'Hæresie, Qui a prins sa vie, Au nid du demon.

tur eorum: linguis suis dolosè agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum: quod est insanabile. Et sermo ipsorum semel in aurem admissus, vlteriùs semper vt cancer serpit: qui morbus, nisi infectà pars exscindatur, etiam incurabilis est. Quod quoniam ipsi non ignorant, nihil adeò exoptant, nihilque ita simplicium auribus occinunt; quàm, venite, audite tantùm; quid audiuisse nocebit? valdè (inquiunt) malum esse oporteat, quod ne audire quidem liceat. Et verum aiunt: quia enim hæreticorum vox tam pestilens est, vt ne in summas quidem aures admitti debeat; ideò nequaquam eas ipsorum virulentis linguis præbere volo: immò neque eodem cum ipsis loco præ metu consistere. *Psal. 13. Deut. 32. 1. Tim 2.*

Ioannes Apostolus & Euangelista, lauandi semel gratia, balneum ingressus, cùm vidisset ibi Cerinthum hæreticum, continuò exsiliens discessit dicens: Fugiamus hinc, ne & ipsa balnea corruant, in quibus Cerinthus lauatur: vti etiam euenit. Samosateni Catholici (eodem spiritu quo D. Ioannes ducti) aquam omnem ex balneo procul effundi, nouamque inferri curarunt, priusquam lauarentur; eò quòd Eunomius hæreticus priori illa fuerat lotus. Ipsimet pueri Christiani hoc zelo moti, in foro pila ludentes, quòd illa sub Lucij hæretici asinum transierat, & pedem aselli fortè attigerat, vt contaminatam per ignem illic excitatum putarunt expiandam. Magna & admiranda fuit tunc temporis super fuga pestis huius, Christianorum solicitudo, & magnanimitas, omnibus etiam rebus ob id aliquando derelictis. Eam ob rem D. Paulus in Tito omnes seriò monuit Christianos. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est: & deliquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.* Quod eo studiosiùs cuique curandum est; quia, vt alibi dicit, seductores sunt, errantes, & in errorem mittentes: Et hos deuita. *Euseb. lib. 3. cap. 22. cerinthus Triparti. Hist lib 7. cap 16. Theod li. 4. cap. 14. Tit. 3. 2. Timot. 3.*

Ex quibus omnibus clarum est, quàm temerè insipienterque illi faciant, qui cum hæreticis audacter conuersantur: animas suas è pilo suspendentes, & periculo certissimæ corruptionis exponentes. Quid enim calcarius, pannorumque inalbator à carbonario exspectent, si cum eo ineant contubernium, quàm, vt quidquid album reddere studuerint, denigretur? Ita & Sapiens præcauet: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea:* & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Sic de hæresi, aliisque vitijs. Et si qui hominum superbi dici merentur, ij in primis hæretici sunt: nam & mater ipsorum superbia est; vt infrà dicturi sumus. *Eccli. 13.*

D Quod in responsione adijcitur [Hanc Stygiæ nidus confouit Echidnæ] indicatur, quòd serpens infernalis, & hydra diabolica, inuentrix, incentrix, & origo omnium hæresium, & hæreticorum pater diabolus sit. In cuius argumentum, S. Apostolus Iacobus de doctrina ipsorum sic per Spiritum sanctum contestatur: *Non est hæc* *Iac. 3.*

 scien-

scientia de sursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. Atque ita ex eo benè infertur, hęresim ex inferno in mundum prorumpere; qui quasi nidus & sedes est Satanæ; vbi illa, & id genus alij pestiferi fœtus foti, infeliciter tandem in mortalium perniciem excluduntur: sicut prolixiùs id proximo capite prosequemur.

Pestes admirandæ.

Verùm, vt quod præcipuum huius est capitis, hæresim peste magis fugiendam, clariùs adhuc reddamus; exempla quædam subiiciemus. Commodo Romanorum Imperatore regnante, Romæ tanta fuit pestis, vt vno die ſępenumero ad 2000. hominum absumerentur. Multi, non solùm in vrbe, sed etiam ferè sub omni Imperio Romano peribant; cùm malefici homines res oblitas venenis quibusdam, pretio atque mercede adducti, in alios conijcerent, vt innumerabiles homines interirent. Difficile haud dubiè fuit, illud virus euitare; sed vt multo atrocior est pestis hæreseos, ita etiam longè subtiliùs, & faciliùs homini aspergitur, quàm quouis modo pestis illa corporalis, & quæuis epidemia. In eo etiam spiritualis hæc pestilentia est corporali perniciosior, quòd in corporali hoc saltem remedij est (licet durum & horribile) vt pars tabida exscindatur. Vt D. Augustinus refert: Prouerbium Punicum est: Pestilentia ante ostium venit, & nummum quærit: Duos illi da, & ducat se. Cùm pestis venit (inquit D. Augustinus) optamus pustulam fieri, & citò spondylum facere; vtque citò aliquam particulã corporis tollat, & cum illa recedat, ne venenum ipsius totum corpus occupet, & animam petat. Sed qui veneno hæreseos infecti sunt, hoc insuper laborant malo, vt curari nolint; eosque pro inimicis habeant, qui saniora consilia proponunt.

Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Commodi.

Augustin. Prouerbiũ Punicum de peste. *Sermon. 14. de verb. Apost.*

Et hinc fit, dum rabies hæc tam leui negotio contrahatur, tamque difficulter admittat remedium; vt latiùs quandoque serpat, grassetúrque crudeliùs, quàm vllę vnquam pestilentię quantumuis memorabiles, morbíve palabundi: quales fuêre, non tantùm Dauidis tempore; sed & D. Gregorij; vt vix vllus remanserit, qui officij quippiam pręstare posset. & D. Augustini tempore in Africa, quando in solo Masinissæ regno 800000. (Eutropius nongenta millia dicit) perierunt. Et ita aliis mundi partibus.

1. Reg. 24.

Greg. epist. 127.

Gregorius Thaumaturgus, qui montes transtulit, paludes exsiccauit, fluuiorum exundantiam infra ripas coërcuit, dęmonia ex Idolis, & humanis eiecit corporibus; qui à D. Basilio Moysi aliisque Prophetis, & Apostolis præ sanctitatis eminentia comparatus fuit; breuiter, qui ex eo nomen obtinuit Thaumaturgi, quòd mirabilium signorum operumque patrator existeret; ille pro pręcipuo habuit signo, omniumque maximo miraculo, infidelitatis, & hæreseos exstirpationem. In hoc siquidem agendi modo, singulari Dei beneficio fretus, admirandam exhibebat efficaciam, ac virtutem planè diuinam tanquam

Gregorij Thaumaturgi signũ maximũ. *Greg. Nyss. Rufin. lib. 7. Hist. ca. 25.*

tanquam contra contagium omnium virulentissimum, & quasi contra malum humanis viribus inexterminabile. Vt non immeritò ei sanctissima Dei genitrix virgo Maria, cum beato Ioanne Euangelista, apparuerit, sancto Apostolo mandans, vt ipsum hunc D. Gregorium in rebus fidei, maximè quę ad mysterium Diuinitatis pertinebant, instrueret: præsertim ferâ illâ siluestri pessimâ, Paulo Samosateno, vineam Christi quaquauersum dissipante, anno circiter Domini 233. sicut Gregorius Nyssenus & Nicephorus memoriæ prodiderunt. *Nicephorus lib. 6. ca. 17.* Hinc pro excellentissimo omnium, quę vnquam gesserat, hoc ipse reputauit, & meritò, quòd, cùm diem vitæ extremum clausurus, rogasset, quot adhuc superessent in ciuitate Neocæsariensi infideles, responsumque esset, adhuc septemdecim: Deo gratias, inquit; totidem erant fideles, cùm accepi episcopatum.

Eam insuper ob causam omni pestilitate magis fugienda est hæretica prauitas, quòd diabolicis vtatur artibus, ad homines fallendos. *Irenæus cõtra hæres. li. 3. cap. 3.* Ideoque rem acu tangebat sanctus ille Polycarpus martyr, cui cùm *Eusebius li. 4. cap. 13.* hæresiarcha Marcion occurreret, rogaretque blandis verbis eum vt serpens Euam aggrediens, num se nosset: Agnosco, inquit, primogenitum satanæ. Exemplo quemque docens, quanta sit diligentia & constantia congressus hæreticorum fugiendus.


Quàm detestandum sit, pestis instar, hęreticorum contagium, Constantini decreto hac de causa sancito, constabit, quod sic habet: Victor Constantinus, Max. Imp. Aug. hęreticis. *Euseb. in Vita Const. lib. 3. ca. 61. & 62.* Cognoscite iam per legem hanc, quæ à me sancita est, ô Nouatiani, Valentiniani, & omnes omnino, qui per conspirationes à vobis conflatas, hęreses ac sectas, etiam atque etiam augere conamini. Cognoscite, inquam, quibus mendacijs vestræ doctrinæ inanitas implicata teneatur; & quatenus pestiferis quibusdam venenis vestra vsque eò inficiatur disciplina, vt per eam, integri ac valentes ad morbum, viui autem ad sempiternum interitum abstrahantur. O veritatis inimici, hostes vitę, internecionis auctores & consiliarij! *Tandem subdit*: Quid ergo? patiemúrne eiusmodi malorum *contagionem* longiùs serpere, præsertim cùm longa dilatio faciat, vt sani ac valentes eâ tanquam *pestifero morbo* inficiantur?

Oratio ad hæreticam pestem euitandam.

O Iesu Christe, pastor optime, ouiumq; tuarum singularis amator; Ecclesiam tuam, quæsumus, à luporum rapacitate defende: vt contagione hæreticæ prauitatis euitata, in sincera Christianæ Religionis veritate viuere & mori mereamur. Amen.

CAP. VII.

Quem mihi tu nidum? res haud in digna rogatu.
Tartara, lucifugas, nigro cum pectore, filuas.



QVEMADMODVM animal quodlibet libenter circa nidum vel cubile ſuum verſatur; ita etiam fieri poteſt, vt
Nidi varij. ſicuti ex nido animal, ita ex animalis genere nidi ratio cognoſcatur, ex quo tale animal prodijt. Quia ſicuti columbæ & turtures, non in ſerpentum vulpiúmve foſſis & antris fouentur, vel in lucem excluduntur, ita nec agnelli, nec capellæ in luſtris cubilibúſve luporum vel leonum fœtantur: neque è contrà feræ illę beſtiæ in ouilibus, paſtorúmve tuguriolis pariuntur; vbi non rarò mitibus illis animalculis commune cum hominibus eſt domicilium, victusque communis: & hac via nidum hæreſios, quem inueſtigamus, deprehendemus.

Ipſemet Dominus noſter apertè dicit, mendacium à diabolo eſſe:
Ioan 8. tanquam quod ex eo genitum, & propagatum ſit. *Cùm loquitur mendacium* (inquit) *ex propriis loquitur.* Fructum hunc eius eſſe declarans. Sicut aranea, totum quod foris operatur, ex putridis ſuis viſceribus, vt fœtum, educit. Quod adhuc clariùs exprimit Dominus, dum ait: Quia mendax eſt; & pater eius: mendacij ſcilicet. Mendacij igitur patre inuento, (cuius hæreſis primas tenet iure quodã primogenituræ) facilè eſt iam nidum noſſe, vel luſtrare latibula, vbi id genus volucrum, ſerpentum, & draconum progignantur, & circum quæ verſentur crebriùs; vt domeſtica. Hoc enim pacto, & pueri nidulos auicularum detegunt, deprehenduntque, dum illas volitantes ſeſſitantesque obſeruant; & paſſim teſtaque lutoque inſectantur; donec
Nidi hæreſios triplices. natiuum ſuum ipſæmet ſua frequentatione prodant locum. Ita hîc; Si diabolus mendacij & in primis hæreſios pater eſt; ergo nidus eius infernus eſt.

I. Infernus. Hoc dicit Reſponſio, quę tres præcipuè nequitiæ huius nidos deſignat, ſed qui ex primario hoc proficiſcantur. De hoc grandi nido dici poſſet, quod Pſalmiſta de ardeę vel herodij nido teſtatur; poſtquam ſimplicium & Dei filiorum modeſtiam ac humilitatem paſſer-
Pſal.103. culis comparaſſet (quod aliàs facit frequentiùs) ita ait: *Herodij domus dux eſt eorum*. hoc eſt, præſidet omnibus nidis, tanquam dux & princeps eorum. Tametſi non dicam iſtud de hoc tartareo proditum nido, dico tamen de eo dici poſſe Dum enim in malum accipitur, haud dubiè primarius eſt omnium infernus; qui etiam bonis cœtibus, ipſique adeò Eccleſię dominari pręſumeret; ſi tam ad manum eſſet poſſe, A

quàm



Quem mihi tu nidum? Res haud indigna rogatu.
Tartara, lucifugas, nigro cum Pectore, Siluas.

Welck is toch deſen neſt? de ſake is weerdt te vraghen.
Hell; en boos herte-peſt: als boſſchen oock, en haghen.

De quelle voirie, Vient ceſte furie, Queſt-ce que ce nid?
Cachots de l'Auerne, Boys, hayes, cauernes, Coeurs gros de deſpit.

quàm velle adiacet. ſed prouidit præcauitque Eccleſiæ ſuæ ab huius nidi ducatu & viribus Chriſtus, dum ait; *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Matth. 16.

In principe hoc omnis mali nido, mendacia, errores, ſectæ, diſſidia, ſchiſmata, & quicquid Eccleſiam Chriſti moleſtat, confouetur, & inde procedit. hîc omnia cuduntur inſtrumenta & machinæ, quibus boni in hac vita exercentur, tentantur, impugnantur. Sed & his modus à Deo, ne noceant, poſitus eſt: vt per Prophetam ait: *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio iudicabis.* Iſaiæ 54.

B Ex primario hoc barathri nido aſcendunt monſtra infernalia in mundum, & nidificant in hominum malignorum cordibus: quemadmodum D. Ioannes de Iuda apertè teſtatur: *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Significans, eum quaſi ſemen quoddam, vel ouum poſuiſſe in corde Iudæ, ex quo peſſimus ille fœtus pulluſque proditionis ac traditionis Chriſti tandem excluderetur. Ita idem ille ſerpens antiquus in cordibus hominum, tanquam nidis quibuſdam ſecundariis, virus erroris hęretici ponit, inde viperarum genimina clandeſtino fotu alturus, & ſuo tempore in lucem proiecturus. Ita D. Gregorius: Diabolus in reproborum cordibus quaſi in antro ſuo latet. Et quemadmodum animalia, ſiue volucria, ſiue terreſtria, non nidificant, neque cubilia eligunt, niſi vbi loci commoditas inuitat; ac tum eundem ſibi magis accommodum reddunt: ita neque diabolus vſquam ſibi in cordibus hominum ſedem vel nidum deligit, niſi vbi vtcunque præparatum & per præcedentem nequitiam accommodum locum conſiderat; præſertim vbi ſerpentinam hæreſios ſobolem fouere ac nutrire deſiderat: tum quoq; loci reperti aptitudinem ſuis adhuc magis vſibus accommodat: ſicut capite inſequenti ſumus oſtenſuri, ex malis nimirum Chriſtianis hęreticos fieri. Prędictis conſonant verba Domini ad Iob, dum ait; in Behemoth diabolum exprimens: *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus.* In illis qui ſub vmbra Chriſtiani hominis nequiter viuunt; & in cordibus vanorum hominum, qui calamo & arundini ſimiles ſunt; & in humentibus, hoc eſt luxu, crapula, & huiuſmodi carnali concupiſcentiâ diffluentibus hominibus, dormit, requiem inuenit, nidificat, & damnabile germen ſuſcitat omnis mali pater diabolus. De ſecundo hoc nidi genere fuſiùs Iſaias: *Erit cubile draconum: & occurrent dæmonia.* Vt ſolent beſtiæ, tum eſcæ quærendæ gratia, tum viciſſim fouendi fœtus neceſſitate, tum alias multas ob cauſas, circa nidos & cubilia volitare, diſcurrere, ſibi mutuo occurrere, vltro citroque commeare. Item: *Et piloſus clamabit alter ad alterum.* Veluti in tam grato opere ſibi inuicem congratulantes, conſpirantes, & optimè conſo-

II. Corda prauorum. *Ioan. 13.*

Greg. Moral. 17. cap. 17.

Iob 40.

Iſaiæ 34.

consonantes: *Ibi cubabit Lamia.* In talibus nequam cordium nidis, etiam immanis illa fera, serpensque versutissimus sedem figet. Qui, teste D. Gregorio, & Hieronymo, formosam fœminæ referens faciem, quo blandiùs aggreditur, hoc certiùs sæuiusque incautum ferit; tantę crudelitatis, vt nec proprio parcat fœtui. Caluinistarum rectè indolem referens, qui blando primùm sermone hominum demulcent aures; sed quando non satis ex voto succedunt omnia, tantam adhibent sæuitiam, truculentiam, & vindictæ immanitatem, vt nunc nidum hunc infernalium monstrorum, hæreticarum inquam viperarum, soli ferè possideant; illi saltem prædominari velle videantur. Audi, quomodo & sequentia Prophetę verba, factiosę huic Caluinistarum sectæ conueniant: *Et inuenit sibi requiem.* non enim anteà cessant à mille moliminibus, nunc astu vtentes, nunc aperta malitia, donec omnia vbique locorum suam ad normam redegerint: vt vel seducti ipsorum prauitati consentiant, vel pareant subiugati: tunc inueniunt sibi requiem; alioqui non est quòd quisquam cum eis pacem speret, vllámve concordiam.

Gregor. lib. 33. cap. 24 Moralium. Hieron. in ca. 4 Threnorum.

III. Latibula. Quod ad tertium nidi genus attinet, in quo spiritus erroris, & C mendacij pater diabolus, hæresium colubros parit, & confouet, hoc in lucis, antris, & latibulis consistit, vbi eiusmodi fæx hominum sua conuenticula celebrat. Vt prædocuit Christus: *Omnis qui malè agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Hinc fit, vt hæretici, dum diabolus eis misit in cor; & quasi nequitiæ concepto semine fœcundati turgescunt; vt cum Eliu (hæreticorum typum gerente) apud Iob, dicere possint: *Coarctat me spiritus vteri mei: & venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod laguncula nouas disrumpit:* tum solicita scrutantur indagine, si quos inuenire queant, quibus in secretiora loca seductis virus suum instillent: tunc eos ibi videas conspirantes, conferentes capita, & ranarum more fæculentis suis seminibus, quasi glutine cohęrentes: clàm sua omnia perpetrantes, donec opportunum tempus illuxerit, quo pestiferū fœtum in omnium conspectum producant, totumque, si fieri potest, aërem incestent. Tunc cum gallinis mirando omnia replent strepitu, tanquam partu posito, & re ex voto gesta.

Ioan. 3.

Iob 32.

Concilium illud pestiferum Ariminense eiusmodi nidum referebat; in quo, sub specie legitimæ Synodi, sub Constantio Imperatore hęretico, Ariani hæretici, Valens in primis & Vrsacius, mira Catholicos Episcopos fraude ac nequitia circumueniebant, & prætextu ineundæ concordiæ fallacibus æquiuocationibus, & amphibologiis, quasi reti concluserunt: adeò vt non solùm Christi diuinitati planè derogaretur, atque etiam Nicæna Synodus ac fides orthodoxa damnata prorsus videretur; sed, quod est amplius, vt inquit D. Hieronymus,

Socrat. li. 2. cap. 29. Seuerus lib. 2. an. 359. Conciliabula hęreticorum.

mus, Ingemuit totus orbis, & ὁμουσίου vocabulo abolito, ſeſe Arianũ eſſe miratus eſt. Interim ſoluta illa fraudulenta conuentione, hæretici ſtatim malitiam detexerunt: Valens enim & Vrſacius Ariani, cœperunt palmas ſuas iactitare, & triumphum canere. Verùm, Deo non dormitante, qui cuſtodit Iſraël, Eccleſiæ paulò pòſt ſuccurrit, qui numquam illam deſerturus eſt. Nam ſub Damaſo Pontifice Concilium Romæ celebratum eſt, in quo Nicænę Synodi fides, atque decreta denuò ſtabilita & confirmata fuerunt. *Hieron. contra Luciferianos.*

Huiuſmodi nidus fuit etiam Concilium illud hęreticum Seleuciæ celebratum. Et aliud eiuſdem farinæ, Conſtantinopoli, per hæreticum Imperatorem Conſtantinum Copronymum, contra imaginum ſacrarum venerationem coactum. *Paulus Diaconus li. 22. Hiſt.*

Tale latibulum erat ſpelæum illud in Synodi ſpeciem Epheſi conflatum, vbi Dioſcorus totius tragœdiæ chorâgus & factionis hæreticæ anteſignanus, ſanctum Flauianum epiſcopum latronis more trucidauit. Quæ Synodus, ob id, & propter fraudulentam violentamque procedendi rationem, λῃστρικὴ, hoc eſt prædatoria, iure dicta fuit; quia verè, iuxta Chriſti dictum, fecerant eam ſpeluncam latronum. *Niceph. lib. 14. cap. 47.* *Matth. 21.*

Hæc de tribus nidorum hæreſios generibus dicta ſufficiant; vt quiſquis norit, ex inferno, ceu maximo nido (Patre ac fautore diabolo) hæreſim in corda prauorum hominum, vt ad ſecundum nidum aſcendere; deinde in tertio nido latebrarum, lucifugorumque locorum confoueri, & in fœtum perfectum erumpere; ſibi, quantum animæ ſalus cara eſt, ab omnibus caueat; ac peſte peiùs oderit.

Caueat inquam ſibi, ne obſtreperæ iſtæ, erroneæque hirundines ſub tecto ipſius nidificent, ne calentibus ſuis ſtercoribus præcipuum eius lumen (fidei ſcilicet) exſtinguant; quod nunquam aut non niſi amariſſimæ pœnitentiæ felle, vt diuino remedio, recuperetur. *Tob. 2.*

Hoc lumine fidei præditus Pigmenius presbyter Romanus, quòd ambobus eſſet oculis captus, vſque adeò non dolebat; vt etiam hoc nomine ſit gauiſus, quòd Eccleſiæ inimicos non videret. Cùm ei ſiquidem aliquando occurrens Iulianus Apoſtata diceret; Habeo atque ago (ô Pigmeni) Deo gratias, quòd te video; reſpondit: Et ego quidem habeo atque ago, quòd te non video. *Beda in Martyrol.*

Oratio contra concilium impiorum.

DEus, qui nos in Eccleſia tua ſancta, ſicut gallina pullos ſuos, ſub alas miſericordiæ tuæ congregaſti; ab omni nos erroris atque nequitiæ defende conſortio, ne nos magnus ille gehennæ nidus abſorbeat, ſed regni cæleſtis ſocietas in æternum adoptet. Amen.

CAP. VIII.

Quod genus Hęreticus? quæ fæx? quo belua vultu? Catholici vappa: & fidei desertor auitę.

NEMINI mirum videri debet, quòd istud, & quidem eo modo, hîc interrogetur: quia nulla toto orbe fera tam effera, tam horrendum monstrum, neque res aliqua tam deploratæ nocentiæ, neq; malum cui tã malè queat adhiberi remedium, in Republica Christiana, quàm hæreticus. Multa, inquit D. Hieronymus, in orbe mõstra sunt. Cẽtauros, & Sirenas, vlulas & onocrotalos in Esaia legimus. Iob Leuiathã & Behemoth mystico sermone describit. Cerberũ & Stymphalidas, aprumq; Erymanthiũ, & leonẽ Nemeæum, Chimęram atq; Hydrã multorũ capitũ narrant fabulæ Poëtarũ. Cacũ describit Virgilius. Triformẽ Geryonẽ Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra nõ habuit: sed viris semper fortissimis & eloquẽtissimis abũdauit. Exortus est subitò Vigilantius, immò Dormitãtius, qui immũdo spiritu pugnet cõtra Christi spiritũ. Hactenus D. Hieron. Sed si iã adhuc in terris viueret Christianus ille Hercules, & monstrorũ horum domitor Hieronymus; quantũ obstupesceret cõspecta Caluinistica hydra, ceterisque portentis, quibus scatet, quęque in alias Regiones euomuit Gallia, alięq; nonnullę Prouincię. A

Hieron. aduers. Vigilant.

Hęreticus, monstrum monstrorum.

Operæ igitur pretium fuerit, quærere, ac nosse, quod monstri genus, quidve tandem sit hæreticus. Vt genuina hæreseos, & hæreticorum noscatur origo, sciendum est, omnes qui sacro tincti baptismate, Christi doctrinam per Apostolos prædicatam tenebant, primùm discipulos & fideles, ac etiam fratres dictos fuisse, qui deinde primùm Antiochiæ vocati sunt Christiani: siue Iudæi essent, siue Græci, siue alterius cuiuslibet nationis. Quando verò iam aliqui se ab illorum consortio, sponte sua vel per falsos fratres seducti segregabant, aliamque doctrinam sectabantur; illi sectæ nouæ nomen dabant nouum, vel nomen illius à quo seducebantur, cuiusque opinionem sequebantur, sortiti sunt, vt à corpore reliquo secti, & alterius sectatores. Exempli gratiâ, à Menandro Simonis discipulo Menandriani: ab Ebione Ebionitæ: à Cerintho Cerinthiani: à Marcione Marcionistæ: sicut nostro infelici ea parte seculo, à Luthero Lutherani, à Caluino Caluinistę, ac sic deinceps. Qui verò primariæ ac Apostolicæ congregationi, hoc est, Ecclesiæ Christi adhærebant, non ab illo Apostolo, illóve Episcopo, à quo conuersi vel baptizati erant, denominabantur; sed primum & commune toti corpori nomen retinebant, Christiani videlicet. Qui præterea postmodum Catholici dicti sunt, ab illa vniuersitate, qua fides Christi omnem locum, omnes nationes, & omnia tempora comprehendit: talisque ad finem vsque mundi futura est.

Act. 11.

Hæreticorum origo.

Nullus



Quod genus Hæreticus? quæ fæx? quo belua vultu?
Catholici vappa; et fidei desertor auitæ.

Wat is een Ketter plet: wat is een Haretyck?
Een vuyl verdorven let: verloochent Catholyck.

Quest-ce l'heretique? De quelle boutique, Et de quel aloy?
C'est vn Catholique, Meschant, rogue, inique, Et traistre a la foy.

Nullus itaque, his poſitis, propriè dicitur hæreticus, qui non fuerit aliquando verus Chriſtianus: eſtque eiuſmodi, qui fidem Catholicam reliquerit, & ab illa deficiens, ab Eccleſia & Deo extorris, &
B apoſtata factus ſit. Qui Chriſtianiſmum ſuum quaſi pedibus calcat;
C ſanctoque ſpiritu à ſe abacto, ſpiritum nequam in ſe intromiſit. Alio-
D quin etiam hereticus dici poſſet, qui hæreſes ſuſtinet, tametſi nunquam fuiſſet Chriſtianus.

Quod Reſponſio vappam Catholici vocet hæreticum, tantundem eſt, ac ſi diceret corruptum Catholicum, vt vappa corruptum vinum eſt. Quia, vt dicit D. Baſilius: Si quis hæreſim Eccleſiæ putredinem dixerit, à veritate non aberrarit. Quibus conforme eſt, quod D. Auguſtinus habet, ex malis corruptiſq; Chriſtianis hæreticos fieri. Vita ſiquidem peruerſa ad hæreſim adducit: & ſicuti hæreſis ex vitæ nequitia gignitur, ita & ipſa mille alias nequitias parit: quemadmo-
E dū ex carne corrupta vermes oriuntur, & illi ex ſe alios progenerant; ſimulque omnia peruertunt, niſi debito remedio prçuertantur. Hçreticus itaque eſt Catholici vappa ſeu corruptio, & Corporis Chriſti (quod eſt Eccleſia) membrū corruptum, atque à reliquo corpore deſectum: ſicut pars carnis putrida & putida exſcindi abiicique ſolet, vt quæ ſana ſunt prçſeruentur. Sicut appoſitè vrget D. Hieronymus. Reſecandæ ſunt putridæ carnes: & ſcabioſum animal à caulis ouiū repellendū eſt, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeat, corrūpatur, putreſcat, intereant. Arrius in Alexandria (inquit) vna ſcintilla fuit; ſed quia nō ſtatim oppreſſus eſt, totum orbem eius flamma populata eſt.

Hæreticus quid? Baſil. Hexæm. hom. 2. Auguſtin. Hieron l. 3. in epiſt. ad Galat. ca. 5.

F Quòd autem hæretici velut lapides & fragmenta ruinarum Eccle-
G ſiæ ſint, ex quibus ipſorum architectus diabolus nouam abſque cæmento ſynagogam contra domum Dei ſuſcitare conatur; ſed tantùm indigeſtus aceruus lapidum eſt, ſubdolo ipſorum ſtudio de Chriſti Eccleſia decidentium, vel violenter erutorum, quibus in ſpeciem aliquid ſemper moliri videntur: hoc ex Tertulliano diſertè audiamus. Ipſum, inquit, opus eorum, non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de Veritatis deſtructione: noſtra ſuffodiunt, vt ſua ædificent. Quidquid de his legimus, & præcipuè quidquid noſtris oculis conſpeximus, illa omnia huius rei fidem faciunt euidentem.

Tertull. de præſcript. hæret.

Oratio, pro Fidei Catholicæ conſtantia.

INeffabilis tua, ô Chriſte, dilectio, nos ex inimicis amicos, & ex membris diaboli, Corporis tui membra confecit: Da nobis, quæſumus, conſtantiæ gratiam, vt à teterrimo hæreſeos veneno defenſi, neque vitæ huius amore, neque mortis metu, aliquando à te ſeparemur. Amen.

CAP. IX.

Quid dæmon? Erebi quid inaſpectabile monſtrũ? Angelus; altiuoli corruptus labe tumoris.



QVIA tanta eſt inter hæreticum & dæmonem affinitas, vix fieri poteſt, vt, quando vnius fit mentio, de altero etiam non moueatur; tanquam qui optimi ſint contubernales. Ideò poſtquam quid eſſet hæreticus interrogatum eſt, etiam quid ſit dæmon quæritur: quia ſi vnum noris, ęquum eſt vt noris & alterum. Huc etiam ſpectat, quòd in ſequentibus aliquot interrogationibus, è plurimis aliquot ſaltem ſymbola, & argumenta coniunctiſſimæ cognationis inter hæreticum & diabolum conſignemus; vt ſibi Catholicus ab vtriuſque decipulis diligentiùs caueat.

Diabolus quid monſtri; & quare beſtia vocetur?

Quòd verò diabolus monſtrum Erebi, vel beſtiæ nomine vocitetur, hoc nemini mirum videri debet: Nam ſi homo propter peccatum iumentis inſipientibus comparatus, illiſque ſimilis factus eſt: quare etiam non multo magis diabolus, qui peccatum inuênit, beſtiæ nomen ſortietur? Hinc enim & in primæua illa in Euam machinatione, in forma ſerpentis ſe exhibuit: & in quamplurimis interea in Sanctos attentatis inſultibus, omnes propè ferarum, viliumque animalium figuras & voces imitatus eſt. A

Pſal. 48. *1. Ioan.* 3. *Geneſ.* 3.

Hinc etiam ſacra Scriptura, innumeris fermè locis, malignum ſpiritum, non ſolùm communi beſtiæ nomine nuncupat, ſiue in veteri, ſiue in nouo Teſtamento, & ſpeciatim in Apocalypſi S. Ioannis; verùm etiam, leonem, vrſum, ſerpentem, draconem, lupum, vulpem, & id genus, in particulari illum appellat: quò eius vel ferociam, vel fœditatem, vel inuidentiam, vel violentiam, vel ſæuitiam, vel calliditatem manifeſtet. B

Cap. 12. *&* 13. *Apoc.*

Et quid apertiùs in hanc ſententiam dici poſſit, quàm quod Apoſtolus Petrus ingerit ne neſciamus? *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Quocirca ſobrios eſſe admonet, & vigilare, eique in fide fortiter reſiſtere. Diuus Ioannes Chryſoſtomus ſcopum punctumque attingit, tribus verè verbis: Diabolus mala beſtia. Cuius malitiam, ſæuitiamque, nec non abiectam vilitatem, vt diſtinctiùs cognoſcamus, audiamus quid D. Gregorius dicat. Diabolus, inquit, aliis leo, aliis formica. vnde & Myrmicoleon ab eo nuncupatur. Idque tribus aut etiam pluribus modis verum eſſe dignoſcitur. Primùm, quia diuerſarum illarum beſtiarum figuras aſſumit; tum, quia inuiſibilis interdum voces illarum tantùm, & conditiones imitatur; poſtremò, quia in tentationibus & impugnationibus,

1. Pet. 5. *Chryſoſt. Homil.* 31. *ſuper Geneſ.* *Gregor. li.* 5. *Moral. c.* 17.



Quid dæmon? Erebi quid inadſpectabile monſtrum?
Angelus, altiuoli corruptus labe tumoris.

Wats duyvel, meer noch min? Wat is een helſche beeſt?
Een arch verdorven ſin: verloochent enghels gheeſt.

Queſt-ce que le diable, Qui tant effroyable, Touſiours nous combat?
C'eſtoit vn bon Ange, Qui par pauure eſchange, Deuint Apoſtat.

bus, tanquã leo terribilis videtur aliquibus, aliis verò vt formica cõtemtibilis apparet; pro sustinentiũ vel pusillanimitate vel fortitudine.

Nomen igitur bestię diabolo conuenit multis de causis. Nam licet; vt rectè D. Dionysius dicit, omnes suas dotes naturales diabolus etiam post lapsum integras retinuerit; ac propterea, neque natura sua bestia est, neque per peccatum mutatus in bestiam; propter irrationabilem tamen peccati naturam, & propter nequitiam malitiamque ferinam, quam assumit, quaque vtitur, etiam bestiarum ad hoc formam induendo, meritò potest & debet bestia & monstrum appellari: immò Behemoth, hoc est, bestia bestiarum. Huc enim facit, quod dicit D. Chrysostomus, rem augẽdo: Satan ex hominibus bruta facere studet: immò verò feras; quin potiùs dæmonas. Et facit verè.

Dionys. Areop. De diuinis nom.

Chrysost. Homil. 50. ad populum Antioch.

A Responsio apertè dicit (quod & sequenti capite tractabitur) angelum illum esse corruptum labe superbiæ, & apostatam euasisse. A Deo namque in principio, nobilissima creatura, ac spiritus cælestis creatus, Deo non adhæsit; sed per inanem gloriam ac complacentiam, in propria pulchritudine superbiens, peccauit; & ex cælorum altitudine, in inferiora hæc loca, & in profundum abyssi deiectus est. Ex angelo lucis, in diabolũ, satanam, ac principem tenebrarum mutatus. Nobis miseris interea mortalibus mille struens insidias; & mille oppugnans machinis, inuidia illum exstimulante. Lapsus ipsius è cælo, in capite XXV. specialiter tractabitur.

His prelibatis, deinceps dilucidè demonstremus, quanta sit hæreticorum cum diabolo propinquitas & similitudo; tam in origine & studio fraudulento; quàm in acri bonorum diuexatione, & damnabili demum exitu. Idque facturi sumus, intuitu præsertim necessitatis & vtilitatis, quem tam contaminatum hæresibus sęculum, iure suo videtur exigere.

Oratio contra complacentiæ tentationem.

INuidus draco diabolus, & angelus tenebrarum, me vereri facit, & ad te confugere, Domine Deus Exercituum: Da precor ita tuæ semper maiestati, pro collatis in me beneficiis ac donis gratias agere; vt tanto me in omnibus geram humiliùs, quanto plura ac maiora recepisse cognoscar; possimq; in perpetuum de tua bonitate gloriari. Amen.

CAP. X.

Dæmoni & Hæretico, quid quadrat ritè duobus?
Ille Polo, Hic fidei ſacrata corruit arce.

Diaboli, & Hæretici affinitas.



VT recta de quopiam cognitio habeatur, ſciatúrque quid de illo ſentiendum ſit, permagni intereſt noſſe, vnde is profectus ſit, vel à quibus ducat originem. In cuius rei teſtimonium, quando eò ventum eſt, vt de illo dicatur, ſicut Iudæi iniquè de Chriſto: Nouimus eum, & ſcimus vnde ſit; actum ferè eſt de ipſius apud illos exiſtimatione. Ideò hîc interrogatur id, ex quo prima & manifeſta hæretici origo cognoſcitur; in quo etiam cum ſpiritu nequam eleganti ſymmetria conſentit. Quid igitur in his duobus congerronibus notatu dignum eſt? Reſpondetur: Diabolum è cælo corruiſſe; hæreticum verò ex Eccleſia. Ac ſi A

In lapſu.

dicam: Quemadmodum Lucifer cum turba ſequacium ſpirituum, è cæleſtibus ſedibus prolapſi ſunt, mutatíque in dęmones; ita hæreticum ex Eccleſia decidiſſe; eóque lapſu ex Catholico factum hæreticum. Sic D. Gregorius: Apoſtatæ angelo ſimilis efficitur homo, qui hominibus eſſe ſimilis dedignatur. Quod, ſicuti omnibus ſuperbis accidit; ita maximè omnium ſuperbiſſimis hæreticis. Vt etiam nulli alij ſunt, vel vnquam futuri alij diaboli, quàm qui aliquando boni fuerunt angeli: ita nulli alij ſunt, fuerunt, erúntve vnquam hæretici (propriè loquendò) quàm qui aliquando Catholici, & Eccleſię Chriſti membra fuerunt. Nam qui nunquam baptizati veriq; Chriſtiani fuerunt, ſed in hęreſi nati eam quoq; ſuſtinent; tametſi hæretici dici poſſint, qua hęreſim ſuſtinent; potiùs tamen Ethnici & pagani dicendi videntur: hæretici verò propriè ab Eccleſia prolapſi. B

Greg. in Paſtor. part. 2. cap. 6.

In cauſa ruinæ: ſuperbia.

Quemadmodum etiam maligni ſpiritus, propria culpa, & ſuamet ſtimulante ſuperbia, eò perfidiæ & profligationis deuenerunt: ita & hæretici, diabolica ſuggeſtione permoti, in hanc tam fœdam ruinam deuoluti ſunt: ſuccinente illis ſemper diabolo, quod Chriſto ingerebat: *Mitte te deorſum.* hoc eſt, in præceps ab Eccleſia te deijcito: vt C etiam tum ſuper templi pinnaculo ſtabat, cùm hæc diceret.

Lucæ 4.

In iactura.

Et ſicut veternoſi illi angeli, è ſumma ſua felicitate ac beatitudine deciderunt, quando cæleſtis regionis extorres facti ſunt; ita & hæretici omni ſua felicitate ſe ſpoliarunt, quando Eccleſiam, velut ſuum in terris cælum, & Arcam extra quam nemo ſaluari poteſt, tam perfidè dereliquerunt. D

Deinde, quemadmodum ſatanica turba ita polo exturbata, alios ſemper



Dæmoni, et Hæretico, quid quadrat rite duobus?
Ille polo, hic fidei, ſacrata corruit arce.

Wat moetmen in Vyandt, en in Ketter bemercken?
Deen valt uyt ſhemels pandt, en dander uytter kercken.

Quelle reſemblance / Se trouue en la chance / Des deux Apoſtats?
L'un quite l'Egliſe / Lautre par vantiſe; Du ciel donne en bas.

ſemper ad ruinam impellere conatur, eidemque malo implicare; ita & hæreticorum hoc ſtudium eſt; ſicuti in proximo capite declarabitur. Idcircò, vt oſtendatur quanta ſit diaboli & hæretici ſimilitudo, quamq; ſit ferè res eadem; quod Propheta diabolū interrogat, hoc nos iiſdem verbis hęreticum poſſumus interrogare, in tantæ veſaniæ, pręſumtionis, & perfidiæ deteſtationem: vt qui ob hæc meritò tam ignominioſam fœdamque deiectionem ſuſtineat. Sic ait Propheta: *Quomodo cecidiſti de cælo, Lucifer? (* Luther, inquam *) qui manè oriebaris: qui dicebas in corde tuo: Aſcendam.* Hæc ratio facti tam infandi, hæc culpa, quòd in ortus tui principio nimis citò ſurrexeris in te; & in proprio decore te per ſuperbiam exaltaris. Hæc quoque ratio eſt ruinæ omnium; qui è cælo terreſtri, quod eſt Eccleſia, per errorum præcipitia corruunt: ſuperbia ſcilicet, & nimia de ſe præſumtio. Sic D. Auguſtinus ſcitè, & breuiter dicit: Superbia eſt mater omnium hęreticorum. Cui adſtipulatur quod dicit D. Cyprianus: Non aliunde obortas hæreſes, aut nata ſchiſmata, quàm quòd ſacerdotibus, Dei vicem gerentibus, ab vniuerſa fraternitate non obtemperatur. Hinc & in veteri Teſtamento ſic præcipitur: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctusq; populus audiens timebit; vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.*

In nocendi nequitia.

Iſaiæ 14.

Superbia, eſt mater hæreticorum & dæmonum.

Aug. lib. 2. *de Geneſ.*

Cypr. epiſt. 55. *&* 69.

Deut. 17.

Ex iam dictis euidenter innotuit, quàm pares ſint, & vniformes, dæmon & hæreticus, & in lapſu, & in cauſa lapſus: quæ eſt nimirum ſuperbia, præſumtio, & propriæ excellentiæ cupiditas, vſque ad contemtum Dei, & Eccleſiæ, omniſque poteſtatis ſublimioris. Iuxta illud Sapientis teſtimonium, quo ait: *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, receſsit cor eius: quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Audire hîc lubet diuum Gregorium his mirè conſonantem. ſic enim habet ſuper verbis illis libri Iob, vbi de amicis eius agitur [Venerunt de loco ſuo.] Hæreticorum quippe locus (inquit) ipſa ſuperbia eſt: quia niſi priùs in corde intumeſcerent, ad prauæ aſſertionis certamina non conuenirent. hinc, contra ſanctam Eccleſiam ex ſuperbia mouentur.

Eccls. 10.

Greg. lib. 3. *Moral. ca.* 13. *in* 2. *ca. Iob.*

Mirari ſæpè ſoleo, ecquid tandem cauſę eſſet, quòd noſtri temporis hęretici tam acerbis mordacibuſque modis Diuū Gregorium prę omnibus ſanctis patribus inſectarentur. Dudum id tantùm cauſæ ſubeſſe arbitratus ſum, quam ipſi quoque non diſſimulant; quòd diuinum Officium ita reſtituerit, ratumque fecerit, præcipuè tremendi Miſſę ſacrificij, vt primarius ob id auctor ab ipſis & inſtitutor confingatur. Verùm, dum ad Moralia eius, ſuper librum Iob, oculos reflecto, mirari deſino, etiam ſi mille illum modis hęretici ferociùs inceſſerent. Nam pudendam ipſorum originem, faſtuoſum progreſſum,

Hæretici cur tātoperè D. Gregorium inſectentur.

Amici Iob hæreticorũ figura. *Iob 13.* ſum, ſuperbiam, inuidiam, hypocriſim, fraudulentum ingenium, ſiniſtrum iudicium, & exitum infelicem, ita in tribus illis fictis amicis Iob, ad viuum depingit, & pro merito tractat; oſtenditque eſſe fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum: vt etiamnum poſt perſpecta hęc omnia in ipſis ad oculum, non poſſint accuratiùs deſcribi. Sed ad propoſitum redeamus. Diabolum ſibi non ſolùm hæreticos, ſed & quoſcunque poteſt, per pręcipitationis iactantiam affines facere, & ex alto gratiæ ſtatu ruant, etiam euidenti exemplo conſtabit.

Caſſianus Coll. 2. c. 5. Illuſio diabolica. A Caſſiano relatum legimus, Heronem ſenem in Thebaidis deſerto annos quinquaginta commoratum; ſuo tamen non Patrum arbitrio vixiſſe. Hic ergo à dæmone laudatus, cùm eum à Deo miſſum ad ſe de cęlo angelum credidiſſet; credidit etiam quod ab illo audierat: Se ſcilicet tanti iam apud Deum meriti eſſe, vt, ſi ex arduo aliquo loco ad imum rueret, corpus eius affligi lædíve non poſſet. Itaque imme-*Deut. 6.* mor ſcriptum eſſe: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: ſed potiùs in per-*Matth. 4.* niciem ſuam illud imprudenter amplectens: *Angelis ſuis mandauit de te; In manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum*: noctu ſurrexit, & in puteum haud modicæ altitudinis ſe præcipitem miſit. Ad ſonitum caſus exciti fratres, ſeminecem extrahunt: & cùm rem didiciſſent, à dæmonio illuſum affirmant. Sed ille in ſua credulitate præſumtuoſaque ſuperſtitione perdurans, die tertio pòſt, vita defunctus eſt.

4. Reg. 9. Iezabelis lapſus. Iezabel, intrante Iehu, iuſſu eius per feneſtram pręcipitata, à canibus deuorata fuit: ſed qui per ſuperbiam ab Eccleſia in præceps ruunt, ab infernalibus canibus, & æterna morte depaſcuntur. Hos nimirum canes infernales aggrediuntur, debentque cum æterna morte depaſci: eò ſanè crudeliùs, quò & horum canum dentes acerbiores ſunt, & in animam quoque ſæuientes pœnę æternæ truculentiores.

Fulgoſ. lib. 1. cap. 1. Inſanię huius præcipitijque genus etiam in Aſſaſinis (gentis nomen eſt) corporaliter adumbratum legimus. dum illi ſe in ſignum promtę obedientiæ ſolo ſuorum dominorum nutu eos deuocantium, etiam ex præruptiſſimis rupibus turribusque celſiſſimis dant pręcipites, & occidunt. Ita ſecundùm animam hęretici, iubente diabolo: *Lucæ 4.* Mitte te deorſum: diaboli cautio. (*Mitte te deorſum*) ab Eccleſiæ Catholicæ faſtigio, in errorum infernique barathrum lęti deſiliunt.

At techna iſta fraudulenta diaboli meritò notanda mihi videtur. Illos ſiquidem ipſe primùm in ſublime rapit per ſuperbiæ faſtum; & quaſi ſupra Eccleſiam ſtatuit: dum ſibi ſe pluſquam Sacerdotes omneſque Doctores ſapere perſuadent: omnemque quaſi ab alto deſpectant poteſtatem; & iam omnia ſub pedibus ſuis ſtrata arbitrantur. Sed quò illos in ſuis oculis exaltat ſublimiùs, eò profundiùs illos in damnationis voraginem præcipitat.

Huc

Huc etiam referri poteſt, quod Nicephorus accidiſſe narrat circa annum Domini 437. Iudæus quidam Moyſem ſe eſſe, à Deo in Cretam cælitus miſſum, confinxit: vt eius loci Iudæos ipſe per mare, perinde atque olim Iſraelitas per rubrum ſinum, duceret. & paſſim inſulam ipſam anno toto peragrans, vt ſe illum eſſe crederent, ſuaſit: atque vt opes quas haberent, pecuniasq; & poſſeſſiones omnes aſpernarentur, cohortatus eſt: ſe illos per mare, non aliter quàm in arida, in promiſſionis terram ducturum eſt pollicitus. Die conſtituta ipſe eos in ſummum quendam ſcopulum in pelagus excurrentem duxit: atque inde coniicere ſe in mare veluti natantes & vrinantes iuſſit. Qui id fecerunt, deinceps non apparuerunt: quidam etiam præcipitio ſaxis illiſi interierunt: iamque omnium deſperata ſalus erat, niſi Chriſtiani piſcatores ac mercatores, hos quidem extraxiſſent, illos ne idem attentarent prohibuiſſent. Pſeudo-Moſem ſuum illi comprehendiſſent; at ille confeſtim diſparuit: quo facto magnam ſuſpicionem præbuit, ſe dæmonem quempiam ſub humana ſpecie exſtitiſſe.

Niceph. lib. 14 cap. 40.

Moyſes fictus, ſeductor.

Quandoquidem igitur ex auditis conſtat, tantam eſſe inter diabolum & hæreticum congruentiam & paritatem; quis non videat, ſicut D. Apoſtolus monet de vno, dicens: *Nolite locum dare diabolo.* ita nec loci quid dandum hęretico, ſed æquè vtrumque eſſe fugiendum?

Epheſ. 4.

Studium huiuſmodi fugę fuit in priſcis Catholicis efficaciſſimum. Narrat inter alios de populo Alexandrino Theodoretus, quòd pulſo Athanaſio ipſorum epiſcopo cõuenirent in cœmeteriis ad orationem: nec vllis minis vel cruciatibus adduci potuerint, vt Georgio Ariano ſe coniungerent, vtcunque eos vexante & excarnificante, ex mandato Imperatoris Sebaſtiano duce. De Samoſatenis non minora recenſet idem Auctor: vt D. Baſilius quoque de Catholicis, cùm in Oriente tabificum illud venenum paſſim graſſaretur. Vitandi itaque ſunt ambo, hæreticus æquè atque diabolus, velut animarum noſtrarum hoſtes, proditores, & prædatores crudeliſſimi: de quo ſequenti capite fuſiùs diſſeretur.

Oratio, pro Regni cæleſtis poſſeſſione.

Deus, qui contra Luciferi de cælis lapſum, hominisq; de Paradiſo eiectionem, Regnum cælorum in terris conſtituiſti, hoc eſt Eccleſiam tuam ſanctam: ita nos quæſumus in hoc tua ope geramus, vt illud in cælis æternum conſequi mereamur. Amen.

CAP. XI.

Viribus at,paribusq; animis,quid pugnat vterque?
Ad Phlegetontæas animos auertere flammas.

TRITVM sermone prouerbium est: Aues concolores simul volitant. neq; enim corui cum columbis;& multo minùs accipitres miluiq; cum pullis gallinarum conueniunt. Ita & in bigis aut quadrigis, equi, quoad fieri potest, non solùm eiusdem magnitudinis & fortitudinis, verùm etiam concolores pariformiumque macularum coniunguntur. Eo modo & diabolus nullum magis sibi consortem quàm hæreticum,toto orbe potest reperire;ad moliendum malitiamque suam intendendam contra Dei gloriam,Ecclesiæ tranquillitatem, & salutem animarum. Quia licet omnes impij homines ipsius sint administri,& filij; sunt tamen hæretici, vt primogeniti,ita & charissimi fidelissimique, ob tam singularem in multis cum suo patre diabolo similitudinem; sicut præcedenti capite declaratum est. A B

Diaboli & hęreticorum coniunctum studium.

Non immeritò itaq. interrogatur modò,quídnam paribus viribus animisque vterque pugnet; quod sit præcipuum ipsorum studium; quod opus; quod vna voluntate & molitione conantur exantlare. Dicit enim appositè Auctor moralis: Pares cum paribus facillimè congregantur. Et Plato: Similis simili semper hæret. D.Gregorius verò, vt diuino spiritu illustratus,penitiùs rem introspiciens,propiusq. determinans, inquit: Diabolus cum reprobis vna persona est. Vnde & Dominus ipse de Iuda,cui iam tum optimè cum satana conueniebat, inquit: *Ex vobis vnus diabolus est.* Cumque reprobi vocabulum nemini post dæmonem ita vt hæretico conueniat, (iuxta Apostoli testimonium sic ad Titum scribentis; *Quia subuersus est; cùm sit proprio iudicio condemnatus*) constat, neminem adeò vnam cum diabolo esse personam,atq. hęreticum. Núc igitur,quid agunt isti ambo coniunctim? C
Animas pariter ad gehennæ flammas pertrahunt.. Omnem siquidem adhibent operam,vt peruersis doctrinis,pestilentibus cõsiliis, imposturis, pollicitationibus; & quando blandis sermonibus nil promouent, adhibitis etiam violentis machinis, mortales in certam animarum perniciem impellant. D.Gregorius sic de diabolo in particulari loquitur. Diabolus est lupus, oues dilanians. Quid autem sit hæreticus,quis ignoret?qui,dum etiam pro meliore sua veste ouinam assumit pellem,nihilominus lupus rapax manet. De similibus loquitur Apostolus: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos,non parcentes gregi.* Suntq. isti, mendaces illi magistri,de quibus S.Petrus:

Cato. Plato. Gregor. li.4. Moralium, cap.14. Ioan.6. Titi 3. Homil.13. in Euang. Matth.7. Acto.20.



Viribus at, paribusq; animis, quid pugnat vterq;?
Ad Phlegetontæas animos auertere flammas.

Seght ons: wat doen dees twee, al met versaemder handt?
Sy sleypen deur het bree, de sielen naer den brandt.

Que fait leur malice, Quand elle se glisse, Sur nostre terroir?
L'un rend l'ame morte, Et lautre l'emporte, Au profond manoir.

D S. Petrus: *Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.* Hi item sunt, quos Propheta Ezechiel suis depingit coloribus: *Qui consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas.* At audi quo fine. *Et cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum*; vitam scilicet & beatitudinem eis certò addicentes; & interim, mentientes populo E meo, credenti mendaciis: atque ita speculo propriæ complacentiæ fascinatos ad interitum ducentes. Hæc diaboli & hæreticorum fallacia; hoc vtrorumque damnabile studium. Sique lubet etiam alium Prophetam impostores istos describentem audire, dicat Hieremias, quid de his sentiat. *Inuenti sunt* (inquit) *in populo meo impij, insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus illorum plena dolo.* Vtque dolos versipellium istorum aucupum detegamus, audiamus D. Gregorium verba similia apud Iob explicantem. *Abscondita est in terra pedica eius; & decipula illius super semitam.* sic ait: Inimicus generis humani vniuscuiusq. mores, cui vitio sint propinqui, considerat: & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem. Ibi ergo decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit: quia illic periculum deceptionis F inserit, vbi viam esse inuenerit propinquæ cogitationis. Quis autem non videat, id ita, quasi ex eius præscripto, obseruare hæreticos, pelliciendis simplicium animis in erroris nassam & laqueum? Hoc breuiter, sed efficaciter dicit Apostolorum Princeps: *Pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos qui paululum* (non satis) *effugiunt.* Vt itaque Christianus, in fide stabilis, ab istis non pelliciatur in errorem; non satis est paululum ab illis fugere, sed multum, & omnino illos vt iuratos animarum hostes auersari necesse est, hæreticum, inquam, æquè atq; diabolum.

2. Pet. 2. — *Ezech. 13.* — *Ierem. 5.* — *Gregor. moral. li. 14. cap. 7.* — *2. Pet. 2.*

Declarat egregiè D. Aurelius Augustinus, non solùm periculum, verùm etiã pestiferæ tabis exitium, quod ex defectu fugæ huius emanat, dum hunc in modũ loquitur; Sic fiunt hæreses & schismata, cùm dicit plebs carnalis, quæ in charitate Dei fundata non est; Ibo post amatores meos; cum quibus vtique, siue per fidei corruptionem, siue per elationem superbiæ, turpiter fornicatur.

August. de Baptis. contra Donat. lib. 3. ca. 19.

Oratio pro animarum tuitione.

O Iesu, nostrarum amator animarum, mille nobis struit insidias, cum omnibus suis ministris, inimicus noster diabolus: Ita nos quæsumus ab eius technis, & ab hæreticorum tuêre fallaciis, vt in fide radicati, coronæ fidelium consortes esse possimus. Amen.

CAP. XII.

Quis sese in laqueos facilè induet hæreticorum? Immemor, hos sēper dare verba, & vendere fumos.

Ab hæreticis qui facilius decipiantur.



NEMO libenter decipitur, etiam qui fors alios paratus aliquando esset fallere. Quocirca, quantum sibi quisq; cauet ne decipiatur; tantum illum postea malè habet, si nihilominus deceptus fuerit; vnde dictum illud vulgare: Non mihi secundò imponet. doctus sum. Et illud adagium: Piscator ictus sapit. Dum volens hamo piscem capere, ipse imprudens à serpente in calcaneo mordetur: cogitat apud se: aliàs ero circumspectior.

Mirum itaque meritò videri debet, quid causæ sit, cur homines se A ita cateruatim ab hęreticis permittāt decipi, cùm sit ista nocentissima omnium, & maximè detestanda deceptio. *Frustrà* (inquit Sapiens) *iacitur rete ante oculos pennatorum.* neque vllum vnquam animal, cui tenduntur insidiæ, se sponte in laqueos induet; sicuti videmus simplices mortales in casses hæreticorum ruere. Quî fit? quis hîc latet error?

Prou. 1.

Hæretici semper mentiūtur.

Responsio dicit, hoc genus hominum ita ab hæreticis decipi & se- B duci facilè; qui non sunt memores, neque cogitant illos semper verba dare, & fumos vendere. hoc est, mentiri, & imponere. Si quis e- C nim sciret, sibi cum impostore esse negotium, & cum homine mendaci; non vtique illi fidem neque etiam aures daret; certus, neminem vnquam magis falli, quàm qui nimiùm fisus sit.

Atqui dicat aliquis; hæretici multa ex sacris Scripturis proferunt, aliaq; quamplurima loquuntur, quæ vera sunt; quo pacto igitur semper mentiantur? Non inficior; frequentem faciunt verbi Dei mentionem, & Capitula sacræ Scripturæ glomeratim iactitant, multaque interdum vera proferunt, fateor; dicit tamen rectè Responsio, eos semper mentiri; quia semper mens & intentio ipsorum est, fallere, & simpliciores à veritate seducere. Sicut & verè dicitur mendax, & mentiri diabolus, etiam vera loquens; quia id ipse per veritatem molitur, quod mendaces per mendacium: mentiri scilicet, & fallere. Ideoque & mendax est, & mendacij pater: Et hæretici, eius filij; quia faciunt opera patris sui, diaboli. Et quandoquidem ipsi quoque in Veritate non steterunt; neque cum Christo permanserunt, qui veritas est; neque Ecclesię, quæ columna est, & firmamentum veritatis, adhæserunt; sed exierunt, & à veritate alieni facti sunt; quid aliud quàm mendacium loqui possunt, etiam verbis veritatis, quibus mēdacium & fraudem suam cōuelant? Subdola autem ipsorum sermocinatio, veri specie adornata, & ita fucato prętextu in aures intromissa, non minùs audientium

Ioan. 8.



Quis ſeſe in laqueos facile induit hæreticorum?
Immemor, hos ſemper dare verba; et vendere fumos.

Wie laet hem, op het punct, van Ketters lichst bedrieghen?
Gilaes, die niet en dunckt, dat Ketters altyt lieghen.

A qui plus damnable, Sont les ſottes fables, De ces Hughenots?
A ceux, qui n'aduiſent, Qu'en tout ce qu'ils diſent, Menſonge eſt enclos.

dientium animos inficit, quàm hausta pleno ore cicuta, aliúdve toxicum, corpus interimit.

Quocirca rectè dicit Ecclesiasticus: *Qui citò credit, leuis est corde.* Eccli.19.
Non enim frumenti aceruus, neque graues turgentesque tritico spicę facilè vento rapiuntur; sed ventosæ & inanes stipulæ, & paleæ leues: ita qui in fide parum radicati sunt, parumq; habent ponderis in morum grauitate, illi statim nouis fidem adhibent, & inconstantiæ vento tolli se sinunt ex area Ecclesiæ. Maximè verò ita accidit, quando animus per vitiosum affectum, & malam vitam, ad eiusmodi à fide defectionem propendet. Quia, vt Cæsar inquiebat; facilè homines credunt, quod desiderant. Idq; facilè ignem concipit, quod ariditate sua est facile ad flammã: & candela adhuc fumigans illicò flãmam arripit. *Cæsar.*

Conficitur ergo è prædictis, de hæreticis dici posse, quod D. Paulus de Cretensibus. *Cretenses semper mendaces; malæ bestiæ*, meritoque eis, etiam vera dicentibus, non magis quàm mendacibus credi oportere. Vt nec verè lupum inclamanti creditum fuit, eò quòd toties antea per dolum & imposturam idem occlamarat. Vnde rectè dicitur: Qui mentiri consueuerit; facit, vt neq; cùm verum dixerit, sibi credatur. *Tit.1.* *Arist.*

Qui simulata veri adumbrataq; similitudine ab hæreticis falli nolunt, meminerint, quomodo Cambyses per Smerdem magum deceptus fuit: qui & fratris nomen, & vultum ad viuum exprimebat; eoq; fuco, Cambyse regno exuto, se ille eo vestiuerat, iamq; quietus possedisset, nisi fraus per Othanis filiam detecta fuisset, deprehensusque Smerdes ille auriculis priuatus nõ esse is qui fuerat creditus. Ita, si benè attẽdatur; & carere auribus, & vbiq; malè audire, & honore spoliati reperiantur, qui vt verbi Dei pręcones, at ministri satanę, mendaciis suis & imposturis homines dementant, & in perniciem trahunt. *Fulgosius li. 9. cap. 16.* Smerdes magus magnus impostor.

Mendaces itaque isti atq; impostores nocentissimi sunt omni diligentia fugiendi. Cõstantia hîc Constantinopolitanorũ Catholicorum meritò cunctis imitanda proponitur: qui nullis tormentis per Macedonium hæreticum euinci potuerunt. Ligno ora hominum aperientes sacramenta ingerebant; mirè torquebant reluctantes. Feminarum mammillas in arca comprimentes abscindebant, vrebant, discruciabant: sed animum inflectere nequiuerunt. *Hist. Eccl. Socrat. li. 2. cap. 38.*

Oratio, contra spiritum erroris ac mendacij.

QVandoquidem per errores ad vitam æternam non venitur; nos quæsumus, Domine, ab erroris & mendacij defende spiritibus: vt & in veritate permaneamus, & promissa Veritatis præmia valeamus obtinere. Amen.

CAP. XIII.

Quî fucũ faciunt, mera quãquam oracula fundãt?
Quâ solet arte, horum Stygius Doctorq; Paterque.

NON est mortalium quisquam, tam in dicendo vero felix, quin lingua quandoque labatur: vt dicit Psalmographus; *Omnis homo mendax.* Verùm quia hæretici, vt dictum est, etiam dum vera dicunt mẽtiuntur; siue dum ex sacra Scriptura, siue dum in familiari colloquio agunt: idcircò noua istud interrogatione mouetur; vt omnium oculis subiiciatur, eos hac in parte A
magistrum patremque suum diabolum imitari.

Psalm. 115. Hæretici, etiam dum verum dicunt, mentiuntur.

Dicit in primis S. Bernardus, quoad dæmonis magisterium: Diabolus scandalorum magister. Quam rectè magistri sui sectentur vestigia discipuli hæretici, ex hoc constare potest: quia nullum perniciosius maiúsve scandalum, quàm hæresis; nulla immanior deuastatio, & fœdior ruina, quàm ab Ecclesia Christi deficere, & alios vt viuos lapides inde conuellere, ac ad sectariorum aceruos aggregare. Hi sunt, de quibus S. Paulus sic scribit: *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Ecce, doctores hæreticorum dęmones sunt: qui mẽdacium in hypocrisi, hoc est, fuco veritatis, obtẽdunt. Et quia scientes volentesq; errant, & in errorem ducunt; ideò rectè addit Apostolus, eos cauteriatam habere conscientiam; hoc est, quasi candenti ferro adustam, obduratam, factamque insensibilem. Hæc de doctoratu diaboli.

B (at "Dicit in primis"); C (at "fœdior ruina")

Bernard. in Epist. Hæreticorum magister diabolus.

1. Timot. 4.

Quod ad paternitatem attinet: præter id quod præcedenti dictum est capite, hęreticos esse filios diaboli, quia opera eius faciunt; & ita, iure reciproco, diabolum ipsorum esse parentem: etiam ex D. Augustini verbis id haud obscurè deducemus. Dum illa Christi verba explicat: *Diabolus mẽdax est, & pater eius,* talem facit comparationem: Quomodo Deus pater genuit filium, Veritatem: sic diabolus lapsus, genuit quasi filium, Mendacium. atque ita, cùm sit pater mendacij, etiam mendacium hominum pater est. Cumq. sint in hac generatione primarij ac primogeniti, hæretici: non immeritò patrem suum ita per omnia referunt, vt rectè à quibusdam, diaboli incarnati, nominentur. Sunt etenim: quia & ingenium, & mores, & loquela id manifestum faciunt. Foras igitur canes, sic latratu suo templum Domini conturbantes. D

Pater hæreticorum diabolus. *Ioan. 8.*

Augustin.

Sanctum Martinum Turonensem Episcopum communis hominum hostis ludificare conatus est, stupendo ad hoc vtens prætextu. Aureo enim diademate, & purpureo superbus indumẽto, ei occurrẽs, Regem

Sulpitius in vit. S. Mart.



Qui fucum faciunt, mera quamquam oracula fundant?
Qua ſolet arte, horum ſtygius Doctorq́; Paterq́;.

Hoe lieght een Heretyck, al ſeght hy ſchoone waer?
Dat is ſduyvels practyck: Syn meeſter, ende Vaer.

La Verité ſainte, Eſt elle vne feinte, Quand ell'eſt en eux.
Ouy; c'eſt de leur Maiſtre, Ce viel ſerpent traiſtre, Vn tour malheureux.

Regem se Christum esse,& ad iudicandum mundum descendisse,asseuerabat. At verò & diabolicæ arrogantiæ gnarus,& mansuetudinis Domini memor Martinus; Haud talem,inquit, venturum se pollicitus est Christus;sed cum omnibus Passionis,quã pro nobis sustinuit, signis,cum spinea corona,vulnerúq; cicatricibus,& ipso victoriæ suæ tropheo,cruce:cùm talis apparuerit,eum aduenisse credã.Immundus ergo spiritus verbis veritatis victus,disparuit.Luculentus accesserat, lutulentus fæculentusq; abiit: vt nullam illi lucem,nisi apparẽtem atque imaginariã credas. Ita aggrediuntur hæretici quos venantur,specie fulgentis spiritus,omnia iudicantes: ast dum paternæ hæredes indolis,humilia,aspera,crucemque spirantia detestantur,se produnt.

Diabolus S. Martino apparens.

Quòd hæretici auctore magistroq; diabolo mendaciis fucoq; decipiant, prout ipsi quoque ab eodem decipiuntur,duobus sequentibus exemplis constabit. Anno 933. vt Glaber testatur, erat in Galliis hæreticus,cui nomen Leutardus;qui primùm in agro solus aliquamdiu vixit,somniauitq.examen apum sibi per secreta naturę in ventrem intrare,& magno strepitu per os erumpere,quæ illum tunc crebris punctionibus agitabãt. Ac,diu multumq; stimulis agitato, loqui ei videbantur,& multa hominibus impossibilia præcipere,vt faceret.Tandẽ fatigatus venit domũ,diuortioq; facto,quasi ex præcepto euangelico, Ecclesiam intrans,quasi oraturus, arripuit crucem,& Saluatoris imaginem contriuit. Decimas dare dicebat esse inane. Populum ad se allexit,tametsi insanire videretur. Ab episcopo Lebuino conuictus & paulùm ad mentem reuocatus ; tandem videns sibi spem ambitionis ereptam,se in puteum demersit.

Glaber hist. lib. 2. cap. 11. & 12.

Apud Rauennam Vilgardus quidam,anno 1000. à diabolo illusus, illusit & aliis. Is ita Grammaticæ addictus fuit , vt relictis ceteris artibus, huic vni inhæreret. Nocte quadam ei dæmones in specie veterum Poetarum apparuerunt,grates ei agentes pro honore quem ipsis impenderet,promittentes ipsi eum suæ quoque gloriæ fore participem. Cœpit exinde turgidus ille multa fidei contraria docere , & per dicta Poetarum multos in errorem inducere.

Baronius tomo 10. ex Glabro.

At nunc restat,vt modum etiam in veritate mentiendi,apertiùs explicemus ; quod sequenti fit capite.

Oratio contra simulationis vafriciem.

O Iesu,qui æterna Patris es Sapientia, nos quæsumus contra versipelles fictorum spirituum defende præstigias ; vt neq; angeli lucis obtentu diabolus , neque eius ministri nos veri rectiq; deludant imagine ; sed in tua fide ac charitate perseueremus. Amen.

CAP.

CAP. XIV.

Ergóne mentiri valeat quis, vera profando?
Subdola cuî vero mens insidiatur ab ore.

Quomodo quis, verũ dicendo mentiatur.

DE mendacio, & mendacibus, in cap. 51. ex professo tractabitur: hìc autem nobis solùm ostendendum est, quì fieri possit, vt quis verum etiam loquẽdo mentiatur; prȩsertim iuxta nostrum propositum, id in diabolo & filiis ipsius hȩreticis considerando. Clarũ in primis est, mentiri illum, qui aliter ore loquitur, quàm cogitat corde, dum quidpiam asserit. fieri autem posse, certum est, vt verum quidem labiis proferat, sed in mente falsum existimet: atque ita materialiter dicet veritatem, formaliter tamen mentietur. Exempli gratia, dicat quis alteri, cui debitor erat: satisfeci tibi: & ponamus, ita se rem habere: ipse tamen verè in conscientia id ignorans, putet se non satisfecisse; & tamen id asserit: certum est illum mentiri, etiam si verum dicat. quia ore dicit, ita: & corde cogitat, non. Quòd autem verum sit quod loquitur; non ex mente eius est, sed casu accidit: vt, dum mentiri intendit, verum tamen dicat. Ita etiam accidit, vt quis è diuerso falsum dicendo, non mentiatur; quando nimirum, quod simpliciter profert, verum putat: quia os foris proloquens, cum animo intus cogitante consentit; quòd autem aliter se res habeat quàm dicit, non mentiendi studio, sed errore opinionis id accidit. verè quidem is dici potest, non dixisse verum; non autem, mentitus fuisse. Mendacium siquidem, iuxta Ciceronem, est falsa verborum prolatio, cum intentione fallendi. Quando autem ipse mendacij pater diabolus, siue hæretici, etiam ex sacræ Scripturæ fluento, vera depromunt; mentiuntur nihilo minus: quia falsa & fallax est eiusmodi etiam verorum verborum prolatio, cum intentione fallendi facta. Ore veritatem loquuntur; & corde interim meditantur mendacium. Vnde sapienter Sapiens: *A mendace quid verum dicetur?* Ac si dicat, quod nos iam diximus: Mendax semper mentitur, etiam dum verum loquitur. Quia quando veritatem per se gratam, amabilem, & acceptabilem obtendit; non ideo facit, vt illa acceptetur, & foueatur; sed tantummodo, vt sub simplici eius velamine, obtrudat mendacium: hominesq; simplices speciosa veritatis fronte pellectos, decipiat. Mentitur itaq; vafer, & subdolus, etiã dum vera proloquitur. Ad hæc, quando Præceptum Domini attendimus quo mendacium prohibetur; videmus in eo præcipuam fraudis & deceptionis haberi rationem. Sic enim dicit Dominus: *Non mentiemini.* In quo autem mendacij primaria consistat natura & vis, declarat, per sequentia verba prio-

Cicero. Mendaciũ quid?

Prou. 14. Mendax mentitur semper.

A B C

Leuit. 19.



Ergóne mentiri valeat quis vera profando?
Sub-dola cui vero mens insidiatur ab ore.

Hoe canmen soo ghereet, waer spreken, nochtans lieghen?
Alsmen met Waerheyts cleedt, ander soeckt te bedrieghen.

Se peut il donc faire, Qu'ensemble on profere, Bourde et Verité?
Ouy; quand par Vray-dire, On pretent seduire, La simplicité.

rba priora dilucidans; dum subdit: *Nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Istud D. Augustinus appositè confirmat, hunc in modum: Mentientis proprium est, aliud in lingua, aliud in pectore habere. Atque ita, iuxta præcedentia interrogata & responsa, mentitur ille, quisquis duplicitatem & dolum in corde concipit, etiam si verum in ore resonaret. Et hoc videtur etiam Homerus clarè voluisse dicere, dum ait: Mendacium, veritatis opus aliquando est. Quia scilicet veritate, veluti instrumento, vtuntur impostores, vt mendacium fabricent; & deptionem, quam corde alunt, ope veri, in actum deducant. *August. in Enchirid.* *Homerus.*

D Quid aliud actitabat malignus spiritus, dum ita Christo Redem-
E ptori nostro acclamabat? *Scio te, qui sis: Sanctus Dei. Increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo.* Quid ita? non quòd falsum diceret; sed per veritatem fallere conaretur, & eos qui crederent vera dicenti, etiam in mendaciorum credulitatem induceret, itaque deciperet: quod est mentientium. Istud D. Chrysostomus valde disertè contestatur. Diabolus, inquit, interdum vera dicit, vt mendacium suum
F rara veritate commendet. Hæc est planè eadem hæreticorum vafrities; siue in suis debacchationibus, seu etiam in communi congressu. Qui instar propolarum dolosorum, merces viliores melioribus obtegunt; & quisquilias, sub rerum vtilium vmbra, carè venditant: Biblia ipsa sacra, sed deprauata, producunt; in pleno cœtu ea magno turgentes fastu legunt; nudum textum, purum putum Dei Verbum, & merum Verum ingeminant; vt dum miseri auditores, ad veritatem os & aures aperiunt, nugiuenduli illi blaterones, virus suum veri tegmine obuolutum cumulatiùs ingerant. Atque ideo, sicuti cum patre diabolo, à veritate exciderunt in mendacium: ita quidquid loquuntur, siue verum siue falsum sit, mentiuntur: quia mendacij naturam veritas induit, dum per illam deceptio intenditur. Deinde, quemadmodum Nox manet nox, tametsi lampades aliquot, vel tedæ colluceant: ita hæretici, cùm non solùm in tenebris, sed etiam ipsi tenebræ sint; & quidem Ægyptiacis illis palpabilibus densiores, & plusquam Cimmeriæ, vtpote infernales, nox ipsa errorum, & ipsissima mentium cæcitas; quid obstabit, quo minùs omnia quæ ad ipsos pertinent, quęque ab ipsis procedunt, siue vitam siue doctrinam spectes, & ipsos denique quantos quantos, mendacium appellemus? Insuper, sicut magos & maleficos rectè dicimus, & verè sunt, tametsi sacris quibusdam ad malum tum verbis tum rebus abutantur: quídni hæreticos mendaces & impostores vocitemus, etiamsi ad suas præstigias sacra & vera aliqua verba vsurpent? Cumque veridici & diuini vocentur, qui tamen vt plurimum falsum dicunt; & dum verum aliquando proferunt, mentiuntur tamen, quia decipiunt: quare non dicentur mendaces hæretici, licet interdum dicant quod verum est, vt *Luc. 4.* *Chrysost. super Matth.* Hæretici mentiũtur etiam dum verum dicunt. *Exod. 10.* Veridici mendaces.

mendacio suo muniant viam, & auctoritatem concilient? Si tamen quispiam hęreticos ob id veridicos esse dicendos occinat, quia quandoque verum dicunt: per me licet vt commune hoc eis nomen cum dæmoniacis illis diuinatoribus sit; qui, vt dixi, contrarium rei nomen sortiti sunt; veridici dicti, cùm sint mendaces; veritate mentientes, & animas perdentes. Sic etenim æquè homicida censendus est, qui quempiam pane occiderit, atque qui gladio.

Quæ cùm ita sint: quis adeò hebes sit, vt non videat quãto sibi studio à talibus sit pseudoprophetis cauendum? In horum enim omnium
3. Reg. 22. ore residet spiritus męndax, vt ipsemet de hoc fallendi stratagemate apud Dominum gloriatur. Nunc, tametsi perinde sit, si quãdo necem aliquis mihi intentet, siue eam spiculo siue poçulo est illaturus: non tamen perinde cauetur; quòd poculum, vitæ atque amicitiæ potiùs quàm inimicitiæ & mortis sit symbolum. Verùm quando iam certò constat, hæreticos veritatis prętextu melle litum veneni poculum circumferre, mortemque certam intendere; quis adeò demens, qui lætus admittat, & cum plausu exhauriat, immò etiam vel summis attingat labris? Auertat Deus, vt ipsorum virulentæ veritati aures aliquando præbeam, tametsi præ meis foribus sua prostituere inciperent. scri-
Exod. 23. ptum est enim: *Mendacium fugies.* Nociturum est siquidem, etiam suaui veritatis melle oblitum. Dicit etenim Salomon, fucum omnem de-
Prou. 20. tergens: *Suauis est homini panis mendacij: & postea implebitur os eius calculo.* Dum mendax falsum veri similitudine condit; quasi panem obtrudit: sed quando deceptio aliud quàm creditum fuit operatur; tunc panis ille, quasi in lapidem versus, pro vita, quam nutriendo daturus sperabatur, mortem quæ non cauebatur, inferre percipitur. Ita specie verbi veritatis inescatos hæretici fallacia latẽtis intus erroris occidũt.

Sed & è profanis aliquid historiis attexamus, quod fraudem istam
Gel. lib. 15. cap. 22. Astus Sertorij. vtcunque collustret. Q. Sertorius, in Iberia, hinnulum candidæ ceruæ aluit, cicuremque reddidit; adeò vt accedentem sequeretur, & cum ascendente in tribunal simul ascenderet, atque os adduceret. Persuasit igitur barbaris, animal hoc sacrum esse Dianæ; deamque per illud omnia prædicere, sociamque in bellis præsto esse. stuporem barbaris iniecit, qui eum adorabant; omnesque ad eum, quasi diuinis viribus septum, confugiebant. En artificium hæreticorum, si applices.

Fulgosius lib 7. cap. 3. Astus Mahumetis. Mahumetes, falsus propheta, & sceleratæ legis auctor, præter plurima alia quæ magno astu confinxit, vt diuinitatis opinionem apud barbaras nationes captaret, hoc quoque egit. Columbam ita commodè assuefecit, vt ipsi apud rudes populos conciones habenti in humerum inuolaret, rostroque aurem peteret, ex qua ille eam pascere consueuerat Populi credidere, ipso ita affirmante, in columbæ forma Spiritum sanctum cælitus descendere, vt eum, quę dicenda essent, moneret.

moneret. Ita hæretici omnes, se Spiritu sancto afflatos asseuerant; & eius instinctu oracula promere: cùm spiritu tamen dissensionis agitentur: & Spiritus sanctus vniformis sit. Huc spectat etiam, quod complures eorum, quò faciliùs simpliciores vtriusq; sexus in errorem inducerent, socias sibi mulierculas adiunxerunt, quarum consiliis & oraculis sese vti profitebantur. Sed audiamus D. Hieronymum hanc illorum insaniam describentem. Sic enim de his ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos scribit. Quid sibi volunt, inquit, miseræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ; semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes? Et ceteri mulierculurum socij, prurientes auribus, & ignorantes quid audiãt, & quid loquantur? qui vetustissimum cœnum, quasi nouam suscipiunt temperaturam? qui iuxta Ezechielem liniunt parietem absq; temperamento; & superueniente veritatis pluuiâ dissipantur? Simon magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immũditiarum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos prępararet. Apelles Philomenen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus, immundi spiritus prædicator, multas ecclesias, per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas feminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, vt viciniora transscendam. Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis Constantij antè decepit. In Hispania, Agape Helpidium, mulier virum, cæcum cæca, duxit in foueam. De hoc rursum schemate idem sic scribit ad Eustochium; Pudet, inquit, dicere, proh nefas! triste, sed verum est. Vnde in ecclesias Agapetarum pestis introijt? vnde sine nuptiis aliud nomen vxorum? Immò, vnde nouum concubinarũ genus? Plus inferã: Vnde meretrices vniviræ? Hucusq; Doctor ille eximius.

Astus hæreticorum. *D. Hieron. aduersus Pelag.* *2. Tim. 3.* *1. Tim. 1.* *Li. de Custod. Virginit.*

Porrò de Helena, Simonis magi pedissequa, sic habet Epiphanius, aduersus hæresim Simoniacam scribens: Simon se magnam virtutem Dei, & meretriculam suam Spiritum sanctum appellauit. At de hæreticorum cum patre diabolo affinitate, parilique eorum (etiam veritatis obtentu) fallendi studio, eorumque fuga, hactenus. Nunc de Christiano, & ad hominẽ Christianum pertinentibus, differendum.

Epiphan.

Oratio contra mendacium, & dolum.

DEus, qui nec mentiri, nec fallere potes, quem neque quisquam potest decipere: præsta, quæsumus, vt te pro norma imitantes, & nemini fraudem faciamus, & nemo nos in animæ nostræ perniciem dolo valeat circumuenire. Amen.

CAP. XV.

Dic, age, Christicolę augusto quis nomine dignus?
Qui Verbo Factoque sui vim nominis implet.

Christiani boni descriptio.



POSTQVAM iam hæreticum hominem ita penicillo ad viuum depinximus, vt quiuis eum facilè dignoscat; & quantum animę salus ei cara est deuitet: restat, vt quis sit dicendus Christianus, quisq; eo nomine dignus sit audiamus. Quid enim proderit homini, si hæreticum norit oderitque; & ipse interim non sit bonus Christianus? Diabolo namque perinde est, qua ratione miseros mortales in tartarum trahat: siue fidei siue bonæ vitę defectu. Itaque in hanc rem modò incumbamus, vt quantum instituti huius feret ratio, quid Christianus sit, quidq; sit eius officij, edisseramus. In primis notandum, in Interrogatione, paulò, immò multo plus peti, quàm quid sit Christianus: quæritur enim, quis dignus illo sit nomine; aut quis bonus sit Christianus. Christianus in genere ille dicitur, atque Catholicus: Qui Baptismatis Sacramento initiatus, Iesu Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesia profitetur; neque sectis, vel opinionibus vllis ab Ecclesia Catholica alienis adhæret: sicut ex professo in Catechismo traditur; sub qua descriptione etiam mali Christiani continentur. Nostra verò interrogatio quærit, Quis dicendus sit bonus Christianus; quia talem instruere hoc opere est constitutum. Rectè responsio: Qui verbo & A facto nominis sui vim implet: hoc est; qui fidem Catholicam profite- B tur, & iuxta eam vt Christianum decet viuit. Ista est autem inter C vtriusque conditionis Christianos differentia: quòd priores illi fidem veram, vt arboris radicem habent: sed illa sola non saluabit eos, quia fructibus arboris (bonis inquam operibus) instar infrugiferæ illius ficulneæ destituti sunt. Posteriùs verò descripti Christiani, de quibus in proposita quæstione tractatur, Fidem veram, & insuper per charitatem operantem seruant & exercent. Isti per omne genus vti- D lium, bonorumque animalium, arborumq; bonarum, in sacra Scri- E ptura significantur. Hanc distinctionē rigida sententia statuit D. Cyprianus. Christianus, inquit, nemo rectè dicitur, nisi qui Christo moribus (prout valet) coęquatur. Nihilo mitius Sanctus Augustinus super hac Christianorum diuersitate exercet iudicium. his verbis: Christiani nomen ille frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur. Rationem reddit: Quid enim tibi prodest vocari, quod non es; & nomen tibi vsurpare alienum? Et verè ita est. Quid enim hoc alicui conferat, quòd faber, agricola, vel mercator vocetur; immò, quòd Comes, Dux,


Act.11. — Christiani mali, qui? — *Cyprian. de 12. abus. cap.7.* — *August. de vit. Christ.*



Dic age: Chriſticolæ auguſto quis nomine dignus?
Qui Verbo Factoq; ſui vim nominis implet.

Seght nu wie datter net, den Naem van Chriſten heeft?
Die Chriſtus Leer, en wet, belydt, ende beleeft.

Qui porte l'enſeigne, Qui eſt vrayment digne, Du nom de Chreſtien?
Qui ſuit la loy ſainte, De coeur, non de feinte, D'oeuure, et de maintien.



Dux, Rex, Imperator, ſolo ſit nomine, & nihil eorum ſit in re? Verùm vt paulò penitiùs indignitatem iſtam intueamur, qua Chriſtiani nomine inſigniti, nihil minus quàm quod audimus facimus: Pictores nos eſſe puta, non iam dici tantùm: quia Chriſtiani dicimur, & ſumus; Chriſtique imitatores, ſed non recti. Effinge itaque pictores plurimos ad tabellas ſuas ſedere, & in Chriſtum oculos conijcere, vt debitis eum coloribus adumbrent; ſiue ſanctè in terris conuerſantem, ſiue orantem in horto, ſiue denique flagellatum, crucem geſtantem, aut etiam Cruci affixum: interim, pictorum alij, loco iam dictorum, pingerent Chriſtum vel adoratum à magis, vel aquam in vinum mutantem, vel multiplicantem panes, vel ingreſſu Hieroſolymitano triumphantem, vel in monte Thabor ſplendore gloriæ radiantem, & eiuſmodi ſpecioſa, grata, placentia; in quibus libentiùs multi eum, quàm in contemptu, paupertate, & paſſionis opprobrio & patientia imitentur: alij, quod peius eſt, pro Chriſto Iudam proditorem delineent & effingant: alij (horreo ſcribens) etiam cacodæmonem in cordis ſui tabella, pro Chriſto, depingere non erubeſcant, interim Chriſti exemplar contemplantes; vt pictores effigiem cuiuſpiam effecturi, viuum ſolent prototypon inſpicere. Qui verò horum omnium Chriſtum optimè expreſſerit, ille optimus eiuſmodi pictor & Chriſtianus cenſendus eſt. Alioqui, dignus ſit, qui hac ſeuera D. Auguſtini cenſura verberetur. dum ait: Deprehenderis, & detegeris Chriſtiane: quando aliud agis, & aliud profiteris: Fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere. Itaque iuxta Apoſtoli monitum: *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum*; fideles ipſius ſimus imitatores.

Chriſtiani, vt pictores, Chriſti imitatores.

Auguſt. de ſymb. ad Catech. lib. 4. cap. 1.

Hebr. 12.

Id ita tradente iam dicto Doctore conſequemur: iuxta quē ille verus eſt Chriſtianus, qui omnibus miſericordiam facit; qui nullâ omnino mouetur iniuriâ; qui alienū dolorem tanquam proprium ſentit; cuius menſam nullus pauperū ignorat; qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & angelis glorietur; qui terrena contēnit, vt poſſit habere cæleſtia; qui opprimi pauperē ſe patiente non patitur; qui miſeris ſubuenit; qui ad fletum fletibus prouocatur alienis.

Oratio, pro Chriſtianiſmo benè ſeruando.

GRatias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, ſponſe animæ meæ, quòd me ad tantam dignitatem exaltaris, vt tuus ſeruus, amicus, frater, & tui corporis membrum effectus ſim: Da, ita nomen hoc Chriſtiani, tam eximium, condignis actibus adimplere; vt tecum aliquando in cælis, tanquam tibi cohæres, valeam collætari. Amen.

CAP. XVI.

Hoc opus in quinas aliquis mihi digere partes.
Prima Fidẽ: altera Spem: pars tertia tradet Amorẽ.

Distributio doctrinę Christianę.



POSTVLAT interrogatio vt doctrina Christiana in pręcipuas quinq; partes distribuatur: quarũ tres in subiecta respon-sione ponuntur, duæ verò reliquæ sequenti capite tradentur. Has omnes quidam Catechismi sub quatuor cõplectuntur; non expresse annumeratis septem Sacramentis: sed illis sub reliquarum numero cõprehensis: quod eodem recidit. Quia verò hîc non Catechismum ex professo tradere, sed succinctè eius memoriã, in animis eorum qui eum tenent, refricare, & hac ratione, quasi strata via, ad Christianum in iis quæ officij eius sunt informandum, procedere est animus: hinc quædam aliquando alio modo alioque ordine pono, quàm methodus Catechistica solet obseruare, vt in Præfatione clariùs scopum meum indicaui.

Quinque itaq; partes ponimus Christianæ disciplinæ, vt verè totidem sunt, totidemq. in omnibus, qui Catechismũ tradunt, reperiuntur explicatæ. Fides nimirum, Spes, Charitas, sancta Ecclesiæ Sacramenta, & iustitia Christiana. Meritoque in iis quæ fidei sunt, homo Christianus ante omnia instructus esse debet: Fides enim vt radix arboris est, ex qua boni fructus exspectantur. Fundamentum est etiam ædificij illius, quod tota vita sua homo per bona opera construere debet in hoc mundo, cuius fastigium vsque in cælum pertingere necessum est; aut alioqui frustrà omnem suum hîc impenderit laborem, & sumptum, ignique vniuersa tradentur. Et videre debet quid superædificet, vt monet Apostolus. Quia si quis superædificat super fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; vniuscuiusque opus manifestum erit: Et vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Debet, quod amplius est, domus hæc pluuiam, flumina & ventorum violentiam sustinere; quibus ingruentibus, si fundamentum firmum non est, corruet; & futura est ruina eius magna; sicut Dominus noster Christus fundamentum, lapis angularis, & architectus sapientissimus ipse prædixit; exemplarq. viuum in se præbuit. Hoc igitur capite de tribus primis partibus doctrinę Christianæ Fide, Spe, & Charitate, in genere: & proximo de duabus reliquis: quia vnico versu omnes quinque constingere fuisset difficile: tunc singulæ sigillatim tractabuntur.

Matth.3. 7.12. *Gregor. Moral. 28. cap. 6.* *1.Cor.3.* *Matth.7.* Virtutes Theologicæ.

Tres istæ Virtutes, Fides, Spes, & Charitas, ideò Theologicæ vocantur, tum quia à Deo nobis infunduntur, tum quia ad Deum diriguntur.



Hoc opus in quinas aliquis mihi digere partes.
Prima Fidem; altera Spem; pars tertia tradit Amorē.

Dat yemandt desen boeck in vyuen my bedye.
Gheloof, en Hope vloeck, en Liefde: dat syn drye.

Dis moy les cinc choses / Que Dieu at encloses / Dedans ceste loy?
La seure Esperance / Et l'Amour immense / Et la saincte Foy.

guntur. Nemo enim has alio modo quàm diuinitus infusas accipere potest; neque illas aliò quàm in Deum dirigere. Si namq; proximum diligere iubemur, non nisi in Deo, & propter Deum id faciendum est. De his sic dicit Apostolus: *Nunc manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* *1. Cor. 13.*

Vis & operatio trium harum Virtutum, in homine his prędito, tali schemate, quasi ob oculos possit constitui. Ponamus nos videre (quod & huius capitis præfert imago) hominem iacentem ac somno pressum, quem virgo diuina ac splendida, Fides nimirum, excitet, illuminet, & cęlestem eminus ei gloriam cōtemplandam exhibeat: Alia tum etiam fulgida & sidereæ venustatis, Spes videlicet, quæ ei caput subleuet, statuat in pedes, certa ei proponēs media, ad ea quæ fides ostenderat consequenda; quæque desiderium horum, spemque obtinendi omnia ipsi ingeneret: Et tertia demum reliquis maior, stupendo quodam nitore micans, quasi iubare solari inardescens, nempe Charitas; quæ hominē ita fide collustratum, & in spem erectum, totum incendat moueatq; : manus eius pedesq; in opus adaptando; ad omnia illa gnauiter peragenda, quæ ex fide agenda didicerat, quæque per spem obtinere certò confidit. Eadem item Virgo illa flammea, clauem ei in manus tradat, qua sibi in cælestem Regiam ingressum conciliet. Ecce tibi in hoc homine speculum veri Christiani: qui fidem habeat, per charitatem operantem, & spem non confundentem. Quia verò in genere hîc disciplinæ Christianæ mentionem fecimus, non erit abs re, in maiorem dignitatis eius commendationem, aliquid adducere. Aristippus percontanti, qua re esset melior euasurus filius si eum curaret litteris erudiendum: Vt nihil aliud, inquit, certè in theatro non sedebit lapis super lapidem. Quanto igitur magis homini Christiano curandum erit, ne rerum suæ professionis ignarus, in templo lapis super lapidem sedeat? Quò etiam spectat Theodosij dictum, filios suos Arsenio erudiendos tradentis: Imperium se eis traditurum, si mores vitamque suam ad disciplinā, & leges Dei componerent. Quanto igitur studio hæc amplexanda est nobis, ne regno cælorum excludamur?

[Margin: Fidei, Spei, & Charitatis operatio. — A, B, C, D — *Laert. lib. 2. cap. 8.* — Lapis super lapidem. — *Nicephorus lib. 12. cap. 13.*]

Oratio pro doctrinæ Christianæ progressu.

Domine Iesu, Magister bone, qui Apostolos tuos in vniuersum misisti mundum, vt docerent omnes gentes; omnibus, qui doctrinæ tuæ tradendæ insistunt, spiritum tuum largiri dignare, vt & gloriam tuam, & salutem animarum dignè valeant promouere. Amen.

CAP. XVII.

His superadiicias, quæ bina ex ordine restant.
Sacramenta: dein; Ius officiumque piorum.

SICVT capite antecedente de tribus prioribus doctrinæ Christianæ partibus in genere actum est; ita modò de reliquis duabus agendum erit. Sunt autem hæ: Sancta Ecclesiæ Sacramenta, & Iustitia Christiana.

Septem Sacramenta. Cùm dubium non sit, hominem ea potissimùm causa & cõditum, & redemptum, vt Deo seruiat, & tandem vitam æternam possideat; certum est, Sacramentorum cognitionem & vsum, in homine Christiano efficere, vt accepta ex Iesu Christi meritis gratia, in eo cultu & seruitio exerceatur, conseruetur, & promoueatur. Sunt enim sacrosancta hæc mysteria quasi vasa gratiam Dei continentia, eamque nobis impertientia. Neque ob id satis fuit Christo, vt pro nobis mortis subiret supplicium; verùm etiam certa quædam media voluit instituere, quorum legitimo vsu ipse nobis merita suę mortis applicaret; & viuificę resurrectionis participes faceret. Quid enim profuerit, si medicus pharmaca præscribat, immò & conficiat, quæ cõtra morbi acerbitatem ordinata sunt; nisi illa etiam suis locis applicentur; & vt opus est sumantur? Id & Samaritani erga semiviuum nos docet industria; & vsus quotidianus attestatur. A

Luc. 10.

Salutaria ista nostrarum animarum remedia, Sacramentis contenta, quæ & redemptionis nostræ pretiosa sunt pignora, à Domino nostro Iesu Christo, tanquam à nostro Samaritano profecta ac instituta sunt. Vt verè & gratanter dicere ei possimus, quod Iudęi per similitudinem improperij obstrepebant: *Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu?*

Ioan. 8.

Iustitię Christianę officium. Christianæ autem Iustitiæ officium, in fuga mali, boniique consectatione consistit: quod iisdem propemodũ verbis, quàm plurimis sacrę Scripturę locis exprimitur. Nominatim Regio Propheta sic dicente: *Declina* (& aliàs, *diuerte*) *à malo, & fac bonum.* Et D. Petrus ostendens quantum ab hoc officio dependeat, inquit: *Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos* (qui vult cælo frui) *declinet à malo, & faciat bonum.* Vocatur autem officium Iustitiæ Christianæ, quia æquum & iustum est, vt Christianus id obseruet: tum etiam, quia qui facit hanc iustitiam, iustus est. Sed de his latiùs & speciatim cap. 23. B

Psalm. 36. & 33.
1. *Pet.* 3.

Quia verò iam aliquoties diximus, in his duabus partibus, tribusque aliis præcedenti capite propositis, totam comprehendi hominis Christiani institutionem & disciplinam; nõ importunè me facturum

arbitra-





His ſuperadijcias, quæ bina ex ordine reſtant.
Sacramenta: dein Ius officiumque Piorum.

Laet dander twee voor prenten, int hert daer toe bereyt.
De ſeuen Sacramenten, en Chriſten Rechticheyt.

Dis auſſy de grace / Le ſurplus qui face / Parfaits les Chreſtiens.
La Iuſtice entiere / Et le ſeptenaire / Des ſaints Sacramens.

arbitratus sum; si, vt in illo, ita etiam in isto capite, aliquid proferam quod in communi ad doctrinæ huius illustrationem pertineat: quæ verè & formam & perfectionem homini Christiano congruentem præscribit.

Socrates aliquando interrogatus, quódnam esset pulcherrimum animal; dixit: Homo doctrina ornatus. Quæ autem inter tot doctrinarum genera, meliùs excellentiusq. hominem ornare queat, quàm Christiana; quę non tãtùm mores foris excolat, intus acuat ingenium, & intellectum illustret; verùm etiam animã suo auctori quàm simillimam reddat; diuinumq. efficiat suum hospitem & possessorẽ? Huic benè quadrat quòd idem aliquando Philosophus, cùm intellexisset, quendam ex familiaribus suis studiosè curantem; vt imago ipsius similis fieret: Tu, inquit, vt tibi similis lapis fieret, curasti; at ipse, ne lapidi similis fias, non curas. Putabat autem sapientissimus ille vir, eos lapidibus haud absimiles esse, qui literis animum non exornarent. Ita sermone primo Maximus, & Auctor proximè adductus. Quid de talibus dicturi sumus Christianis, qui nec minimum quandoque vel sciunt vel faciunt, quod Christianum decet? Vtinam saltem eiusmodi breuem illam D. Augustini lectionem addiscant, quam hunc in modum tradit; Fides appellata est ab eo quod fit. Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur fides. Prima syllaba est à facto, secunda à Deo. Interrogo te ergo, vtrũ credas: dicis, credo: fac quod dicis, & fides est.

Anton. in Melissa. par. 1. ser. 50.
Animaliũ pulcherrimum.

August. Epist. 5. ad Marcellinũ.

Idem Ecclesię doctor, occasione eius quòd Ethnici calumniarentur doctrinam Christi aduersam esse Reipublicæ, omnibus modis ostendit, eam esse honestissimam, vtilissimam, ac planè Reipublicæ conseruandæ necessariam. Nec tantùm, inquit, propter ciuitatis terrenæ concordiam; verùm etiam ad salutem sempiternam adipiscendam, & æternam cuiusdam populi cælestem diuinamque Rempublicam: Cuius nos (inquit) ciues efficit Fides, Spes, Charitas. Posteaque subiungit: Fides ergo, non nocuit Reipublicæ, sed multum profuit. Nec propter fidem Christi puniti fuerunt Romani; sed propter peccata sua. Sic & Deus suos quoque punit, quando tam salutarem doctrinam non obseruant.

Oratio, pro augmento Religionis.

PLanta in cordibus nostris, quæsumus Domine, veram fidem, spem firmam, & ardentem charitatem; vt per debitum sanctorum tuorum Sacramentorum vsum, Christianæ iustitiæ officium adimplentes, cum omnibus Sanctis tuis remunerari mereamur. Amen.

CAP. XVIII.

Quem posuit Fidei nobis Ecclesia campum?
Symbolon articulis bis sex quodcunque coegit.

Gregor. Homil. 19. super Ezech.

NON solùm, quod à D. Gregorio rectè dictum est, Fides, Spes, & Charitas, spiritualis ædificij portæ sunt: verùm etiam Fides in primis ianua nostræ salutis est, sine qua Deum inuenire, & inuocare, Deo seruire, & placere, nullus in hac vita potest. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*; inquit Apostolus. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*; &, *iam iudicatus est*, ex Christi sentētia. Fides autem est Dei donum & lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur, atque adhæret iis, quæ vt credātur, sunt diuinitus reuelata, & ab Ecclesia nobis proposita. Notandum igitur, Fidei nomine, virtutē aliquando intelligi per quā quis credit, & Fidelis nuncupatur: aliquando verò per fidem, ipsa credenda intelliguntur; in qua significatione Fidē Catholicam vocamus, quam tenet, suisq. tradit Ecclesia. Fidem, vt virtutem, iam definiuimus; Fidem, vt credendorū seriem, summatim in Symbolo Apostolorum comprehensam omnes nouimus.

Hebr. 11. Marc. 16. Ioan. 3. Fides, quid? A

Symbolū Apostolorum.

Apostoli siquidem, tanquam præcipui post Christum Christianæ B
fidei fundatores, priusquam ab inuicem separarentur, vt Euangelium C
prædicarent omni creaturæ; Symbolon hoc confecerunt, tanquam D
omnium credendorum epitomen & synopsin. non solùm vt ipsi vbique & semper docerent vniformiter; hominésque rudiores ad fidem addiscendam tanta breuitate redderent faciliores; verùm etiam, vt signum quoddam esset euidens, quo Christiani ab omnibus impiis, qui vel nullam, vel non rectam Christi Fidem profitentur, discerni possent. Hac enim velut tessera militari, omnes Christi Fideles, toto orbe diffusi, ab omnibus sectis facillimè secernuntur, ac dignoscuntur; siue Iudaica illa sit, siue Ethnica, Mahometica, Hæretica, Athëistica, seu quæuis denique alia, si qua alia excogitari queat.

Dignum sanè opus his auctoribus in quo mirum dictu quàm breuiter, & quàm neruosè, tota rerum credendarum substantia contineatur. In primis Deum vnum esse, & tres in Diuina Trinitate personas. Patrem, omnium creatorem; Filium, mundi Redemtorem; & Spiritum sanctum, Ecclesiæ sanctificatorem, & rectorem: Ecclesiæ, inquam, quæ est Fidelium omnium congregatio, & sanctorum in ea communio. In qua, velut in vera Arca veri Noe reperiri debet, quisquis saluari & vitam æternam ingredi desiderat. In hunc autem finem, in Symbolo & doctrina Christiana Fidelibus Sapientia proponitur, quæ in se simplex & humilis est, & tamē summam celsitudinem



Quem poſuit Fidei nobis Eccleſia campum?
Symbolon articulis bis ſex quodcunq; cöegit.

Wat hebben wy daernaer, dat het Gheloove aengaet?
Dat int Symbole claer, oft twelf artyclen ſtaet.

Pourroit on protraire, La Foy ſalutaire, En peu de papier?
Ouy; car le Symbole, La tient en ſon rolle, Pour ne l'oublier.

nem ac ſcientiæ ſublimitatem complectitur, non tantùm iuxta grani ſinapis parabolam, ſed etiam iuxta traditam ab ipſo Domino Philoſophiam, quando ait: *Eſtote ſapientes, ſicut ſerpentes; & ſimplices, ſicut columbæ.* Quod etiam quaſi quoddam Apoſtolorum, omniumq. Chriſtianorum ſymbolum & inſigne eſt; quod vtroque in omnibus membro conſtare debet. alioqui qui altera illius parte priuatur, neceſſe eſt vt in via, qui Chriſtus eſt, claudicet. Nam ſi ſimplicitate careat columbina & ſapiens eſt, aſtutus eſt: ſi citra ſerpentis ſapientiam ſimplex eſt, ignauus potiùs, & fatuus cenſendus erit.

Sapientię & Simplicitatis coniunctio. *Matth.* 10.

Chriſtus Dominus noſter in primis ſapientiam hanc, cum ſimplicitate coniunctam mirè exercuit; & poſt eum Apoſtoli, eius efficacia omnem ſeculi poteſtatem, omnem ſapientiam, ac malitiam, Fidei, & cruci Chriſti, ſubiugando. Hanc Sancti imitati ſunt. S. Spiridion nobis omnium inſtar, exemplo eſſe poterit: qui hac ſapienti ſimplicitate garrulum pertinacemq. Philoſophũ miro modo in Concilio Nicęno confuſum conuertit; præſertim Symbolũ Fidei recitando; & tum rogando: Quid dicis ad hæc Philoſophe? Credis? credidit & baptizatus eſt, & plures cum eo. Vt & Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus alium quendam Philoſophum fecit obmuteſcere: alioſq. alij.

Nicephor. lib. 8. *ca.* 15. Spiridion Philoſophum ſuperat.

Huc ſpectat præclarum illud Petri Martyris exemplum, quo non parum Apoſtolici *Symboli* dignitas & præſtantia commendatur. De quo ſic legimus: Petrus Veronę parentibus Manichæorum hæreſi infectis natus, ab ipſa penè infantia contra hæreſes pugnauit. Puer annorum ſeptem, cùm ſcholas frequentaret, aliquando à patruo hæretico interrogatus, quid tandem in iis didiciſſet. *Chriſtianæ Fidei Symbolum* ſe didiciſſe reſpondit: neque vllis vnquam patris patruíve blanditiis aut minis à fidei conſtantia dimoueri potuit. Vir factus, atque Ordinis Prædicatorũ Inſtituto ſuſcepto, tanto virtutum ſplendore eluxit, tanto fidei ardore incenſus fuit, vt hæretici ei necẽ, quam is paulò antè concionando prædixerat, intulerint. Nam cùm ſanctæ Inquiſitionis munus gereret, illum Como Mediolanum redeuntem, impius ſicarius ſemel atq; iterum in capite gladio vulnerauit. Iamq. penè mortuus *Symbolum Fidei*, quam infans virili fortitudine confeſſus fuerat, in ipſo ſupremo ſpiritu pronunciauit.

Breuiar. Roman.


Oratio pro Fidei ſtabilitate & perfectione.

DEus qui Apoſtolos tuos ſancto tuo repleſti Spiritu, & ita illuminaſti, vt Fidem omnem duodecim articulis complexi ſint: Da nobis quæſumus, vt eodem quoque Spiritu ditati, & in Fide inueniamur ſtabiles, & in actione deuoti. Amen.

CAP. XIX.

At quibus exercenda Spei fiducia nostræ? Conceptaque Deo prece, Virgineaque salute.

Spes in quibus exerceatur.



HAC interrogatione quæritur non quid sit Spes, neque vnde ea oriatur; sed in quibus se exerceat, quídve in doctrina Christiana habeamus, quò se vis spei nostræ exerat. Alioqui scimus, Spē esse virtutē diuinitus infusam, per quam, A certa cum fiducia, nostræ salutis & æternæ vitæ bona exspectantur: & quæcumque etiam ad eam obtinendam nos adiuuant. Ex fide, per Dei gratiam & bonitatem, Spes in cordibus credentium oritur. Per fidem siquidem homo ad cognitionem Dei rerumq; cęlestium pertingit: Deiq. bonitatem, qua hominem ad tam beatum finem condidit, tamq. magna & multa pro ipso fecit attendens, sperare incipit; & in Deo omnem suam fiduciam ponere. Frustrà enim alioqui Deo Deiq. verbo fidem adhiberet, nisi etiam spem gratię salutisq. per ipsum consequendę conciperet; & quasi iacta anchora in eo conquiesceret.

Oratio ex Spe.

Quia tamen Spes illa & fiducia, non illam quam fides habet certitudinem; sed cum metu de opposito coniunctam: hinc se sperans ad orationem conuertit; & ad ea quæ spem illam fulcire, & multum promouere solent: qualia sunt, frequens bonitatis ac beneficiorum Dei, præsertim Christi passionis, recordatio; & puritas conscientiæ, vitiorum fuga, virtutum exercitatio, ac sanctorum Sacramentorum frequens vsus. Alioqui hæc negligere & sperare, præsumere est: ac vanè se de confidentia in Deum efferre.

Oratio Dominica. *Luc.* 11.

Quia verò quæcumq; tum in cælestibus, tum caducis ac transeuntibus hisce bonis speranda, & vt ad salutem conducibilia, exspectāda sunt, Dominica oratione continentur; hinc potissimùm ad eam confugit Christianus: & quascunque ad Deum fundit preces, in illa fundatas ac radicitus hærentes agnoscit. Nihil enim (inquit D. Augustinus) quantum existimo inuenies, quod non ista Dominica contineat & concludat oratio. Hæc à Domino nomen sortita est, quia eam ipse sacro suo ore prodidit, & discipulis orandi modum requirentibus, admirabili eam sapientia præscripsit: quam & nobis omnibus, ad spei nostræ & petitionum explicationem, nouerat profuturam. Huius explicatio cuiuis est obuia: ideoque hac prætermissa, ad salutationem Angelicam properamus: cuius occasione, cùm toto hoc opere vix aliàs detur, fusiùs aliquanto Deiparæ Virginis commendatione nos modò recreemus.

B — *August. Epist.* 121. *ad Probam, cap.* 12.

C — Salutatio Angelica.

In primis notatu dignum, quàm congruè & concinnè, hæ duæ orationes

tiones



At, quibus exercenda Spei fiducia nostræ?
Conceptáq; Deo prece: Virgineáq; salute.

Wat heeft de Christen leer, op Hope t'onser spoedt?
Tghebedt van onsen Heer, en dan d'Enghelsche groet.

Qui de l'Esperance / Nous monstre l'essence / Et le maistre-but?
De Dieu la priere / De sa Vierge-Mere / Le diuin salut.

D tiones ferè ſemper copulentur; vt Orationi Dominicæ Angelica ſalutatio ſubiungatur. Atqui hæc duo præclarè conueniunt: dantque admirandum pariter depromta ſaporem. Quidni panem eſſe dicam Dominicam orationem,& cęleſte iſtud Aue,fauum mellis? vt meliorem dent iſta guſtum pronunciantibus,quàm quęlibet deliciæ eas ſumentibus. Non immeritò huc adducam illud Numerorum de ſuaui cæleſtis Mannæ eſu; dum facerent ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati:ſubiecerim ego; panis melliti.

Cæleſte ferculum.

Num.11.

Salutationem hanc Angelus Gabriel è cælo attulit, quando à Deo miſſus,ſanctiſſimam illam ſemperque virginem Mariam ſalutauit; ei denuncians, quòd Filium Dei eſſet de Spiritu ſancto conceptura,modoq; prorſus admirando eundem paritura. Qui aſſumta ex Virgineo corpore naturæ noſtræ ſubſtantia, tamquam fructus ſaluberrimus,& ſuperbenedictus, genus humanum eſſet redemturus; quod per infelicem illum vetitę arboris fructum primorum parentum culpa perditum,& morti æternæ obnoxium factum fuerat.Hoc nobis in mentem reuocant pia illa S.Elizabethę verba,dum Dei matrem ſalutaret,prophetico ſpiritu pronunciata: *Benedictus fructus ventris tui.* Quæ verba verbis Angelicis & Euangelicis addita, cum adiuncta ſanctorum Patrum, totiuſq; Eccleſiæ à Spiritu ſancto edoctæ concluſione; plenam vſitatamq; hanc ſalutationem reddunt. Verba autem Eccleſiæ auctoritate adnexa,ſunt hæc: Sancta Maria,Mater Dei,ora pro nobis peccatoribus; nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

D.Virginis Mariæ encomiũ.

Luc.1. Deut.28.

Fructus huiuſce Salutationis à Fidelibus frequentatæ, ſunt complures & eximij.Primùm maximi illius beneficij memores reddimur, quod Deus per Deiparam virginem in filio ſuo voluit inchoare,& in generis humani redemtionem benignè conferre. Deinde inexplicabilis eſt exiſtimationis diuæ Virginis clariſſimum encomium, quam diuina bonitas pereunti mundo prouidit,& gratiæ inuentricem, vitæ genitricem,ac reparatricem omnium, vt nouam Euam pro veteri illa merè morientium matre, clementer exhibuit. Vt mirum nemini videri debeat,ſi Chriſtiani id non ignorantes, etiam à pueris, Orationi Dominicæ hanc diuinam ac ſolatij pleniſſimam ſubiiciant Salutationem. Fructus enim haud exiguus etiam iſte eſt, quem ex hac Fideles conſequuntur; dum quidquid à Deo per Chriſtum Dominum noſtrum obtinere deſiderant, præſtantiſſimæ huius Aduocatæ patrociniis atque interuentu non dubitant promereri. Nam vt rectè D.Bernardus: Mariam venerari vult, qui totum nos habere per Mariam voluit.

Fructus Salutationis Angelicę.

Bern.in Natiu.B.Mariæ.

Sed nouiſſima mellifluę huius Salutationis ac orationis verba paulò penitiùs attendamus. Meritò profectò adiicimus: Ora pro nobis peccatoribus,nũc & in hora mortis noſtrę.Ipſa ſiquidem ſtella maris, amari

Mariæ cur mortis noſtræ hora commendata.

amari huius sęculi, est. In quo turbido pelago pereunt plurimi, pauci euadunt. Idcircò, qui in vitæ suæ fluxu & nauigatione, in hoc sidus, Deo vt polo proximum, coniiciunt oculos; qui sacratissimam Mariam cogitant, honorant, inuocant, & quà datur, imitantur, ad ipsius exemplum, vitæ suæ nauem & cursum dirigentes; illi non iactabuntur vanę glorię vento, non frangentur scopulis aduersorũ, nec absorbebuntur Sirenæa voragine voluptatum: sed prosperè vela facient, attingentq; portum quietis æternæ. Sicut audacter dicit D. Bernardus: Ille solus, ô virgo beata, tuas laudes sileat, qui te fideliter inuocatã, senserit vnquam in suis necessitatibus sibi defuisse. Maria, inquit idem, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ. Et quid mirum? Gratia enim plena & superefflluens, quomodo nõ ad leuissimũ ictum exundabit? Si phialam vino plenam contigeris, parúmve impuleris; liquor supereffluet. Ideoq. in plenam, Spiritu sancto superueniente, descendit ille, in quo est plenitudo diuinitatis & gratiæ, & de cuius plenitudine omnes accipimus; vt illa nobis supereffluеret.

Bern. in serm.

Coloss. 2.
Ioan. 1.

Horam autem mortis, singulari solicitudine, hac D. Virginis tutela muniri oramus, quia tunc maxima premitur moriens necessitate; tum ob deficientis naturę angustias, tum propter futuri exitus incertitudinem, tum etiam ob hostis nostri, tunc maximè sęuientis insultus. Habet enim, teste D. Ioanne, tunc iram magnam; sciens, quòd modicum tempus habet. Sed, benedictus Deus, qui, ne daret nos in captionem dentibus illius beluæ infernalis; tot vndique concurrentibus anxietatibus, singulari præeminentia hac matrem suam Virginem Mariam donauit vt homini morienti eius patrocinium imploranti, & solatio esset, & præsidio. Ac rectè quidem: sic enim in mundi primordio, ab ipso omnium cõditore Deo, in prolapsi iam generis humani solamen, prænunciatum fuerat: *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Tu quidem, versute coluber, etiam vitæ hominis extremo, vt calcaneo, strues insidias, vt retrorsum ruat, nequeatq. resurgere in posterum, sed in desperationis barathrum cadat. At erit misero refugium, & auxilium singulare. Inimicitias ponam inter te & mulierem; & inter semen tuum, & semen illius: Et ipsa conteret caput tuum. Hinc optimè D. Bernardus: Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus es; Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipsam rogitans non erras; ipsam cogitans non desperas: ipsa protegente, non metuis.

Apoc. 12.

Genes. 3.

Bernardus in serm.

Quæ cùm ita se habeant, quis non illam toto vitæ suæ decursu deuotè colat, vt in mortis articulo sentiat patronam? Huc spectat frequens illud campanæ signum, quo statis diei temporibus Fideles ad D. Virginem salutandam, Christiq. incarnationem & mortem mente

memorandam inuitantur. Eò etiam referendus est sanctus ille Rosarij recitandi vsus: quem dum obseruamus, non solùm Deiparæ Virginis laudes, & dignam celebramus venerationem; sed & Domini nostri Iesu Christi inexhaustam beneficentiam, in redẽtionis humanæ munere exhibitam; ac æterni Patris immensum per hæc in nos beneficium, ac incomprehensibile S. Spiritus opus, magna cum gratiarum actione commemoramus. Adeò vt honos iste ac quiuis alius beatissimæ Virgini exhibitus, in totius sacratissimæ Trinitatis honorem ac laudem tendat.

Quandocunque igitur Angelicum hoc elogium, Diuam Virginem salutantes, efferimus; omni curandum est diligentiâ, vt, quantum fieri per infirmitatem humanam potest, eam quam in Gabriele fuisse scimus deuotionem, reuerentiam, & charitatem, in cordibus nostris excitemus. Vt hoc pacto, illum etiam in ipsa beatissima Dei mater Maria erga nos affectum & amorẽ prouocemus, quo accensam fuisse non dubitamus, quando hæc eadem cælo profecta verba Angelo loquẽte accepit. Immò, si fieri potest, ita nos hanc Salutationem obeamus, eamque ita ipsa suscipiat, ac si iam primùm Angeli Gabrielis ore manantem acceptaret. Vt verè cum Ecclesia ei dicere possimus; Sumens illud Aue Gabrielis ore. Quemadmodum enim notum est naturaliter illis vnumquemq. dictis maximè permoueri, quæ olim aliquando prolata, singularem in animo audientis affectum motumque pepererunt: ita dubitandũ non est, quando cor illud D. Virginis ęstuãs charitate, his verbis piè pulsatur, quin nouo ac vehementi modo sauciatur, ad exaudiendum, conferendumque, quod piè postulatur. O quantus tunc ibi cordium in tam deuota salutatione sibi mutuo correspondentium iubilus! quantum gaudium! Specimen aliquod tam opimi concursus expetimus? S. Ludouicus in sua peregrinatione Perusium venit, diu desideratum Ægidium S. Francisci socium visurus. Ægidius à ianitore vocatus, ad conueniendum in porta peregrinum, diuinitus de Regis aduentu edoctus accurrit: pariterque flexis genibus, in mutuos ruunt amplexus, neutro interim vel verbulum proferente; vtpote quod vtrique alterius cor pateret.

Aue Maria, deuotè pronunciandum.

Laur. Surius 25. Aug.

Oratio ad habendam Spei firmitatem.

Bonitas tua, benigniss me Iesu, hic nobis gratiã est elargita, & in futuro promisit gloriam; proq; his aliisq; salutaribus donis nos docuit exorare; quare nos fiducialiter agere, quæsumus, & doce confidere; vt non solùm hæc ore & corde postulemus, sed amodò quasi spe teneamus. Amen.

CAP. XX.

Hæc quoq. prome, quibus vis ignea ſpirat Amoris.
Quod Natura iubet; Deus, atq; Eccleſia mater.

Charitas quid?



QVANDOQVIDEM Deum, in omnibus, & ſuper omnia, & propter ſe ſolum, diligere debemus, vt qui vnus ſummum æternumq. bonũ exiſtit: deinde proximũ propter Deum; vt qui inter nos, omnes Adæ filij ſumus, eandemq. Dei gratiam & gloriam nobis conciliabilem habere poſſumus: rectè Charitas dicitur virtus diuinitus infuſa, quâ ſincerè diligitur propter ſe Deus, & proximus propter Deum. Hinc etiam Charitas eſt velut ardor quidam cordis inflammati: quia qui credit & ſperat, is etiam à Deo hoc igne incenditur, ad tam bonum dominum amandum, omniaque ad debitum eius cultum & honorem facienda, quæcumque ei grata ac placida fore nouit; ſiue ea diuinam ipſius maieſtatem, ſiue noſtram noſtrique proximi ſalutem concernant. A B

Lex triplex.

Vniuerſa, in quibus ſe Chriſtianus, quoad hunc amorẽ, debet exercere, triplici lege continentur; Naturæ, Dei, & Eccleſiæ; ſicut Reſponſio clarè oſtendit: quæ tamen omnes vim Legis Diuinæ aliquo modo ſortiuntur.

Lex Dei per Moyſem.

Dei Legem illam communiter vocamus, quam Moyſes in monte Sinai, in duabus tabulis lapideis à Deo accepit: quam Chriſtus etiam poſtmodum in mundum veniens renouauit, confirmauit, & perfecit. Dicebat enim: *Non veni ſoluere Legem, ſed adimplere.* Venit, quod amplius eſt, ſcribere eam digito ſuo, hoc eſt, Spiritus ſancti gratiâ, in cordibus Fidelium; ſicut per Prophetam promiſerat: *Dabo legem meam in viſceribus eorum: & in corde eorum ſcribam eam.* Quod & D. Paulus enucleat pro rei dignitate, dum ait: *Epiſtola eſtis Chriſti, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Iuxta promiſſionem Dei olim per Ezechielem factam. *Auferã cor lapideum de carne eorum: & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent.* Per cor lapideum; durum, & ad mandata Dei inflexile intelligitur: per carneum verò; non carnale, nec cereum in vitia flecti; ſed ad nutum facile, & obſequens in bonum. C

Matt.5. *Ierem.31.* *2.Cor.3.* *Ezech.11.*

Eccleſię pręcepta & Lex gratię.

Præceptis Eccleſię elucidantur ex parte mandata Dei, habentq; à Deo vim ſuam & efficaciam. Nam voluit Chriſtus, vt Eccleſiæ obediretur: Apoſtolica quoque & Eccleſiaſtica mandata ſeruarentur. Obedientia autem hæc Eccleſiæ præpoſitis debita, hoc nititur fundamẽto, quod Chriſtus ipſe hiſce verbis poſuit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Item: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Item: D

Ioan.20. & 17. *Luc.10.*



Hæc quoq; prome, quibus vis ignea ſpirat Amoris.
Quod Natura iubet: Deus: atq; Eccleſia Mater.

Wat hebben wy daer by, dat treckt op Liefde pure?
Godts thien gheboden wy; der Kercke: en der Nature.

A quel exercice, Cognoit on l'office, De la Charité?
A ce qu'on procure, Ce que Dieu, Nature, L'Egliſe a mandé.

Item: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

Quia verò hæc fusè & dilucidè à Catechistis tractantur; obiter tantùm attigisse sufficiat. De lege autem Naturę paulò pluribus agere est animus, quòd illa, ex parte, iam extra omnem naturam eliminata videatur.

E Lex Naturę, vt quæ omnia comprehendit, quę tum homini fugienda, tum facienda sunt, his paucis verbis continetur: *Declina à malo, & fac bonum*: ad quæ omnia reliqua præcepta referuntur. De hac lege, ita ad Romanos Apostolus: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Exempli gratia hoc proferre possumus, quod D. Augustinus ait: Furtum punit lex tua, Domine: & lex scripta in cordibus hominum. hoc est, Lex per Moysem à Deo data, & Lex Naturæ, à Deo cordi humano naturaliter indita. Ita & Iob, instinctu ductuque rationis naturalis, non tamen citra mouentem Dei gratiam, quæ in primis semper est necessaria, iustè ac religiosè viuebat, vt dicit Scriptura: *Erat simplex & rectus, ac timoratus, & recedens à malo.* Atque innuens, quòd Legis huius Naturalis impulsu, ac directione, sua omnia faceret, sic ipse ait, vt qui solum Dei instinctum, internum habeat directorem: *Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.* Hęc notitia, & agendi ratio, duobus modis homini à Deo naturaliter manifestatur; primo, interiùs infundendo lumen; altero, proponendo (vt inquit D. Thomas) suæ sapientiæ signa exteriora velut quædam Dei vestigia, sensibiles scilicet creaturas. Iuxta illud Apostoli: *Inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: quia in illis, sicut in quodam libro, Dei cognitio legitur, & voluntas.

Lex Naturæ. Rom. 2. Augustin. Iob 1. Iob 23. Rom. 1.

Itaque neque vsquam vnquam ab initio vel verbo tradita, vel scripto mandata fuit Lex ista Naturalis, sed ita in cuiusq; corde impressa reperitur: tamque aliena tamen hodie est ab hominum moribus, vt intus in corde, & foris in manibus considerata, ruborem cuique mortalium meritò inferre debeat. Scriptam posteà legimus, tam in veteri quàm in nouo Testamento; duobus quasi membris, quoad proximum nostrum, constantem. Dixit Tobias filio suo: *Quod ab alio oderis fieri tibi; vide ne tu aliquando alteri facias.* Vicissim Dominus noster: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines; & vos facite illis.* Duo ista membra, vnicam solummodo legem condunt, quæ hoc intus loquitur: Fac alteri, sicut tibi factum velles: iuxta rectam scilicet rationem. Sunt namque aliqui adeò ab omni ratione deuij, vt inordinato quopiam appetitu, & mala animi libidine sibi nonnulla fieri optent, quę certò in animę perniciem vergant; hæc eadem tamen non liceat alteri etiam sic optanti præstare. Exempli gratia: Si quis (vt fit prô

Tob. 4. Matth. 7.

dolor!) ita poculis excipi cupiat, vt inebrietur; is non debet alterum paribus excipere poculis: quaſi dicat: Cuperem mihi fieri; faciam & illi. Et ſic de omnibus malis, ſiue libidinis, ſiue gulæ, ſiue iniuſtitiæ affectibus, qui omnes rectæ rationi diſſentiunt. Talia tantùm ſub hanc Naturæ obligationem cadunt, quę cum Deo, conſcientia, ac recta ratione conſiſtunt.

Lex Naturæ, antiquiſsima.

Hæc omnium prima, atque antiquiſſima eſt legum, quia in ipſa hominis creatione eidem eſt ingenita, atque infuſa: hanc in ſe quiſque reperit, ſimul atque ad vſum aliquem rationis venit. Natura, Deo auctore, huius magiſtra eſt & doctrix; etiamſi nunquam quidquam audiretur, legeretur, vel in ſcholis diſceretur. Tantæ eſt tamen illa præſtantiæ, vt per illam valeat homo & peccatum fugere, & erga Deum, ac proximum, exercere charitatem: quando, Dei gratia illum ſtimulante ac mouente, quid in corde ſuo ſcriptum gerat, attenderet, illudque ſequi vellet.

Quocirca, ſi hodie homines eam penitiùs lęgem inſpicerent, crebriusque animo reuoluerent; non eſſent tam tardi in operibus charitatis proximo impendendis; neque tam duri atque implacabiles, ſi quando alterum alter offendit. Non eſſent etiam tam promti atque alacres, ad aliis detrahendum; & ad alienos defectus exaggerandos, potiùs quàm extenuandos. Hinc ipſa etiam experientia teſte, in nobis ſentimus; vt quantum nos malè habet, dum vitia noſtra à quoquam in lucem proferuntur; tantum nos vice verſa delectet, quando aliorum defectus & maculas aliis poſſumus explicare & prodere.

Si quando mali quid geſſimus; ſepultum hoc, ac quaſi denſiſſimis ignorantię tenebris occultatum optemus: at è contrà quando proximus noſter, vel in minimo ceſpitauit, etiam fortè vbi peccatum nullum ineſt, id tamen toti mox mundo velimus perſpectum: neque ceſſamus, quantum in nobis, donec veniat in lucem. Delectat nos ſi proprium vitium occultetur; ſin verò proditur, mœrore afficit. Et è contrà, cùm eadem vtriuſque eſſe deberet ratio, torquet nos alieni defectus ſilentium, & euulgatio mirè delectat, & recreat. Quid hoc rei eſt? Aliud præterea nihil, quàm defectus charitatis, & quædam Legis Naturalis obliteratio.

Legis Naturæ efficacia.

Non poſſit propterea homo pręſentius remedium, & magis promtum ſpeculum optare, in quo ſtatim, quid ſibi tali caſu agendum ſit, videat, præcipuè erga proximum, hoc eſt, quemuis hominem, quàm protinus cogitare: Quid mihi, ſi tali ſim loco, factum velim Si quid mihi tale accidiſſet, feciſſémve; quid optem? num taceri, tegi, excuſari? an verò eliminari, vulgari, & exaggerari? Si tali eſſem in neceſſitate, qualis hunc illúmve conſtringit; quid mihi fieri deſiderem? Sine dubio, laboranti ſuccurri optem. Quare, ſic faciam huic proximo, vt

mihi

mihi cuperem fieri. Quod, ſi ita actu ipſo verè adimpleremus; id omne ſtudium, omnem librorum lectionem, diſputationem ac Philoſophiam ſuperaret. Nam quod legis, audis, aut etiam theoricè ſpecularis; elabitur facilè, neque etiam volenti occurrit: at iſta lex & lectio, ſemper in corde ſcripta viget; & conſpicua eſt ad nutum volentis intueri, ſignatum eſt lumen iſtud ſuper nos, quaſi inexterminabile: eſtque homini ad manum, inſtar tabellæ ac pugillarium memoriam refricans. Quid ergo dicturi ſumus, quòd Lex iſta ita à cordibus hominũ videtur euanuiſſe, aut eraſa funditus; atque ſi nunquam eis tale quid inſcriptum inſculptumque fuiſſet? Quid hinc aliud colligamus, quàm ipſam Naturam deficere; diemque illam ingruere, in qua libri illi, in quibus Lex iſta ſcripta eſt, aperientur, & ex quibus in conſpectu totius vniuerſi, vnuſquiſque iuſtum iudicium, & digna factis præmia eſt accepturus? Tum demum intelliget mundus, quanti fuerit momenti, vel Legem ſaltem Naturalem adimpleſſe, per Dei gratiam, qui eam Naturæ indidit; quando audietur & videbitur, ſolam dilectionem fraternam, atque opera miſericordiæ vel factę, vel neglectæ, pondus ferendæ ſententiæ ſuſtinere. *Pſal. 4.*

In hanc ſententiam ita loquitur D. Leo; In illo magno ſummoque iudicio tanti ęſtimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas; vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro ſumma omnium commiſſorum; & per vnum malum iſti in ignem mittantur æternum, & per vnum bonum illi introducantur in Regnum. Leo ſerm. de Apparit.


Hinc rectè D. Auguſtinus, poſtquam dixiſſet; Miſericordiam Stoicorum eſt ſolere culpare. Sed quanto honeſtiùs ille Stoicus miſericordiâ perturbaretur hominis liberandi, quàm timore naufragij; ſubdit; Longè meliùs, & humaniùs, & piorum ſenſibus accommodatiùs in Cæſaris laude locutus eſt Cicero; vbi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior, miſericordiâ eſt: quod nos ad Chriſtianam miſericordiam charitatemque iure optimo transferamus. Nam vt optimè ſcribit Hugo de laude Charitatis; Neſcio quid maius in laude tua dicere poſſum, quàm vt Deum de cęlo traheres, & hominem de terra ad cælum eleuares, magna virtus tua. *Aug. de Ciuit. Dei, lib. 9. cap. 5.* *In Orat. pro Q. Ligario.* Hugo.

Oratio pro charitate augenda.

Spiritus ſancte Deus, Patris, ac Filij charitas inexplicabilis, igne amoris tui, quo vniuerſam terram illuminaſti & accendiſti, corda noſtra adurere dignare: vt per mandatorum tuorum obſeruantiam, inter filios Dei munerari mereamur. Amen.

CAP. XXI.

Ecquid opum Christo sancita Charismata seruant? Nostræ non opibus Pretium venale salutis.



MNIBVS hoc Christianis est notissimum, *quòd non corruptibilibus, auro vel argento, redemti sumus* (vt inquit D. Petrus) *sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, Christi; qui* (vt Paulus ait) *dedit Redemtionem semetipsum pro omnibus*. Hoc pretium nostræ salutis in Sacramentis, velut pretiosissimis vasis, Christus reposuit; quæ gratiam quam significant, etiam continent, conferuntque: ac sunt quasi viuifica instrumenta, quibus Deus salutem nobis morte sua partam, in nobis quotidie salubriter & efficaciter operatur. A

1. Pet. 1. 1. Tim. 2. Sacramenta, Salutis pretium.

Est autem Sacramentum diuinæ & inuisibilis gratiæ externum & visibile signum, à Christo institutum, vt per id quisq; Dei gratiam accipiat, atque sanctificationem. Vt exempli causâ, in Sacramento Baptismi, exterior ablutio, efficax & signum ablutionis interioris: vtpote testimoniũ præbens indubitatum, quòd anima spiritualiter purificetur, dum corpus exterius, cum certa verborum forma, aqua abluitur.

Sacramentum quid?


His salutaribus remedijs nobis benignissimus Dominus noster prospexit, suaq; gratia potiri fecit, ab initio vitæ vsque ad finem eiusdem. Per Baptismum, statim atque in mundum nascimur; & per sacram vnctionem, vbi ex hoc seculo sumus migraturi: intermedio vitæ nostræ tempore per hæc eadem Charismata nobis consulit, quacunque in re ad salutem animæ nostræ atque perfectionẽ opus fuerit. Adeò vt sint nobis instar fontis patentis, in medio domus Dauid, hoc est Ecclesiæ, qui septem saliens scatebris omnium seruit necessitatibus: vt quantuscunque sit peccator; quantumuis sordidus, saucius, æger, excęcatus, pauper, catenatus, grauatus, & oppressus fuerit; remedium hîc suo inueniat malo. Vt malum nullum sit tam immedicabile, cui in Ecclesia non inueniatur medela; vsq; ad extremũ vitæ spiritũ. B C

Zach. 13.

Quocirca, non est quòd quisquam, tametsi peccatorum pondere prægrauatus, tentationibus carnis, & dæmonis insidiis appetitus, animum despondeat: dummodo facti pœniteat, & veniam ac gratiam expetat, ad sancta hæc animæ remedia, spe magna recurrat, ijsque debitè vtatur. In his namque omnis spes viæ, & vitæ, ac demum ipse omnium nostrûm Saluator.

Alioqui, si neglexerimus, meritò rogare nos poterit illud Prophetę: *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi?* ac si dicat animæ, quoad salutẽ iam deploratæ, peccatis pressæ, & damnationi ob id obnoxiæ: vnde ista fœditas, vulnerumq; exulceratio ex peccati lue? nunquid

Ierem. 8.



Ecquid opum Chriſto ſancita Chariſmata ſeruant?
Nostræ non opibus Pretium venale ſalutis.

Wat ſyn de Sacramenten, van Chriſtus ingheſtelt?
Ons ſalicheyts preſenten: eelder dan goet oft ghelt.

Combien d'energie, Recoit noſtre vie, Des ſaints Sacramens?
Le prix et la grace, Du Rachapt ſen paſſe, Aux eſprits croyans.

quid non fuit in Ecclesia tali malo remedium? aut medicus spiritualis, à Samaritano summo constitutus, defuit? Fuit proculdubio, etiam pro omnibus mundi morbis, & vulneribus, & millies pluribus. Rogat itaque consequenter: *Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* quare igitur, ô anima fidelis, curata non es à peccatorum tuorum plagis; cùm ita restaurari potueris, vt nec cicatrix quidem, hoc est memoria ad confusionem, esset remansura? Quid respondebitur? Ratio alia non suberit, quàm quòd fluentibus huius septiformis fontis gratiæ riuis vsa non fuerit. At dices, quis quantúsve horum est vsus?

Sacramentorum vsus efficit vt continua sit gratiæ, & promissionis Christi in Ecclesia fruitio, familię eius recta ordinatio, & indeficiens corporis eius mystici, hoc est Ecclesiæ, conseruatio. Per Baptismum siquidem regeneramur; sicuti Natiuitas in vita mortali initium hominis est. Per Confirmationem augemur, & roboramur. Eucharistia nutrimur, & reficimur; sicut cibo corporali homo secundùm carnem pascitur, viresque restaurat. Per Pœnitentiam spiritualiter à peccatorum morbis vulneribusque curamur, & sanamur. Ordinis Sacramentum ad necessariam salutarium mysteriorum & ministeriorum dispensationem, spiritualemque filiorum Dei multiplicationem pertinet. Matrimoniũ ad humani generis propagationẽ, Ecclesię augmentum, & electorum consummationem confert. Postremò, per Extremam Vnctionem, infirmus, quatenus ei expedit, in ægritudine recreatur, peccatorum in primis onere leuatur, ac in extrema illa lucta, nouo Spiritus sancti robore armatur; vt quando in exitu anima ab hoste communi acriùs impugnatur, singulari etiam gratię consolatione fulciatur. Sic tota vita sua homo Christianus sanctis Sacramentis adiutus, feliciter ad vitam transit immortalem. Sacramentorũ vsus, & fructus.

Eoque pluris est facienda sanctorum horum Charismatum certa præstantia & vtilitas, quòd neque administrorum indignitas ritè accipientes à fructu priuet. Iuxta D. Augustini sententiam: Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus. August. contra Epist. Parmen. lib. 1.

Oratio, cum gratiarum actione pro munere Sacramentorum.

LAus, honor, & gratiarum actio, in perpetuas æternitates, Domine Iesu Christe, qui verè Agnus immaculatus es, qui per mortem tuam animarum nostrarum pretium ac remedium statuisti; quæsumus, vt illa in nobis semper, ad vitæ æternæ fructum, valeant operari. Amen.

CAP. XXII.

Quâ mihi fas tantos illinc excerpere fructus?
Crede: Cole: & castus cælestibus Vtere donis.

Tria ad fructum Sacramentorum necessaria.



RIA potissimùm, ad fructum ex sacratissimis Sacramentis referendum, sunt in nobis necessariò requisita. Primum, indubitata fides; qua credamus, illa à Christo ad nostram salutem instituta, gratiā illam, quam significant, verè etiam continere; & ritè vtentibus conferre. Secundum, venerari, & in maximo honore nos illa habere debere. Tertium, debito esse modo, ab Ecclesia vsurpato, illis vtendum.

Fides.

Hæc tria continet paucis responsionis versiculus. Quoad primum, præter iam dicta, credendum firmiter, septem illa numero omnibus antiquæ Legis Sacramentis virtute & vtilitate antecellere; verbo & elemento, hoc est, certa verborū forma, & re externa vt materia, constare: ministrum illa idoneum requirere: in ministro rectam debere esse intentionem; & fidem in suscepturo; & si quæ alia huius generis.

Reuerētia.

Exod. 30.
Isaiæ 52.

Quoad secundum, reuerentiam scilicet debitam; meritò tam sancta pignora in honore habenda sunt. Quia, si sanctificari eos oportebat, qui vasa veteris sacrificij laturi erant; eaque magna cum circumspectione, præ reuerentia, contingere; quanto magis res ipsas sanctas, quarum omnia præterita vmbræ tantùm erant? Huc spectant etiam cerimoniæ, & ritus illi externi, tum ad rem ipsam aliquatenus explicandam, tum etiam ad maiorem reuerentiam Sacramentis ipsis adhiberi. Honos autem iste in venerabili Sacramento Eucharistiæ reliquorum venerationi supereminet; vt & ipsum Sacramentum omnium summum ac præcipuum est; quia auctorem omnium reliquorum, & Dominum ipsum continet. Ideoque istud non solùm dum sumturi sumus, sed etiam vbicunque asseruetur, exhibeatur, vel quocunque deferatur, latriæ cultu adoramus. Quem in finem, dum ad ægrotos defertur, nolæ signo, & prælata face monetur populus, in genua procidere, debitumque cultum exhibere: quod tali ritu non obseruatur, quando sacrum oleum, ad extremam Vnctionem conferendam, defertur. Quia in Sacramento Corporis Domini, hoc etiam peculiare est, præ reliquis; quòd in se, etiam extra vsum, consistat, & permaneat: reliqua verò, in ipso actu tantùm, quo conferuntur, vim nomenque Sacramenti obtineant. Hinc etiam, per eminentiam sacratissima Eucharistia, nomine communi, Sacramentum appellatur.

Vsus debitus Sacramētorum.

Iam verò, quod ad tertium in Sacramentis vtente requisitum, attinet; vt scilicet debito id modo faciat; habet vnumquodque præscri-

ptum.



Quâ mihi fas, tantos illinc excerpere fructus?
Crede: Cole: et castus cælestibus Vtere donis.

Tot salicheyt ó vermeeren, Wat dientter toe ghedaen?
Gheloooft: en houdtse in eeren; en wiltse wel ontfaen.

Que conuient il faire, Pour a tel mystere, Bien nous apprester?
Foy, et reuerence, Pure conscientie, S'y doibt apporter.

ptum ritum, quo illud suscipiendum est; tam quoad animi, quàm quoad corporis constitutionem. Neque enim illa sunt parui facienda, quæ contemta sacrilegos faciunt. Licet enim interdum exteriora reuerentiæ signa, & cęrimoniæ, ex causa remittantur, vel etiam omittantur; sine tamen sacrilegio contemni non possunt; ad cultum siquidem Sacramentis debitum pertinent. Interior verò honos, qui in conscientiæ maximè puritate, rectaque animi compositione consistit; omnino deesse non potest.

Quoad honorem qui S. Sacramentis exhibendus est, meritò dici potest, præcipuum omnium, Deoque acceptissimum, in vsu digno constitutum esse, illorum præsertim quæ ex frequentatione laudem vtilitatemque maiorem conferre solent. Hoc enim maximę est gratitudinis argumentum, debitique honoris indicium; quando collata beneficia gratanter acceptantur, & hilari animo in vsum deducuntur. Et è contrario, vitio vertitur; & dedecus danti inurit, iramque prouocat, si quis beneficium repudiet, vel accepto non vtatur: etiam si alioqui verbis ac vultu, gratitudinis & honoris signa exteriora prętéderet. Rectus vsus Sacramentorum honor pręcipuus.

Quocirca, sanctis Dei mysterijs honorem extremis labijs, gestuque aliquo corporali exhibere, illisque non vti, exiguum sanè est gratitudinis argumentum; nihilque proderit in rei veritate. Non enim instituta illa sunt, primaria Christi intentione, vt honorentur; sed vt tempore & loco illis vteremur. At, quia omni honore interim dignissima sunt; sunt ideò ex consequenti etiam honoranda. Viderint igitur illi, qui pretextu huius maioris honoris, ac reuerentię, rarò confitentur & Corpus Christi sumunt, quod & semper ita, eo modo facturi essent, nisi præcepto Ecclesiæ, ad semel in anno communicandum, compellerentur. Manna tales considerent, singularem veri panis angelorũ figuram. Sic de eo scriptũ legimus: *Ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna:* Psal. 77.
ad quid? ad honorandũ? ad summa cum admiratione & veneratione exclamandum, *Man hu? Quid est hoc?* Mirandum verè, & in honore habendũ, quod & ideò honorificè in vrna aurea, in arca inaurata, in tabernaculo asseruari à Deo iussum est: optimè: sed pręcipuè; *ad manducandum.* Ita Corpus & Sanguinem Christi diuino cultu honoramus, sed primarius honos in vsu consistit. Vnde non satisfaciunt Christi intentioni, qui pretextu honoris & reuerentiæ, ab vsu se excusant.

Oratio ad S. Sacramentis benè vtendum.

O Mitissime Iesu, vere animarum nostrarum Samaritane, da nobis gratiam, quæsumus, vt in sacrorum Sacramentorum fide, cultu, atque vsu, exacti atque alacres inueniamur; quia in illis, spes, salus, & vita nostra consistunt. Amen.

CAP. XXIII.

Quomodo Chriſtiadũ explebo iuſtũq; bonũque? Deteriora fuge: & prudens meliora ſequare.

Iuſtitia Chriſtiana. 1. Pet. 3. 1. Pet. 2.

MAGNI momenti ſententiam huic propoſito conuenientem profert D. Petrus Apoſtolus. *Iuſtus* (inquit) *pro iniuſtis mortuus eſt*. Quare, niſi (ſicut antè dixerat) *vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus*? Quod & D. Paulus aſſerit: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit*. Item, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo*.

2. Cor. 5.

1. Pet. 3. Pſal. 33. & 36.

Officium Chriſtianæ iuſtitiæ in eo conſiſtit, quod dicit Apoſtolorum princeps, ex Pſalmiſta: *Qui vult vitam: declinet à malo, & faciat bonum*. Quemadmodum ex arbore ſteriles rami reſecantur, vt noui ſuc- A
creſcant ſurculi; vel aliunde aſſumti meliores inſeruntur: ita homo Chriſtianus, quæ igni nouerit deputanda, dimittit; & quæ vitę æternæ præmio ſcit remuneranda, aſſumit. Huc etiã ſpectat quod D. Pau- B
lus; *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia*. Æquum & iuſtum eſt, vt cui facultas datur, veſte noua accepta, veterem, tritam, laceram, atque obſoletã abijciat: ita iuſtitiæ eſt conſentaneum, vt Chriſtianus Chriſto induto, veterem hominẽ deponat. Sicut ſerpenti exuta per anguſtum C
aliquem ſaxi meatum veteri & rugoſa pelle, noua ſuccreſcit; ſic peccator per pœnitentiæ Sacramentum, vetuſtate peccati depoſita, iuuentutem renouat; & in nouum mutatur hominem.

Coloſſ. 3. Eph. 4.

Via arcta & ſpatioſa. Matth. 7.

Iuſtitiæ huius Chriſtiano homini debitæ exercitatio (qua deterio- D
ra deuitat vel deponit, & ſectatur meliora) non incongruè ſolet, Chriſto ipſo Præceptore, ſpatioſę viæ, & arctæ comparari; dum illâ vitatâ, iſta eligitur. Spatioſa ſiquidem, quæ vitiorum eſt, ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam; arcta autem ducit ad vitam; & pauci ſunt, inquit Dominus, qui inueniunt eam: quia ſcilicet nõ quęrunt. Solebat iſtud Pythagoras ad oculum ſuis in Y. Græco proponere, vitæ humanę curſum in ea deſignando; dum qui vitiis eſſent dediti, per latam viam quaſi ſiniſtram literæ partem ingrederentur, & ad E
interitum properarent: qui verò virtutis tramitem tererent, per angu- F
ſtiorem dextrorſum eiuſdem literæ callẽ incederent, in fine coronandi. Documentũ, re vera, etiam Chriſtiano Philoſopho digniſſimum.

Litera Pythagorę.

Virgilius Epigr.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.

Triſtem tandem illorum exitum, qui plauſibilem illam ſpacioſamque viam



Quomodo Chriſtiadum explebo iuſtumq; bonumq;?
Deteriora fuge: et prudens Meliora ſequare.

Waer in is onser daet Rechtveerdicheyt gheleghen?
Int laten van het quaet: En in het goet te pleghen.

Quelle eſt la Iuſtice/Et le bon office/Du parfait Chreſtien?
Quil prenne bien viſte/De tout mal la fuitte/Et quil face bien.

viam ingressi, terribili posteà fine gaudia sua & voluptates terminant, viuo penicillo depingit beatus Iob: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos; & in puncto, ad inferna descendunt.* Iob 21.

Ad vitæ sanctitatem, ac Iustitiæ huiusmodi Christianæ studiũ, nos satis sufficienterque exstimulare deberet, quod D. Ioannes Apostolus tam honorificè super hoc boni studio statuit: *Qui*, inquit, *facit iustitiam, iustus est: sicut & ille* (Deus) *iustus est.* non minùs nos horribili sententia ab illo spatiosæ viæ ingressu deterrendo, dum subdit: *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Quid hîc dubij subesse queat, vtrum horum sit eligendum? An iustitia, seu virtus, per quam quis Deo similis efficiatur; an verò malum & iniquitas, quæ eum quasi diabolum, vtpote ex diabolo profectum, constituat? Citra omnem hæsitationem, meliorem elegerunt sortem omnes illi, qui, relicta priori mala consuetudine, meliora complexi sunt. Nihil hîc dubitauit Matthæus, nihil Zachęus, telonarij, publicani, plenisque quod aiunt velis iniquitatem anteà consectantes, sed via sua, Christo illuminante & vocante, benè considerata, ab illa mox pedem retulerunt, rectisque Christi vestigiis institerunt. Ita Saulus ex persecutore Ecclesię, Apostolus Christi factus est. Sic Maria Magdalena, ex lebete phiala facta; & ex vase contumeliæ, in vas translata gloriæ est. Ita Augustinus & heræsios Manichæorum, & dissolutioris vitæ detestata insania, & Episcopus, & Religiosus, & doctor Ecclesiæ est factus. Quidni & Mariam Ægyptiacam hîc commemorem, quę ex vulgari veluti vitiorum cloaca, sanctissima Christi cultrix effecta est? Quid vetat etiam Pelagiam annumerare, quę præ pœnitudine se vitiorum pelagus nominans, in cælestem sponsi Christi paradisum, & spiritualis voluptatis hortum est conuersa? Quæ, vt pro effœminata fœminei sexus vilitate, masculum induens animum, generosa pœnitentiæ ac virtutum facinora tutiùs exantlaret; virili etiam assumto habitu, vastam ingressa solitudinem, ad mortẽ vsque ita Christo seruiuit. Sic Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas mutat: quando, qui malũ didicerunt, eo relicto incipiunt benè facere. At de his distinctiùs sequenti capite differemus.

1 Ioan. 3.

Cõuersionis verę, à peccatis exempla.

Sabell. lib. 5. cap. 5.

Ierem. 13.

Oratio ad bonæ vitæ studium sectandum.

Bonum & malum, ignem & aquam, cælum & infernum, mihi Domine Deus ante oculos statuisti, libertatémque dedisti eligendi: Tua me quæso semper gratia conseruet, & adiuuet; vt relictis malis, quæ recta sunt eligam; eámque constanter, quæ ad vitam ducit, viam ingrediar. Amen.

CAP. XXIV.

Quæ fugienda mihi mala sunt, cane peius & angue?
Peccatum: Et quidquid peccato porrigit ansam.

Noxiorum omniũ nocentissimũ Peccatum.



Hoc à natura homo accepit, vt quidquid sibi noxium fore formidat, euitet & oderit. Nocentissimum autem omnium est peccatum, quodque maximum homini inferat detrimentum: sicuti in 84. capite latiùs ostensuri sumus; vbi quid maximo damno sit inquiritur. At nunc quid sit peccatum, audiamus.

Tria peccatorum genera. Originale,

Peccatum, teste D. Augustino, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Tria sunt peccatorum genera. Primum, quod Originale vocamus, à primo generis humani parente transfusum, in conceptione nostra contrahimus, & in eo omnes nascimur. Ita tamen vt hinc Diuam virginem, Dei matrem, tanquam ab omni peccato præseruatam excipiamus; & sanctos quosdam, qui licet in Originali peccato concepti, in vtero tamen matris ab eo liberati, & sanctificati sunt; vt fuit Ieremias, Ioannes Baptista aliique. Alterum est Mortale, seu mortiferum peccatum; quod videlicet contra Dei seu proximi charitatem committitur; ita dictum, quòd vitam spiritualem eripiat, ac mortem animę peccanti inferat. Mors etenim ista à Deo Deique regno separat; & ęterno eum supplicio dignum facit, qui illud perpetrarit. Tertium peccati genus est Veniale; quod quidem non contra Dei proximique charitatem fit, sed aliquomodo contra Dei voluntatem. Id ita vocatur, quod eius à Deo venia facilè impetretur, vtpote quod hominem Dei inimicum non efficit. Errant proinde, qui ob id quotidiana eiusmodi peccata dici arbitrantur, quòd quotidie, quantumuis etiam grauia sint, committantur; vt qui quotidie ebrij sunt, quotidie iram, inuidiam, & magnam iniustitiam exercent, lites serunt, cædes moliuntur; sed quotidiana Teutonicè, venialia vocantur, quia sine his vix viuitur, iuxta illud Iacobi: *In multis offendimus omnes*. & illud Sapientis: *Septies in die cadit iustus, & resurgit*. Solent ista volanti per aëra pulueri comparari, quem haud facilè effugias, at excutias facilè.

(Mortale, — Veniale. — *Iacob. 3.* — *Prouer. 24.*)

Peccatum hoc mortem non infert animæ, ideò nec mortale dicitur; sed spiritum obnubilat, virtutem impedit, & retardat; atque exercitium Christianæ religionis, salutisque profectum remoratur. Sicut atomi & volantes puluisculi hominem non excæcant quidem, sed obtutum impediunt, aciem hebetant oculorum, & tandem eò cæcitatis adducunt, si non obstatur, vt carissimum lumen amittatur: ita venialia pec-



Quæ fugienda mihi mala ſunt, cane peius, et angue?
Peccatum: Et quidquid peccato porrigit Anſam.

Welck is dat ſelſaem quaet; dat vns ſoo ſeer bevlect?
De ſonde; en alſulck ſaect, dat vns tot ſonde trect.

Quel mal veus tu peindre, Qui ſoit tant a craindre, Plus que nuls tormens?
Peché: et en ſomme, Ce qui tire l'homme, Aux debordemens.

lia peccata, quamplurima etiam, licet mortale vnum nunquam constituant, ad mortale tamen tandem sui neglectu deducunt.

Peccatum tam monstrosum quid, adeò inane, tamque damnosum est, vt vix sciatur, cui rei meritò debeat comparari. D. Iacobus Apostolus in Canonica sua Epistola, viam vtcunque nobis strauit, vt aliquam saltem peccati delineationem ob oculos statuamus, illud de- Peccatum, monstrũ.
A uitare volentibus; dum sic ait: *Concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* suggestione enim diaboli, primum quasi peccati semen, praua ingesta cogitatione in animo, siue etiam mundi aut carnis tentatione concipitur; tum delectatione, quasi secundo ad peccatum gradu, fouetur, dum animo adlubescit; & demum proprio assensu, dum in peccatum voluntas allecta deliberatè consentit, perficitur. Ex hoc tum consensu, peccatum ipsum consummatum vitâ ęternâ priuat, & illâ quàm ex Deo habebat homo; & insuper morti perpetuæ obnoxium facit. Iacob. 1.

Possit etiam ista, super modo loquendi Apostoli, depingi peccati effigies; rudi saltem Minerua adumbrari, ne nullam eiusmodi ha-
B beant peccatorum amatores horroris ac fugæ occasionem. Arborem aridam imaginemur, cuius radicem serpens liuido dente demordeat; atque ita, succo in virus mutato, medullitùs infecta, mortem mortisque inuentorem diabolum proferat. adeò mortifera, ac diabolica Peccati figuratio.
C res est, si res dici debet, peccatum; talemque facit peccatorem. Qui in fructu igitur tam detestando tamque damnabili voluptatem capit; viderit num tam deplorandi fœtus mater esse desideret, tam infelix, ac miserabilis; quæ id pariat, quo sibi æternam à Deo diuulsionem, ignemque inexstinguibilem acquirat.

Dum igitur in confesso est, peccatum cane peius & angue fugiendum, execrandumque esse; sequitur, id omne quoque sedulò vitandum, quidquid ansam peccato porrigere noscitur: vt sunt occasiones omnes, pręsertim temporis, loci, & personarũ, quę ad peccatũ viam muniunt, inuitant, ac quasi manu ducunt. Eiusmodi etiam sunt omnia illa, ex quibus hostis animarum diabolus, aut corrupta etiam carnis nostræ natura, primum fomitem tentationis ad peccatum arripiunt: sicuti etiam principium omnis sinistræ ad peccatum motionis cordi ac curæ esse debet, peccatũ ipsum euitare cupientibus. Quem- Peccatum fugiẽdum præ omnibus malis. Occasio peccati fugienda.
D admodum enim puer, cui præcipitur, caueat ne in ignẽ, vel in aquam cadat, haud dubiè, satis non facit, si à lapsu solùm sibi cauendum existimat; idque tum primùm, quãdo iam labat & nutat, casui proximus;
E tunc enim sera nimis cura est: sed etiam ab omnibus periculis, & quæ ad lapsum inducunt, sibi debet prospicere: qualia sunt, iuxta ignem vel aquam ludere; ignem transilire, titiones ex foco arripere; per ripæ littorisve crepidinẽ cursitare; flumina vel mare futili ac rimosa scha-

pha tanquam ſcirpea rate traijcere;noctis vnius glaciem percurſare,& ſexcenta ſimilia.Fallitur,certũ eſt,quiſquis ſic cum puero cogitat; mihi peccatum prohibitũ eſt;ne in adulterium,fornicationẽ,vel furtum, aliúdve quodcunq; delictum incidã:ergo reliqua omnia, modò à lapſu mihi caueã,non eſt quod tantopere declinẽ. Quia ſi tunc tantùm ſibi à lapſu cauere cogitat,quãdo iam ad illum propenſus hæret, & cadere incipit;ſtultè ſe in certũ periculum mittit.Si enim præcipitia, lubricitatem, fragilitatẽ, impulſionem,hoc eſt,periculum,immò vt veriùs dicam,lapſum ipſum,ante lapſum nõ deuitat,quomodo ſibi à lapſu,cùm iã labitur,cauere poterit?Hęc eſt vafri illius colubri primęua nequitia;quâ,quidquid ad lapſum inducit,incurię pallio tegit;& quãto magis ad miſerorum ruinã properat,tanto minus, quidquid deterrere à caſu poterat, animaduerti permittit: facitque,vt niſi cùm iam ruunt,periculum non videant. Hæc eſt etiam temeritatis noſtræ iuſta punitio; vt qui malũ imminens præuidere noluimus,per ea,quæ præcurrebant,pręſens illud iam vitare nequeamus,licet in ipſo lapſu horrore quodam concutiamur. Diſcant itaque leues illi adoleſcentes, & adoleſcentulæ, qui hoc tantùm ſemper in animi ſui cuſtodia verſant: Non licet id mihi; peccatum eſt:Nolo eò me deijcere,neque tam mei eſſe immemor;ſic honoris iacturã facere;ita animæ meæ ſalutem parui pendere,vt hoc cõmittam:Nequaquam:fas non eſt:abſit à me.Rectè id quidem;ſed non ſatis ad cautelam:quia etiam his omnibus non obſtantibus, quotidie videmus eiuſmodi, ex mentis ſuæ ſpecula, in profundum talium quoque peccatorum prolabi,quę tam fixè ſibi fugienda præſumſerãt;quia occaſiones,prænuncios,præambula,& præludia,(ſi ludum,animæ perniciem vocare liceat, cùm verè ipſis inſtar ludi ſit)non euitarunt. Sunt enim liberiores intuitus,attactus,oſcula, collocutio familiarior,pereuntis virginitatis, & iamiã moriturę principia,vt loquitur D.Hieronymus. Si quis enim tantùm cogitet, cauendum mihi ne vulneratus occumbam,néve inopinata me mors abripiat; & interim nec iacula,nec mille alia mortis ſpicula, etiam dum poſſit,euitat;ſine dubio, ſtultus eſt,ſi tunc mortẽ fugere velit, quando iam ſtricto gladio hoſtis iugulo imminet, aut letale poculum influit.

Vafrities diaboli pericula tegentis.

Pereuntis virginitatis principia. *Hierõn. in vita S. Hilarionis.*

Id autem eſt diſcriminis inter pericula huiuſmodi corporis atque animæ, tempori præcauenda, quòd ad corporalia mala declinanda prẽmonitore non ſit opus, ſatis enim illa præuiſa fugiuntur; in ſolis verò miſeræ animæ periculis vt plurimum ſerò ſapimus.Rectè itaque vtrumque præſcribitur fugiendum: & peccatum; & quod peccandi anſam præbet.

Peccati horror.

Quoad peccatum ipſum,quàm illud ſit homini Chriſtiano abominandum, vel ex ſola illa Senecæ ſententia, notatu digniſſima,colligi poteſt: Etiam ſi ſcirem Deos ignoſcituros, & homines ignoraturos; adhuc

Seneca.

adhuc, propter peccati vilitatẽ, peccare dedignarer. Generoſum verè, & omnibus Chriſti cultoribus dignum animum, ſanctamque ſuperbiam! adeò vt, tametſi homo verè Chriſtianus Gygis annulo potiatur (cuius ille præſidio, pala intra palmum verſa inuiſibilis, vt Plato, Cicero, alijque commemorant, & Reginæ vim intulit, & Regem trucidauit, Rexque ipſe Lydiæ factus eſt) omnemque habeat mali perpetrandi licentiam cum impunitate coniunctam; nolit tamen (quod verè officij Chriſtianæ Iuſtitiæ eſt) peruerſum quidquam meditari. Gygis annulus. *Plato lib. 2. de Republ.* *Cic. 3. Offic.*

Quoad occaſionis, & anſæ mali fugam, conſtat experientiâ magiſtrâ, quanti ſit momenti, illam vel ſtudioſè declinaſſe, vel oſcitanter neglexiſſe. Vnde enim vulgatum illud, atque omnium ore tritum prouerbium; Occaſio facit furem? Multi ſiquidem nunquam furari in animum inducerent; ſed, occaſione oblata, furantur. Occaſio facit furē.

Quæritur, Aegyſthus quare ſit factus adulter? *Ouid. lib. 1. de Rem.*
In promtu cauſa eſt: deſidioſus erat.

Otium occaſio lapſus ei fuit; aliis aliud: vtpote potus, ſatietas, incautus adſpectus, nimia familiaritas. Hinc prudentes parentes, ac ſuperiores omnem ſuis ſubditis præſcindunt peccandi occaſionem. Eua quomodo in ſerpentis caſſes incidit? occaſiones non vitauit, ſed amauit periculum. Ita Dina per occaſionem, ſtuprum paſſa eſt. Giezi Eliſei famulus per occaſionem, auarus, fur, & ſacrilegus euaſit. Atque ita in ceteris. Vix vnquã muſculus, auicula, vel piſciculus caperentur, niſi è muſcipula, tendicula, & naſſa eſcam peterent, & periculo per occaſionem ſe exponerent. Sic ferè de omni peccatorum lapſu, & captura. Aegyſthus adulter. *Geneſ. 34.* *4. Reg. 5.*

Vnde non immeritò Lyſander, filiarum ſuarum periculum, in occaſione mali ipſis ſtructi, maturè dimouit. Cùm enim Siciliæ tyrannus quidam pretioſas ipſis veſtes atque ornamenta varia, cum varijs aureis & argenteis donis miſiſſet; pater noluit illas munus accipere; quòd illarum honori indubiè inſidiaretur. Ne igitur ipſę caperentur, non acceperunt. *Plutarch. in Lacon.*

Huc Ægyptiorum quoque mos ille antiquus poſſit adduci, vt fœminæ calceos non geſtent; vt diſcant non egredi domo. Nemo namque neſcit, quot peccandi occaſiones inueniat euagatio, & mundanarum rerum affluentia.

Oratio pro peccatorum fuga.

PEccatum, ô Domine Ieſu mors omnium eſt noſtrûm, & pernicies, ideóque illud, tu qui vita es noſtra, morte tua abſorbuiſti: Da nobis gratiam, ſic peccatum omne vitandi, vt etiam quidquid in malum hoc inducit, valeamus declinare. Amen.

CAP. XXV.

Quis ſeſe primus ſcelere inceſtauit iniquo? Lucifer, æterna Veri ſtatione relicta.

Lucifer primum peccatum commiſit: in cęlo.



VCIFER ſupremus ille, ac ſplendidiſſimus angelorum, primus primum omnium peccatum procudit, qui alios complures cæleſtes ſpiritus ad conſenſum pellexit, ſimulque ſecum cæleſtis patriæ exſortes fecit. A

Statim enim atque Deus, omnium conditor, cęleſtem hanc nobiliſſimamque angelorum naturam crearat; Lucifer pulchritudinem, nobilitatem, atque eximiam naturæ ſuæ dignitatem perpendens, ſeſeque magnificè intuens quòd ceteris creaturis antecelleret; neque verò agnoſcens quam à Deo acceperat gratiam, neque media quibus ad conſummatam ſupernaturalemque beatitudinem pertingeret; efferri cœpit, & cupiditate faſtuoſa incitari, ad locum illum ſummum, & Chriſti humanitati debitam excellentiam, propria ſua virtute occupandam; quę in ſacro eloquio Dextera Dei nuncupatur. Hocque B ſuum præſumtum votum affectatamque ambitionem aliis angelis indicauit; quaſi diceret, (quod Spiritu ſancto per Prophetam reuelante cognouimus) *In cælum aſcendam: ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum: Similis ero Altiſsimo.* Et eodem momento, mox angeli boni ac ſinceri ad Deum ſe conuertentes, eiuſque gratiam contemplantes, & ex fide, Chriſti paſſionem pręuidentes, cui à Deo ſublimis ille locus, atque officium Mediatoris iure conſignaretur debereturque; prauum illud, furtiuum, ac ſacrilegum cœptum, Luciferique auſum iniquiſſimum deteſtati ſunt, eique reſtiterunt: eoque facto in bona illa ad Deum conuerſione confirmati, perfectique, Deo inconcuſsè adhærentes, ab ipſo pariter clara ſui vultus viſione, certaque æternæ beatitudinis fruitione, donati ſunt.

Iſa. 14.

Mali verò angeli, hoc eſt, à Lucifero perſuaſi, & ſeducti; (ex ſingulis, vt creditur, choris aliqui; ſimul fortè tertiam totius angelici exercitus partem facientes) ad eius imitationem ſuæ quoque pulchritudinis facti ſpeculatores; ac ſupernaturalem, quæ eis adhuc deerat, beatitudinem non attendentes; ſed per naturalem propriam virtutem, Luciferique vt mediatoris ope id præſumentes, eique ob id conſentientes, conſpirantes, & adhærentes, iuſto omnes Dei iudicio, cum duce ſuo, cælo ſunt exturbati, & in infernum pręcipitati. Iuxta illud Prophetæ: Deo ita per ipſum loquente: Dicis ô Lucifer, *Aſcendam*: C Non ita, ſed, *ad infernum detrahêris; in profundum laci.*

Iſa. 14.

Porrò Lucifero eiuſque aſſeclis veluti pertinaciùs agentibus, neque illico



Quis ſeſe primus ſcelere inceſtauit iniquo?
Lucifer : æternâ Veri ſtatione relicta.

Wie waſſer oock ſo ſot, die eerſt ſonde heeft ghedaen?
Lucifer: die in Godt, nocht Waerheyt, en bleef ſtaen.

Scait on la matrice, D'ou vient la malice, Du premier peché?
C'eſt l'orgueil damnable, De ce miſerable, Du Ciel trebuché.

illico cedentibus, ſanctus Michaël archangelus, ſanctus Gabriel, ſanctus Raphaël, & tota fidorum ſpirituum potentia ſe rebellibus opponentes, eos cæleſtibus ſedibus exegerunt. Idque eſt quod Chriſtus innuebat: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Cauſamque ruinæ tam infandæ ſatis apertè deſignauit cùm aliàs diceret: *Homicida erat ab initio: Et in veritate non ſtetit.* Seſe etenim, & quotquot eius venenum hauſerunt, Deumque ipſum, quantum in ſe fuit, ſpirituali quodam modo internecioni dedit. Id quoque erat, quod D. Ioannes in admiranda ſua Apocalypſi conſpexit. *Viſum eſt aliud ſignum in cælo: Et ecce Draco magnus, rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli.* Poſtea addit. *Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone. Et draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt: neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas; qui ſeducit vniuerſum orbem. Et proiectus eſt in terram: & angeli eius cum eo miſsi ſunt.*

Luc. 10. *Ioan. 8.* *Apoc. 12.*

Hæc eſt prima illa atque damnabilis peccati perpetratio; & Luciferi tanquam tantæ temeritatis auctoris, omniſque adhærentium catervæ de cælo deiectio: à qua mox in gehennæ ignem, non quidem ab æterno, ſed ex tempore, tum ſibi ſuiſque miniſtris præparatum, demerſi ſunt.

Ex eo tempore ſpiritus illi nequam, qui Dei permiſſu in caliginoſo hoc aëre pendentes in electorum exercitium relicti ſunt, infirmum genus humanum quaſi ingenito odio mille artibus ad peccatum tentare, & illicere cœperunt: tum extrinſecus mala ſuggerendo, tum infirmitate domeſtica, ac propriæ imbecillitatis in malum procliuitate, in noſtram ipſorum perniciem abutendo.

Diaboli ad exercitium hominum hîc relicti.

Poſt primum itaque peccatum à Lucifero eiuſque conſortibus in D cælo commiſſum, etiam paulo pòſt in terris, per primos parentes, inſtigante diabolo, malum eſt perpetratum. Ex quo ſequitur, ſi primum peccatum in cælo ab angelis; ſecundum in Paradiſo à protoplaſtis in iuſtitia originali conditis factum eſt: quanto ſtudio, nos fragiles, longa vetuſtate deprauati, tot infirmitatibus ærumniſque circumuenti, ac repleti; tot inſidijs, tantis machinis, tam atrociter aſſidueque impugnati; in loco tam lubrico, tenebroſo, totque periculis expoſito, peccata, & quidquid ad peccatum poteſt inducere, vitare debeamus.

Secundum peccatum in Paradiſo cõmiſſum eſt.

Dignum obſeruatu, ac ſummopere admirandum, quàm ſubtiliter hominibus peccata ſubrepant, occaſionibus præſertim cuniculos agentibus. Vt nec ſanctitas, neque potentia, neque ſapientia tutum immunemque ab eorum reddant inſidiis. Nec enim Dauid, vir ſecundùm cor Dei; nec Samſon, hoſtium terror, leonum domitor; ne-

Tentationis vehementia.

que

que orbis miraculum, ſapiens Salomon, peccati machinamenta ſic ſuſpecta habuêre, vt non ſuccumberent. Quid nos, neque ſancti, neque fortes, neque ſapientes, præſumemus? Quid, vbi, vel quando non verebimur?

Deinde, quemadmodum primum peccatum in cęleſti (vt dictum eſt) & primum in terreſtri paradiſo commiſſum, ex ſuperbia vt malo quodam fonte manauit; ita ferè ſemper ſuperbiæ ſtimulis homo agitatur, quando ad peccatum laceſſitur. Illa ſiquidem ſe omnibus certo modo peccatis miſcet, aliquando planè euidenterque, aliquando verò perobſcurè, & quaſi in receſſu quodam ſe occultans. At ſceleratæ huius impugnationis, per gloriæ propriæ appetentiam, qua & diabolus primùm ictus (Ero, inquit, ſimilis Altiſſimo) & generis noſtri parentes, quaſi in prima ſtantes acie proſtrauit, ingeſto eodem prorſus telo (Eritis ſicut Dij) & quotidie adhuc ex eadem pharetra tela depromens nos inceſſit, exempla aliquot proferamus.

Gloriæ cupiditas cauſa peccati.

Bonauent. in vita S. Frãciſci. *F. Leonardus.*

Cùm frater Leonardus cogitationum ſuarum talium ſtimulis tacitè impeteretur; circumuentus fuiſſet, niſi maturè qui eum eriperet inueniſſet. Beatum namque Franciſcum aſello inſidentem ipſe pedes comitatus mente voluere cœpit, quanto ante illum quondam ierit generis nobilitate, potentiaque ſæculari. Franciſcus ſpiritu ſancto edoctus, vt intellexit gliſcentem in præcordiis comitis tumorem, ſtatim deſiliens, aſellum ſe illi cedere dixit, ſeque potiùs pedibus iter facturum, eò quòd obſcuriore loco natus eſſet. Agnouit frater ille inſolentis cogitatus culpam ſat apertè obijci: & miratus deprehendi potuiſſe, ad pedes eius prouoluitur ſupplex: pertęſumque peccati cautiùs deinceps humilitatis propoſitum ſeruaturum promiſit.

Verùm quantis lacrymarum, penè dixerim, fluminibus deplorandi ſunt illi, qui hoc œſtro perciti, medicam non admittunt manum! ſed cum aculeo diabolicum ſimul hauſerunt venenum, quo peſtis illa tumido ſemper animo confota magis ac magis inualeſcit: iuxta illud Propheticum: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Iulianus apoſtata cùm lethali vulnere, incerto auctore telo diuinitus directo percuſſus, in Perſide ad fluminis ripam iacêret, tametſi ſe ob ſpretã Chriſti Religionem mori in extremo vitę tempore ipſe confiteretur, ſeque à Nazareno victum agnoſceret; conſilio tamen cum ſacerdotibus ſacrilegis inito, ſe clàm in fluuium pręcipitare voluit, vt diuinitus raptus videretur. En primæuam, quam dixi, incenſam ſuperbiæ cupiditatem. Sed cum auctore diabolo in profundũ inferni demerſus eſt.

Pſalm. 73. *Nicephorus lib. 10. ca. 37.* Iuliani apoſtatę arrogantia.

Ælian lib. 12 de var. hiſt. Menecratis medici vanitas.

Menecrates medicus, cùm morbos quoſdam deſperatos, ac parum curabiles ſua arte ſanaſſet, ipſe morbo inſanabili (de quo ago) cœpit laborare; Iouem Deorum ſummum ſeipſum appellans. Vnde cùm ad Philippum Macedonum regem ſcripſiſſet, tali vſus eſt exordio: Philippo

lippo Menecrates Iupiter ſalutem. Ad ea cùm reſpondiſſet Philippus, in hunc modum orſus eſt epiſtolam: Philippus Menecrati ſanitatem. Significauit autem latenter, hominem non eſſe ſanæ mentis, qui ſe Deum eſſe fingeret.

Quid de Herodis quoque inſana gloriæ cupiditate dicemus? titillationem Luciferi ſe & ſenſiſſe & fouiſſe facto teſtatus eſt. *Statuto namque die veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad populum. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſsit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo: & conſumtus à vermibus exſpirauit.* De Antiocho quoque nimiùm inſoleſcente ſuperbiâ, idem ferè legimus. *Qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, humiliatus ad terram*, ſcaturientibus è corpore vermibus, nec proprium ferens fœtorem, ſic moriens dixit: *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo: & mortalem non paria Deo ſentire.*

Herodis affectatio. *Act.* 12.

2. *Mach* 9. Antiochi præſumtio.

Intolerandę eiuſmodi ſuperbiæ, modumq́ue omnem excedentis propriæ exiſtimationis exemplum, cum adiuncta talibus debita caſtigatione, in vxore quondam Ducis Venetiarum deſcribit Petrus Damianus. Erat hæc (anno 998) Conſtantinopolitanæ vrbis ciuis, quæ tam tenerè & delicatè viuebat, magnæ ſuperbiæ argumento, vt non modò ſuperſtitioſa ſed artificioſa quoq; iucunditate ſe mulceret: Nã communibus aquis ſe dedignabatur abluere; ſed ſerui eius rorem cæli ſatagebant vndecunque colligere, ex quo laborioſum ei balneum procurarent. Cibos quoque ſuos non tangebat, ſed ab eunuchis eius alimenta quęque concidebantur in fruſta, & fuſcinulis aureis ori ſuo liguriens ipſa adhibebat. Cubiculum eius tot thymiamatum aromatumq́ue generibus redolebat, vt fidem videatur excedere. Sed quàm fuerit Deo fœminæ huius exoſa ſuperbia, manifeſta docuit vlciſcendo cenſura. Ita corpus eius omne computruit, tantumq́ue fœtorem emiſit, vt vix vna dumtaxat ancilla ei ſeruiret, quę raptim accederet & pręintolerabili fœtore ſtatim fugiẽs abſcederet; viuum cadauer dicere licuiſſet. Facilius igitur peccatum peccatique occaſiones tempeſtiuè vitare, quàm Dei manus effugere: & præſertim ferream illam & longam æternæ damnationis virgam.

Petrus Damian. Cæſ. Baron. in *anno* 998.

Oratio contra ſuperbię ambitionisq́ue vitium.

ADmirabile & iuſtum iudicium tuum, Deus, ſuper Lucifero eiusq́; ſequacibus manifeſtè monſtratum eſt: Corda noſtra, quæſumus, ab omni præſumtionis incentiuo defende, vt tibi humiliter ſeruientes, conſtanter etiam adhærere mereamur. Amen.

CAP. XXVI.

Crimina cur censes quædam capitalia dici?
Cætera Lernæa velut hinc ceruice resultant.

Deut.7.



QVEMADMODVM septem erant in veteris Testamenti tempore Gentes & Regna, quæ filiis Israël ingressum in Promissionis terram prohibere conabantur: ita sunt septem præcipua peccatorum genera, quę filios Dei ab introitu in promissam terram viuentium, hoc est, Regnum cælorum arcêre contendunt. Et sicut opus erat, robur illarum gentium armata manu conterere, & ita debellatis illis, tranquillè, terram lacte ac melle manantem possidere: sic necesse est, septem hæc capitalia regna, saluti nostrę repugnantia, fortiter pugnando deuincere; & ita in supernę patrię, omni suauitate atque vbertate abundantis, requiem introire. *Regnum* enim *cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud*. Ad hoc autem, obseruandum illud aduersus hæc vitia est, quod erga Gentes illas Dominus obseruari populo suo præcipiebat. *Percuties eas, vsque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia. Quin potiùs hæc facietis eis: Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosq; succidite, & sculptilia comburite. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo.* Quid aliud tanta hac seueritate clemens Dominus, qui & inimicos diligi vult, significare intendit, quàm vt nullum nobis cum capitalibus istis inimicis, peccatis inquam, esset commercium? Ne fortè cogitaremus, simul hæc duo posse consistere; & Domino seruire, & Mammonæ; vitia ac virtutes colere. Vsque ad internecionem tam praua est exterminanda generatio: habet enim quodque horum capitaliũ vitiorum (quod liquet è Catechismo) stirpem suam, pestilentemque genealogiam. Habet Superbia suas filias, & suas habet Auaritia, & ita de reliquis: vt & virtutes primarię his septem oppositæ suas habent prosapias. *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam ipsius accipies filio tuo*, inquit ibidem Dominus: *quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis.*

Septem peccata capitalia.

Matth 11.

Deut.7.

Ne autem animum in superandis prauis istis peccatorum quasi nationibus, præ numero & potentia earum, despondeamus, audi quęso, quid solatij contra hoc suis dederit Dominus: *Si dixeris in corde tuo; plures sunt gentes istæ, quàm ego; quomodo potero delere eas? Noli metuere: sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni. Non timebis eos, quia Dominus tuus in medio tui est, Deus magnus, & terribilis: ipse consumet nationes has.* Audite D. Bernardum regum horum hostilium proteruiam formidantem, & opem diuinam inuocantem. Veni Domine Iesu, aufer

Bernard. Homil. 4 super Missus est.



Crimina cur censes quædam Capitalia dici?
Cetera Lernæâ velut hinc ceruice resultant.

Waerom werden die seuen Hooftsonden soo ghenomt?
Want sy den oorspronck gheuen, daer dander quaet uyt komt.

D'ou vient que les crimes, Tirez des abismes, Sont dits Capitaux?
De ce que leur teste, Produit et reiette, Mille et mille maux.

fer ſcandala de regno tuo,quod eſt anima mea;vt regnes tu,qui debes, in ea. Venit enim auaritia, & vindicat in me ſibi ſedem. Iactantia cupit dominari mihi.Superbia vult mihi eſſe Rex.Luxuria dicit,Ego regnabo. Ambitio,Detractio,Inuidia, & Iracundia, certant in meipſo, de meipſo, cuius ego potiſſimùm eſſe videar. Solatij itaque magni loco eſt, quòd Deus in medio noſtri eſt, quando bonam conſcientiam habere conamur. Et quod additur : *Ipſe conſumet nationes has, in conſpectu tuo paulatim, atque per partes.* Magnæ eſt prudentiæ hoſtem ſuum paulatim comminuere: vitia ſenſim in nobis expugnare.

Vitia in nobis regnum affectant.

C Septem hęc capitalia peccata, ſeptem illa capita ſunt draconis illius rufi; quem Ioannes in ſua Apocalypſi deſcripſit, vt capite ſuperiori, Luciferi cauſa, protulimus. Suntque ſeptem illa dæmonia, ad peccatum nos pellicientia, quæ in peccatorum multitudine è Maria Magdalena eiecta fuerunt. Quæ dum vacuam animæ noſtræ domum inhabitatum veniunt; faciunt poſteriora peiora prioribus: niſi per inhabitantem Spiritum ſanctum, qui eſt dulcis hoſpes animæ, & per D verum virtutum ornatum ſpiritus ille nequam & ſerpens verſipellis excludatur.

Apoc. 12.
Marci 16.
Luc. 11.

Contra capitalia, habemus in præſidium virtutes ſeptem oppoſitas; vt cuique facilè eſt, virtutem ſuam cuique vitio opponere. Superbiæ Humilitatem,&c. Septem quoque dona Spiritus ſancti, nobis in bello tam acri conſilium,robur, & arma ſuppeditantia. Et præ omnibus viuifica ſeptem Chriſti Sacramenta, quæ certam nobis victoriam pariunt: in ſeptem cornibus Agni manifeſtata Ioanni: & in ſeptem tubis præſignata.

Varia ſeptena præſidia contra ſeptem vitia capitalia.

Capitalia hęc ſeptem peccata vocantur,non quòd ſemper mortalia ſint; quia leuis inanis gloria, leuis animi ad iram commotio, &c. venialia ſunt tantùm : ſed ſic vocantur; quòd ſint veluti fontes, vel capita reliquorum : è quibus reliqua omnia vbertim, abundanterque ſcaturiunt.

Oratio contra ſeptem peccata Capitalia.

O Ieſu, vere Ioſue, per deſertum mundi huius nos ad terram cælorum promiſſam ducis, vbi omnis boni eſt abundantia; ſed à ſeptem peccatis capitalibus magnum patimur impedimentum: In adiutorium noſtrum intende, quæſumus; vt illis ſuperatis, eò valeamus peruenire, vbi pax vera, & requies eſt æterna. Amen.

CAP. XXVII.

Cur ais in Sanctum commissa piacula Pneuma?
Numinis aduersa bonitati fronte quòd obstant.

Peccata in Spiritum sanctū sex.



VT quanta sit sex peccatorum in Spiritum sanctum commissorum peruersitas, quęque nominis ratio, clariùs intelligamus; donorum ac fructuum S. Spiritus benignitatem, munificentiam atque vtilitatem paucis antè in memoriam reuocemus: tunc enim manifestiùs videbitur quantæ sit indignitatis, tam pium ac bonum Dominum, tam liberalem benefactorem, nō solùm offendere, sed etiam contemnere & impugnare; quando eius clementiam, dulcedinem, ac largitatem attenderimus.

Isaiæ 11. Septem dona Spiritus sancti.

Sunt in primis septem præclara Spiritus sancti dona, quę à Propheta Isaia recensita, Christo attribuuntur eorundem largitori. Super Christum requieuerunt, & ab ipso, seu fonte omnis gratiæ, in alios, quibus suum elargitur spiritum, deriuantur. Sunt autem: *Donum Sapientiæ, donum Intellectus, Consilij, Scientiæ, Fortitudinis, Pietatis, ac Timoris Domini.* His donis, tanquam oleo gratiæ Christianus delibutus, adiuuatur, ad alacriùs, faciliùs, cumque interno animi gustu virtutes omnes exercendas, & ad promptiùs mandatorum viam percurrendam: sicut currum videmus benè inunctum, fortibus equis tractum, omnique adiutum adminiculo, celeriùs rapi: & nauem velociùs mare peruolare, si benè vncta, prospero vento, & prudenti sit prædita gubernatore. Cùm alioqui & currus stridêre sub onere, & gemere præ molestia quasi audiatur, ac præ difficultate murmurare, subsidere, figi: ac nauis vel huc illuc deflectere, impingere; vel, quod peius est, fatiscere, ac naufragium pati videatur. ita hominis vita, si sancti Spiritus gratia ac donis, ipsoque demum rectore destituatur. *Sed vos* (inquit
1. *Ioan*. 2. Ioannes) *vnctionem habetis à sancto.*

Duodecim fructus Spiritus sancti. *Rom* 8. *Gal*. 5.

Sunt præter hæc etiam fructus eiusdem S. Spiritus mirifici, qui præcipui duodecim numerari solent; vt à D. Paulo censentur: *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.* Idcirco hi fructus Spiritus sancti appellantur, quòd vbi ille est, hęc & eiusmodi operatur, ac producit; sicut arbor fructus suos facit, ex quibus etiam dignoscitur. Sic & malignus spiritus fructus malos ex carne, seu mala arbore progignit, qui valde amari, & noxij sunt, mortem gustantibus adferentes. At fructus Spiritus sancti, spiritus boni, recti, ac principalis, dulces, boni, ac viuifici sunt; in omni opere bono dulcedinem suam ostendentes.

Tanta igitur benignissimi Numinis perspecta benignitate, & in nos muni-



Cur ais in ſanctum commiſſa piacula Pneuma?
Numinis aduerſa bonitati fronte quod obſtant.

Wat ſyn ſonden ghedaen, teghen Godt Heylich Gheeſt?
Alſulcke die weerſtaen, Godts goetheyt aldermeeſt.

Quand dict'on ſe faire, Qu'un peché contraire, Soit au Saint Eſprit?
Lors qu'on contremine, La bonte Diuiné, Contre elle despit.

munificentia ac bonitate, en quàm indigna, ac omnibus modis detestanda illorum vesania est, qui non iam ex ignorantia, aut infirmitate, sed ex mera malitia tam bonum offendunt Dominum. Quid dico, offendunt? qui bonitatem eius excludunt, repudiant; eique, quod est caput, quasi aperto Marte refragantur, ac resistunt, ne ex vitiorum cœno eximantur, néve facti meliores, cęlo tandem inserantur. Hoc est contra Spiritum sanctum peccare: hoc est oblatam Dei munificentiam & gratiam contemtim abiicere: hoc est, iuxta Christi verbum, peccare inexpiabiliter; vt nec in hoc, nec in futuro sęculo remittatur. Nō quòd vllum sit peccatum, cuius sit in hac vita desperanda remissio, modò pœniteat reum facti, rogetque veniam vt oportet, qui illud commisit; sed quòd difficulter ad remissionem veniatur, cùm gratiæ condonare volentis obsistitur. Quidam ita morbi incurabiles vocantur, non absolutè, sed propter curationis difficultatem, & raritatem; pręsertim, si medicorum consiliis & conatibus resistatur. *Matth. 12.*

Hac enim lege (vt egregiè P. Canisius in suo Catechismo) nobiscum agit Deus, vt nec gratiam in terris, neque gloriam in cælis tribuat aliis, quàm qui peccatum detestantur agnitum, & pręter id, bonum sibi proponunt, rectumque eligunt vitæ institutum. Ceterùm in hisce peccatis desunt hæc duo, & insuper id abiicitur, quo Spiritus sanctus, pro sua gratia, hominem à peccando solet reuocare. Hinc aut nunquam, aut rarò in gratiam cum Deo redeunt, qui sic peccant. *P. Petrus Canisius.*

Nominatim autem in Spiritum sanctum peccare tales dicuntur, quia gratia & bonitas Spiritui sancto specialiter, ceu fonti bonorum attribuuntur; sicut potentia Patri, & sapientia Filio. Hinc qui in Patris potentiam peccant, per infirmitatem peccare dicuntur: qui in Filium, per ignorantiam. At in Spiritum sanctum peccant, qui ex malitia. Petrus ex infirmitate, contra Patrem: Saulus ex ignorantia, in Filium: at ex malignitate, in Spiritum sanctum peccarunt Pharisæi, Iudas, aliique.

Nobis verò, non tantùm ne vmquam in Spiritum sanctum peccemus, danda est opera; verùm etiam econtrario sic nobis idem Spiritus cum D. Augustino exorandus; sanctum semper opus in me spira, vt cogitem; compelle, vt faciam; suade, vt te diligam; confirma me, vt te teneam; custodi me, ne te perdam. *D. Aug. in epist. quadam.*

Oratio pro Spiritus sancti gratia obtinenda.

Effunde super nos, clementissime Domine, Spiritum tuum sanctum, vt nunquam eius immensæ bonitatis gratiam offendamus; sed multiplicibus eius donis aucti & collustrati, videamus quæ agenda sunt, atq; eadem alacriter adimpleamus. Amen.

CAP. XXVIII.

Quis demens alieno accersit crimine culpam?
Peccanti accedens auctor fautorque malorum.

Peccata aliena nouem.



MERITÒ aliena quędam peccata vocantur, cùm tamen verè sint propria: quia licet aliorum manibus operaque perficiantur, nobis tamen etiam imputantur, nostrasque conscientias damnationis coram Deo reas constituunt; quòd cum iis qui illa committunt, in aliquo, ad peccata ea concurrimus, eisque communicamus. Hoc est, quod dicit Apostolus: *Ne communicaueris peccatis alienis.* quodque Psalmista Deum orat: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Nouem ista modis præcipuè committuntur: Consilio, Iussione, Consensu, Irritatione, Laudatione seu Adulatione, Reticentia culpæ alienæ, Conniuentia vel indulgentia, Participatione, ac praua Defensione.

1. *Timot.* 5. *Psal.* 18.

Dolendum, tam frequens & commune hoc esse multis malum, & à tam paucis æstimari, immò ne quidem animaduerti, cùm omnes hoc prętextu in peccatorum istorum cœno & liberè volutentur, & securè permaneant, quòd dicant tantùm, vel etiam solùm cogitent: Ego non feci. Hoc puerorum est, quando consodales se inuicem pugnis, saxis, vel etiam cultellis impetiuerunt; aliis interim consilium, atque animum dantibus, laudantibus ferociores, aut saltem neque impedientibus cùm possent, neque deferentibus ad eos, quorum esset ex officio tales insolentias castigarę: solent tunc tales incentores, & multis aliis modis in malum hoc concurrentes, se purgare, ac dicere: Ego non feci. Stultum est, neque culpam excusat. Alius peccatum fecit, & tu peccato illius communicando, etiam peccatum contraxisti. Vtinam non etiam adulti, ac parentes eiusmodi reperiantur, qui ita excæcati sunt, vt videant pueros peccantes, & non prohibeant, nec castigent, quin potiùs adulentur, & applaudant nequitiis suorum. Qui potest & debet malum impedire; peccat, si non facit.

Puerilis excusatio. A B C

Solent & fures sese excusare; furtumque in quod concurrunt, tegere; dum qui abstulit, dicit, Non habeo; qui verò habet, Ego non abstuli; qui excubias egit, vel alio modo iuuit; Ego non sum furatus. Ita his tricis mundus plenus est; & nemo considerat, quòd se ipsum palpet, & decipiat: cui nexui & receptatores furum, & furtorum coëmtores sunt impliciti. Et ita de omnibus alienorum peccatorum speciebus. Sic Pharisæi se incontaminatos custodiebant, vt putabant: ita & Pilatus lauabat manus, dicens: Innocens ego sum: Et milites iussa dominorum exequebantur; ita nemo fecit; & interim omnes in culpa sunt.

Furum fucus. D



Quis demens Alieno accersit crimine culpam?
Peccanti accedens autor, fautorue malorum.

Wie ist, die hem misgaet, int stuck van vremde sonden?
Die in eens anders quaet, ook weerdt besmet ghevonden.

Quand suis-ie coulpable, Du crime execrable, Cōmis par autruy?
Lors que tu le porte, Ou en quelque sorte, Tu consens a luy.

ſunt. Sed qui eum tradidit, Iudas & concilium impiorum, maius peccatum habebat: neque tamen Pilatus, neque milites innoxij.

E Adagium Belgicum eſt, etiam aliis vſitatum; Tantum facit qui pedem tenet, quàm qui vitulum excoriat; vel etiã iugulat. Sicut & Saulus nõ minùs S. Stephanum lapidauit, qui omnium veſtes cuſtodiendo, omnium etiã manibus cooperabatur; quàm qui facto ipſo in eum torquebant lapides. Nemo igitur ſibi nimium hoc velamento blandiatur, quo ſe modo mundus fallit, quòd immunem ſe à noxa exiſtimet, quia ipſe opere malum hoc non perpetrauit. Cùm hoc notatu dignum ſit in aliis hiſce ſceleribus, quòd qui peccatum fecit, culpæ reus eſt ſine dubio; & qui aliquo horum nouem modorum illi peccato communicat, eidem obnoxius eſt culpæ, neque minor propterea eſt noxa, quòd eadem vtrumque, & plures ſimul contaminet: ſicut è contrà dicimus, vna fidelia duos dealbari parietes; ita multi eadem pice contaminantur. Vnde etiam fit, vt quando peccati talis occaſione, reſtitutio aliqua facienda eſt, ęquè qui communicat malo, atque qui malum commiſit obſtringatur: quoad damnum illud, quod, niſi ipſe concurriſſet in alienum peccatum, non fuiſſet illatum.

Saulus veſtimenta tenens. *Act. 7.*

Vnde etiam conſtat, omnes illos (vt dicitur) ſine hoſpite computare, qui peccata ſua, vt debita ſic contracta, extenuant. Rectè autem ac prudenter facit, quicunque non ita aliena hæc tenet, vt ea ignoret, incautusq; in illa quotidie impingit: verùm à quo ita ſunt aliena, vt nullam cum eis ineat familiaritatẽ; ſed quaſi in extremas mundi oras relegata refugiat, & à ſe ableget. Hoc tanto rectiùs, quanto maiori à Deo improperio confunduntur, quibus dicitur, in vno, omnium nomine: *Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Quàm execranda peſtis illa inter Chriſtianos, eorum, qui vt in compotatiunculis, & comeſſatiunculis portionem aliquantulam non dico conferant, ſed accipiant, perditiſſimas obeunt functiones; adulteriis, ſcortationibus, & ſtupris ſubſeruientes, de quibus Propheta: *Poſuerunt puerum in proſtibulum, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.* Alieni non ſunt in criminibus, neque in tormentis futuri ſunt alieni.

Reſtitutio in peccato alieno.

Pſal. 49.

Ioel 3.

Oratio contra peccata aliena.

PVriſsime ac ſanctiſsime Domine Ieſu, qui peccatorum noſtrorum maculas in te ſuſcepiſti, tuóque eas ſanguine eluiſti: conſcientias noſtras, quæſumus, ab omni occulta delictorum coinquinatione & alienorum peccatorum communicatione conſerua; vt tibi tanto meliùs placere & ſeruire poſsimus, quanto ab his fuerimus alieniores. Amen.

CAP. XXIX.

Crimina quid, quorũ ferit altũ Clamor Olympũ?
Ocyus vltrices depoſcunt Numinis iras.

Peccata clamantia quatuor.



VIA in ſacræ Scripturæ voluminibus reperitur, eſſe peccata quædam adeò atrocia, tamque manifeſtæ improbitatis, vt diuinam iram & vltionem inſigniter iis, à quibus committuntur, accerſant, hinc illa clamantia in cælum A nominantur. Clamor autem ille non eſt aliud, quàm enormis eorum grauitas intuitu Dei, & intoleranda inhumanitas intuitu proximi. Clamant hæc peccata per ſe, ratione ſuęmet indignitatis; & ratione iniuriæ in proximum illatæ: clamore eorum ita oppreſſorum, quando præſertim apud humanos iudices non exauditi, neque defenſi, ad ſupremum iudicem Deum confugiunt; eique ſuos gemitus, lacrymas, & ſuſpiria repræſentant.

Duplex cauſa clamoris.


Quatuor eiuſmodi è ſacra Scriptura nũmerantur: Homicidium voluntarium: Peccatum Sodomiticum: Oppreſſio pauperum: & Merces operariorum defraudata. Quanti horroris ſit, quantæque immanitatis, audere aliquod horum perpetrare; qualis, quantúsve ſit eorum clamor, in cælum aſcendens, quamque terribiles pro his plagę meritò timendę ſint; ſigillatim exemplis, è ſacra pagina prolatis, ad oculum patebit capite proximè ſequenti.

Dei prouidẽtia contra horrorem clamantium peccatorũ.

Neſcio vtrum magis mirandum ſit; an, reperiri poſſe homines adeò extra omnem Dei timorem, atque humanæ rationis vſum poſitos, qui tam exſecranda audeant attentare; an verò, Deum tali, hac in veſania, vti voluiſſe prouidẽtia, vt ſcelera hęc, quodam quaſi clamore, ad thronum eius, atque aures acceſſum haberent; quibus alioqui oppreſſi inopes, & omni ope deſtituti, ſuccumberent. Pluſquam ferina ſiquidem eſt quorundam in proximos ſuos ac fratres crudelitas; quando, vt ſibi videtur, ex voto ipſorum gliſcit impietas; videntque impunè ſe fraudem facere poſſe, ſi lubeat; nemine exiſtente, qui vel prohibeat, vel vlciſcatur. At bene eſt, dum, Deo ita prouidente, clamando & implorando, ſaltem à Deo impetrari poteſt auxilium.

Aures Dei apertæ ſemper & intentę ſunt ad hunc clamorem miſerorum, ad ſe prę neceſſitate confugientium: quantoque moratur diutiùs, tanto fortiùs ferit dum venit. quemadmodum enim in arcu, diutiùs quidẽ moratur ſagitta, quo profundiùs attrahitur; ſed tum etiam acriùs emittitur: ita ira Dei, qua arcum ſuum tendit & parat; grauiùs ſæuit, quo diutiùs dilata fuerit.

Ita habemus in ſacra Scriptura de oppreſſione filiorum Iſraël in Ægypto:



Crimina quid quorum ferit altum Clamor Olympum?
Ocyus vltrices depoſcunt Numinis iras.

Secht ons voor, wat de vier Roepende ſonden maken.
Godts tooren, als een vier, werken, en roepen Wraken.

Que fait vne offence / Qui crie vengeance / Au plus haut des Cieux?
Que la dextre rouge / De Dieu pluſtoſt bouge / Pour lancer ſes feux.

Ægypto: *Ingemiſcentes filij Iſrael, propter opera, vociferati ſunt: aſcenditq́ clamor eorum ad Deum, ab operibus: & audiuit gemitum eorum.* Miramur interdum vnde plagę, tribulationes, afflictionesque inexſpectatæ nobis ſuperueniant; tanquam imber inopinato ingruens, & inſtar ruentis tempeſtatis, tum quando quis in particulari percellitur, tum etiam quando ciuitates, aut integræ etiam regiones, & regna vaſtantur: & non cogitamus Deum hæc immittere, longæ quidem tolerantiæ ſuę perræſum, noſtrę verò malitiæ ſemper in peius proficiẽtis memorem; quiq; vocem gemituum, & clamores oppreſſorum exaudiit tandem: dum nos interim ſurdum egimus; aureſq. ad preces pauperum obturauimus; & oculos auertimus ab ipſorum lacrymis, & miſeria. Hoc ipſe ſatis innuit, dum per fidelem ſuum Prophetam ſic dicit: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exſurgam, dicit Dominus.* Exod. 2. Pſal. 11.

Quàm grauiter eorum ferientur aures, qui ad eiulatum pauperum & afflictorum non magis mouentur, quàm ſi brutum animal vociferetur! Horum crudelium dux & patronus meritò Perillus ille conſignetur, qui Phalaridi placere volẽs, bouem ei æneum confecit, in quo cùm dirè vrerentur incluſi, clamor eorum bo[illegible]is mugitum referebat, non lamentabilem hominis vocem, miſericordiam atque opem ſuppliciter implorantis. At ſcilicet dignam omnes hi mercedem cum illo accepturi, niſi ante diem iræ & mortis ſuæ emolleſcant, conuertanturque: vt ſicut ille tauro ſuo primus iniectus fuit; ita ipſi propriæ ſuæ immanitatis condignas citra miſericordiam luant pœnas. *Valerius Max. lib. 9. cap. 2.* Perilli inhumanitas.

Terribilis iſta clamantium peccatorum delatio non obſcurè in ſeruis illis eſt figurata, qui ingrati crudeliſquę ſerui in conſeruum efferatam duriciem, qua comprehenſum penè ſuffocabat, domino renunciarunt. Qua voce percepta, quaſi tanti peccati clamore in eius aures inſonante, ſceleſtum ad ſe vocauit, & acribus verbis exceptum, *Serue nequam, nónne oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* ligatis manibus & pedibus iuſſit tradi tortoribus, illum in omnem æternitatem ob tantam indignitatem excruciaturis. Matth. 18.

Oratio contra 4. peccata in cælum clamantia.

VOx orationum noſtrarum aſcendat ad te, Domine, per medios omnium delictorum noſtrorum clamores: neque quid peccata noſtra loquantur & poſtulẽt; ſed quid miſeriam noſtram tuamq́ immenſam deceat benignitatem, attende. Amen.

CAP. XXX.

Quis sese hic clamor cælo illætabilis effert?
Flagitium, execrandũ oculis Diuumq; hominumq;.

Clamor peccatorũ vehemens.



QVAM intolerandam necesse est istorum esse facinorum malitiam, quæ de se clamorem quendam illætabilem expromere censentur, quo diuinam iustitiam ac vindictam implorent, vt quibus condigna in mundo non reperiatur punitio! Vt meritò forsitan metui possit, propterea precum nostrarum vocem ad Dei aures non penetrare, accessu arceri, vel quoquo modo non exaudiri; quòd tam vehemens sit peccatorum istiusmodi, hodie inter mortales grassantium, vociferatio; vt aures Dei præoccupet, & exilem orationum nostrarum sonum obtundat, & superet. Hoc est, quod in persona omnium id agnoscentium, & deplorantium, apertè fatetur Isaias: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Et postea clariùs: *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te; & peccata nostra responderunt nobis. Conuersum est retrorsum iudicium: & iustitia longè stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et vidit Dominus; & malum apparuit in oculis eius.* Ecce peccata præoccupant oculos, aures, totamque Domini faciem: &, si velint nostræ supplicationes accedere, peccata respondent nobis: quid hîc agitis? Nihil hîc vobis nobiscum commune: quid nobis cum vestris clamoribus? clamamus nos fortiùs, quàm omnes vestræ postulationes: Recedite. Immò diuidunt inter nos & Deum nostrum, maceriam quasi ex se intermediam construentes. Hinc istæ lacrymæ, miseris hisce temporibus, quibus Respublica Christiana, tãtis impensis, tot annorum bellis, tam longa precum continuatione, nequit in pedes assurgere: sed quoties vtcunque alleuari videtur, toties iterum ferè fœdiùs relabitur. Huic autem malo satis magno, hoc accedit deterius, quod sicut parum & à paucis admodum animaduertitur; & perparum emendationis apparet; ita metuendum est vel nouum semper à Deo parari flagellum, priùs quàm vetus attritum consumtumque sit; vel (quod Deus auertat) Regionem Religione priuandam. At nunc, vt præcedenti capite promisimus, quodque præsens exigit tractatus, singula Clamantia scelera exemplis sacræ Scripturæ ex ordine collustremus.

Isaiæ 59.

Genes. 4. Homicidium voluntarium. I.

Quoad primum, horrendam sanguinis Abel vociferationem testatam habemus: postquam enim Cain aduersus eum consurrexit, eumque interfecit; ait Dominus ad Cain: *Vbi est Abel frater tuus? Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc igitur, maledictus* A





Quis ſeſe hic Clamor cælo illetabilis effert?
Flagitium execrandũ oculis Diuumq;, hominumq;.

Welck is dat groot miſbaer, en roep, van ſulck beclaghen?
De booſheyt groot, en ſwaer onrecht; niet om verdraghen.

Que fait, ie vous prie / Le peché qui crie? A il ſentiment?
Il cri' par nature / Lors que ſon ordure / Put enormement.

eris super terram; quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui, de manu tua. Ecce peccatum præ sui horrore & immanitate, quasi à Deo remotissimum, & incognitum; præ clamoris tamen vehementia ad aures Dei peruenit.

B Secundi exemplum habes, in verbis Domini, ad Abraham; dum ipsi tres apparuerunt, & vnum adorauit, vnumque allocutus est. Dixit itaque Dominus: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* En (vt in primo) clamorem; quem punitio quoque subsecuta est: quia pluit Dominus super quinque ciuitates, hoc flagrantes flagitio, sulphur, & ignem. *Genes. 18.* Sodomiticum peccatum. II.

C Tertium in Exodo per Dominum expressum legimus, dum ait: *Viduæ & pupillo non nocebitis.* sub quibus omnes inopes & miseri comprehenduntur, alieno indigentes auxilio, miserandique, non opprimendi. *Si læseris eos, vociferabuntur ad me: & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus.* Et hîc peccati elucet immanitas, & clamor, & vltio diuina. *Exod. 22.* Pauperum oppressio. III.

D Quartũ in Deuteronomio ante oculos statuitur, & Diuus Iacobus in sua epistola districtè redarguit. Sic dicit Dominus: *Non negabis mercedem indigentis; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui, ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum; & reputetur tibi in peccatum.* D. autem Iacobus hoc pacto inuehitur in tales. *Ecce, merces operariorũ, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* *Deut. 24.* Mercedis detentio. IIII. *Iacobi 5.*

O quanto consultius est, opera misericordiæ in proximum exercere, quæ non iram, sed misericordiã in die iræ à Domino implorent, & impetrent! Heu quàm dedecet ista immanitas Christianos; quæ & apud Gentiles semper fuit detestabilis! Superauit auorũ memoria ceteros mortales sæuitia Tamberlanus, Scytharum rex: qui rogatus aliquando, quid tãtum sæuitiæ indulgeret, & quòd nulli esset exorabilis: toruo adspectu respondisse dicitur: An tu me hominem putas; & non Dei iram potiùs, ad hominum perniciem in terris agentem? Hoc quidem oppressi sic in sui solatium interpretari possunt; sed interim oppressores ipsi non euadent maiorem extremamque Dei iram. Virga enim opere suo perfuncta datur vrenda flammis. *Sabell. lib 8. cap. 3.* Tamberlani crudelitas.

Oratio ad auertendam Dei iram.

Sanguis peccatorum nostrorum vindictam super nos apud te flagitat, benignissime Domine, sed sanguis Christi filij tui fortiùs gratiã inclamat. Non igitur secũdùm peccata nostra facias nobis, sed respice in faciẽ Christi tui, & miserere nostri. Amẽ.

CAP. XXXI.

Quæ bona Chriſtiadis patranda? ediſſere paucis. Omnigenum pietatis opus: mellitaque Virtus.

Facienda bona. SICVTI ex bona arbore fructus boni deſiderantur, & exſpectantur; ita requirit à nobis Deus bona opera. Alioqui, vt A
Luc. 13. quid terram occupet arbor infructuoſa? Succide illã, dicit Dominus in quadam parabola. Ad quid ſuccidatur, niſi
Matth. 15. vt in ignem mittatur? quemadmodũ alibi idem: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Et de vitis palmitibus ma-
Ioan. 15. nifeſtiùs: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* At Chriſtiani boni, Dei plantatio ſunt, & palmites fertiles: qui purgantur vt plus fructum afferant. Opera bona, & virtutes, fructus ſunt arboris, ex quibus & ar- B
Matth. 7. boris bonitas agnoſcitur; iuxta Domini dictum: *Omnis arbor bona, fructus bonos facit. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vt autem vnuſquiſque cautiùs ſibi attendat, néve ſeipſum fallat, exiſtimans ſatis ſibi ſuppetere temporis, ad malam vitam in melius mutandam, licet non id modò adeò anxiè meditetur; ſeſéq. nimium affligat, licet fructus paucos bonos, aut nullos, aut etiã quod peius eſt malos proferat, vita ſua effreni, & diſſoluta: audiamus quomodo præco & præcurſor, immò vox ipſa Domini auribus noſtris intonet, ne quis ſibi in malo, ne quidem in ſterilitate boni, nimium attri-
Matth. 3. buat ſecuritatis: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Ecce, vt vno eodemque ore loquuntur, & Dominus & ſeruus. Quis igitur non ſtudeat omnibus modis vitam ſuam bonis virtutum actibus exornare; vt ſi fortè, hora qua non putarit, arbor eius excidatur, non in ignem mittatur, ſed dignos Paradiſo cæleſti fructus protuliſſe inueniatur?

Virtutes mellitę. Quòd autem in Reſponſione, mellita virtus deſcribatur, hoc innuitur, quod res verè habet, virtutes eſſe dulces, & mellita quaſi omnia pietatis opera. Nam, ſi qua in illorum principio percipiatur amaritudo, illa non tam in ipſis virtutibus, bonisque operibus eſt, quàm in noſtro palato febricitantium inſtar corrupto. Senſualitas, naturæ corruptæ tarditas, & acedia, difficultatem quam in ſe ſentit, in virtutibus eſſe malè iudicat. Dulciores interim re vera ſunt virtutes melle & ſaccaro. nec mirum, cùm inſtar ſaccari, & mellis, ex ſacri eloquij arundineto, & cæleſtis plantæ vbertate promanent. Sic dicit Prophe-
Pſalm. 118. ta Regius: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Non in auditu tantùm, ſed in guſtatu, & comeſtione: hoc eſt, in verbi Dei, diui-



Quæ bona Chriſtiadis patranda? ediſsere paucis.
Omnigenum Pietatis opus: Mellitaq; Virtus.

Nu, gheeft ons ſeker merck, vant goet, datmen doen moet.
Dat is Verdienſtich werck: ende alle dueghden ſoet.

Quel bien doy-ie faire, Pour a Dieu complaire, En ce bas ſeiour?
Fay oeuure pieuſe, D'une main ioyeuſe, Et pleine d'amour.

diuinæque voluntatis adimpletione. Si enim auditores verbi mellitum quid, ac suaue percipiunt; quid de factoribus æstimabimus? Si tamen fatendum quis putet, Virtutibus aliquid acerbitatis inesse; hoc tantùm in earum, vt ita dicam, cortice consistit: vt proinde nihilominus dulces dici debeant. Sic enim & communi prouerbio nuce dulcius dicimus, quidquid admodum dulce indicare volumus; cùm tamen nux & membranulam habeat amaram, testam duram, & exteriorem corticem amarissimum. Si quis amaritudinem experiatur, eam duntaxat percipit, donec ad nucleum peruenerit.

Acerbitas virtutum in quo?

C Ita & Virtutes communiter in excelsi mõtis Vertice dicuntur degere;
D ad quas non nisi magno labore perueniatur. Quem verò laboris &
E molestiæ tædet; is à cœpto delabitur ascensu, & in præceps ruit.

Virtutes arduę.

Scientiis id quoque, eandem ob causam, solet attribui: quæ in sui principio amaritudinem aliquam præ se ferunt. Non immeritò Romani ob id, templum Virtutis, & templum Honoris sic cõstruxerant, sibique coniunxerant; vt ad istud non nisi per illud daretur accessus: hoc facto ostendentes, neminem ad honoris & gloriæ culmen pertingere, nisi qui anteà insigniter se in virtute exercuerit. Vnde & ille versiculus non importunè adolescentibus occini solet, dum molestiam illam primam molestè ferunt:

Valer. lib. 1. cap. 1.
Templum Virtutis, & Honoris.

Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.

Item illud Platonis: χαλεπὰ τὰ καλά: Difficilia, quæ pulchra.

In Hippia & in Cratylo.

Hæc igitur altera est Iustitiæ Christianæ pars, bonum facere: virtutes, ac pia opera, homine Christiano digna, exercere. Virtutum autem præcipuæ sunt tres illæ Theologicæ; Fides, Spes, Charitas; & deinde quatuor Cardinales: Prudentia, Iustitia, Temperantia, & Fortitudo. sic dictæ, quòd omnes aliæ in his velut cardinibus versentur: quibusque vniuersa operis boni structura innitatur.

Virtutes Theologicæ tres: & Cardinales quatuor.

Hasce quatuor in omni sic virtute D. Augustinus demonstrat; In hac vita, virtus non est, nisi diligere quod diligendum est; id diligere, *Prudentia* est: nullis inde auerti molestiis, *Fortitudo* est: nullis illecebris, *Temperantia*: nullâ superbiâ, *Iustitia* est. Præter hæc sunt & opera misericordiæ, de quibus posteà.

August. in Epist. ad Maced.

Oratio ad impetrandam virtutum actionem.

EXtende, quæsumus Domine, manum tuam, vt è vitiorum cœno ereptus ad Virtutum præstantiam merear peruenire; nec me fragilitas, nec ignorantia, nec malitia, illarum dulci fruitione despolient, sed cum illis in cælesti curia liceat collætari. Amen.

CAP. XXXII.

Sic legem mihi ſtringe, breui vt portetur in vngue.
Sũma eſt legis; Ama: fac hoc, & factus ad vnguẽ es.

Triplicis Legis vnitas.

VT iſtud quaſi ante conſpectum tuum conſtitutum contemplêre; pone, te tres arbores cõſpicari, tria legum genera repræſentantes. Vna ſit arbor Naturalis, Legem Naturę referens; ex qua Cor dependeat, in quo ab ipſa mundi origine Lex iſta deſcripta fuerit. Altera arbor ſit ſtipes, de quo Moyſes in deſerto iuſſu Domini ſerpentem æneum ſuſpendit: imaginare te ex hac arbore duas tabulas lapideas appenſas videre, in quibus Decalogus deſcriptus fuit. Poſtrema denique ſit arbor Crucis, & Chriſtus illi affixus, cum libro Legis Euangelicæ, quę verè Lex eſt gratię; quam digitus Dei, Spiritus nimirum ſanctus, Fideliũ cordibus ſolet inſcribere: quæque omnes alias leges renouat, implet, & perficit. Quibus & Eccleſiæ præcepta comprehenſa cognoſcuntur. Hæc tertia, arbor omnium excellẽtiſſima; quia nulla ſilua talem profert, fronde, flore, germine. Vnde etiam & Lex, vt dixi, omnium eſt abſolutiſſima. A B C

Hæ tres arbores, hoc eſt, tres Leges, per illas figuratæ, vno ore hoc vnum loquuntur, & mandant, tanquam in quo omnia præcepta, & quidquid homini obſeruandum eſt, continetur: Dilige, ſeu Ama. In tres illos libros, tribus illis affixos arboribus, omne hominum genus, oculos, atque animos coniectos habere debet; vt ſecundùm breue illud ipſorum dictamen, quod & dictamen eſt Conſcientiæ, in omnibus ſe dirigant, vitamque ſuam inſtituant.

Legis diuinę beneficium.

Notatu verè digniſſimũ, homini præſertim Chriſtiano, quo pacto omnipotens, atq; idem benigniſſimus Dominus, humanum genus, vt Rẽpublicam ſuam, vti eiuſdem alicuius ciuitatis incolas, ſuaui moderetur gubernaculo. dum omnes ita in vnum colligauit, ſibique ita inuicem obſtrinxit; vt facillimum, iucundiſſimum, atq; vtiliſſimum ſit, tali lege, quam ſuis præſcripſit, conuiuere; eidemque communi omnium Domino ac conditori ſeruire; vt etiam tandem eiuſdem eſſent ciuitatis cæleſtis Hieruſalem futuri conciues in cælis. Vna omnibus ad hoc data lege, quæ & omnes inter ſe, & cum ipſo omnium Domino, ſuauiſſimo amoris vinculo conſtringeret. D E

Vt autem Lex illa, & quidquid ſuis præcipere volebat, faciliùs poſſit adimpleri; omnia quæ Moyſi valdè prolixè & multipliciter fuerat locutus; ſub denarium numerum redacta, in duabus lapideis tabulis deſcripſit; à quibus cetera omnia præcepta dependerent, quæ alioqui,

vt



Sic legem mihi ſtringe, breui vt portetur in vngui?
Summa eſt legis, AMA: fac hoc, et factus ad vnguem es.

Beſluyt ons in een woordt, al het gheheel ghebodt?
Bemint: dats goet, en voort: Van de gheboden tſlot.

La loy ſainte et pure, De Dieu et Nature, Giſt elle en vn mot?
AYMÉZ: c'eſt la ſomme, Qui peut rendre l'homme, Entier et deuot.

vt ita dicam, erant innumera. Decem autem illa, Decalogi nomine insignita, iterum in duo contraxit; Quod ipsemet Christus Legislator, ac Saluator noster testatus est; dum rogatus à Legis doctore: Quod esset mandatum magnum in Lege; respondit: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est* (inquit) *maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Addidit: *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.* Quod communiter tribus ferè verbis dici solet: Diliges Deum super omnia, & proximum tuum, sicut te ipsum.

Decem præcepta ad duo rediguntur. *Matth.22.*

Iam verò, duo ista præcepta, in quæ omnia ad vnum redacta sunt, ita in vnicum, vt ex ipsis Domini verbis audisti, coalescunt, & colliquescunt; vt in veritate dici possit: Quæcunque Deus vnquam præcepit hominibus, aut etiamnum præcipit, in hoc solo verbo comprehendi: Dilige. Nam, tametsi verum sit, vnum præcipere vt diligatur Deus, alterum vt proximus: tamen vtrumque verè non est aliud, quàm, Dilige: vtrumque præceptum charitatis, & dilectionis. Summa, præcipimur diligere. Quin etiam ita hæc duo in vnum coincidunt, vt qui vnum implet, impleat & alterum: quique in vno delinquit, in altero etiam deficere inueniatur.

Duo præcepta in vnum coalescunt; Dilige.

Rectè igitur dicimus, cum responsione ad interrogationem data, Ama, vel Dilige, summam esse omnium legum & præceptorum; vt quasi breuissimo vngue constricta teneantur. Dicit eam obrem audacter & fidenter D. Augustinus: Dilige, & quiduis fac: ac si dicat: Si hoc vnicum verbulum rectè obseruaueris, & feceris; in nullo poteris offendere, quidquid egeris. Hocque est, quod D. Paulus conformiter asserit: *Plenitudo Legis, est Dilectio.* Item: *Finis Præcepti, est Charitas.* Dilige igitur, & Legem implesti.

Augustin. de Verb. Dom. *Rom.13.*

Viderit iam, quisquis fuerit, qui Legem Dei non adimpleuerit, quid suæ negligentiæ & torpori sit excusationis prætexturus; quæ tam facilia, tam dulcia, tamque pauca sunt, vt vno verbo comprehendantur, eoque suauissimo: vt meritò tota Lex, verbum Legis, sit appellata. Meritò propterea dixit, scriptoque tradidit D. Ioannes, quod ex Dominici pectoris fonte potarat, & longo iam experimento didicerat: *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Et mandata eius grauia non sunt.* Idemque Apostolus, quem Iesus amabat plurimum, rectè sciens omnia à sincera dilectione depẽdere, nihil aliud ferè vel dixit, vel scripsit; quàm de diligendo, vel quod dilectionem saperet. Vsque adeò, vt cùm Ephesi moraretur (inquit D. Hieronymus) vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere; nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, Dilige

1. Ioan.5. Sancti Ioannis concio quotidiana; Diligite. *Hieron. in Epist. ad Galatas.*

ligite alterutrum. Tandem discipuli, & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est: &, si solum fiat, sufficit. Vnde apertè videmus, in dilectione omnia comprehendi.

August. lib. 1. Confess. cap. 5. Huc facit, quòd D. Augustinus, & facilitatem, & dulcedinem huius verbi Dilectionis admirans, sic ipsi Legislatori dicit: Quid tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me; & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? paruáne est miseria, si non amem te? Sine dubio, magna est afflictio, Dei Dilectione destitui, siue qua eum diligimus, siue qua ab ipso diligimur; quę se inuicem consequuntur. Hinc benè dici solet: Qui Christi amore vulneratur; dolor est illi quando inde sanatur. Pessimè siquidem cum illo agitur, qui amoris huius telis nunquam configitur. Vnde idem Augustinus mirè sibi de dulcibus istis plagis congratulans, inquit Domino: Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua. Sic & nos sentiremus, & loqueremur, si cum sanctis illis saperemus; sique cum D. Bonauentura ex animo diceremus: Nolo Domine sine vulnere viuere; quia te video vulneratum. Si namque bis nostri amore vulneratus ipse fuit; immò nos eum vulnerauimus: vt sponsæ animæ nostræ dicit: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum: primùm scilicet, amore, deinde ferro: quid minus nos possumus, quàm illum qui prior dilexit nos, semel saltem redamare, eoque amandi modo, velut suauissimo vulnere transfigi, quod animam ab omni peccatorum vulnere liberare & viuificare potest? A

Augustin. lib. 9. ca. 2. Conf.

Bonauent.

Cant. 4.

Nos quoque igitur, si sapimus, mellifluum illud verbum, Dilige, cordibus nostris inscribamus, immò vt surculum vitalem ei inseramus. Experientia enim docet, si vettonicæ floris radici caryophyllum inseras, simulque complantes, flores omnes eius odorem referre, vnde & nomen apud Belgas propterea sortiuntur ipsi flores. Ita tota vita nostra, omnisq; actio, & sermo spirabit odorem hunc dilectionis tam diuinum; si odoriferum hoc germen cordibus nostris benè insertum fuerit, tanquam semen, medulla, ac substantia omnium mandatorum. Et erit nobis odor vitæ in vitam; vt inquit Apostolus. Nobis ex fructus ipsius proprietate, & proximis ex odore boni exempli, vitæ æternę occasio.

Vettonica flos.

2. Cor. 2.

Genes. 22. Quo modo Abrahæ magni illius patris cordi verbum hoc insculptum erat; qui eius efficacia vnigenitum suum dilectissimumque filium, ad nutũ Dei, suis erat manibus immolaturus! Quid de septem illis fratribus Machabæis dicemus; qui nec minis, nec pollicitationibus, à Dilectione, Lege Dei contenta, auelli potuerunt? Cutis capitis, cum ipsa cæsarie, viuẽtibus videntibusque reuelli potuit; sed hoc Dilectionis

2. Mach. 7. Septem fratres Machabęi.

lectionis ſymbolum ab eis non potuit auferri. Dilaniati, ſecti, frixi ſunt in ſartagine; ſed amor extingui nequiuit. Certi, vnà potiùs cum matre quiduis pati, quàm non amare in lege ſua, eum qui legem dederat. In puncto hoc ſolo omnia ſarta tecta vſque ad mortem tuebantur. Hoc ipſum iam præmaturo quodam vigore in ipſis pullulabat, quod poſtmodum de ſe ſuique ſimilibus dicebat Apoſtolus: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? neque mors, neque vita.* Et quid mirum, dum rem benè expendimus? hic eſt enim ignis ille, quo ipſe Chriſtus primùm ita flagrauit; vt pro inimicis non tantùm orare, ſed & mori dignatus ſit; tum quem venit in terram mittere, non vt extingueretur, ſed arderet, alioſque etiam accenderet. Hoc ardens Stephanus, ſimiles etiam moriens ſcintillas eiaculatus eſt, pro illis orans, qui ipſum lapidabant. Hoc æſtu correptus Paulus pro fratribus Iudęis anathema fieri paratus fuit. *Rom. 8.* *Luc. 12.* *Act. 7.* *Rom. 9.*

Stupendus fuit hic amoris Dei & proximi ardor in omnibus Sanctis; qui non tantùm animo, ſed frequenter ipſo facto ſeſe in ſeruitutem, in captiuitatem, in mille tormenta & mortes mille, pro aliis tradiderunt; certiſſimo argumento, verbum hoc, Dilige, totum cor ipſorum poſſediſſe.

Charitate huiuſmodi inter ſe contenderunt apud Antiochiã Theodora virgo & quidam miles. Illa ob Chriſti confeſſionem ab infidelibus in proſtibulum truditur, miles ignotus eam primus adiens, perſuadet vt mutatis ſecum indumentis, virili habitu euadens, virginitatem intactam conſeruet. Cumque ipſe cum muliebri veſte deprehenſus, pro virgine ad ſupplicium traheretur, non ſuſtinuit illa, vt, cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis cauſa fieret: palàm proclamat, ſe eſſe ei neci addictam, non ipſum: econtra ille, immo ſe iudicis ſententia damnatum, non illam. Diu certarunt, vterque alterum ſua morte redimere cupientes. At, quoniam Chriſtum confitentibus mori viuere erat; Deo diſponente, ambo ſimul capitis obtruncatione glorioſum martyrium peregerunt; ne eos tyranni gladius ſepararet, quos tam arctè iunxerat amor Chriſti. Ambr. lib. 2. de Virg.

Oratio pro vera Dilectione impetranda.

PAratum cor meum, Deus, paratum cor meum: dulce hoc Dilectionis verbum illi inſcribere dignare: vt delectabile hoc Dilectionis præceptum tenendo, te ſuper omnia diligam, & proximum meum ſicut meipſum. Amen.

CAP. XXXIII.

Quid Superûm pacem ætheriâ citò deuocat arce?
Dextera larga inopi: Ieiunia: Vota precantum.

Tria Dei iram pacantia.



SICVT peccata Deo displicent, eumque ad iram & vindictam prouocant; ita virtutes, atque opera bona placent ei; eiusque furorem placant. Nullum enim valentius, præsentiusque remedium, ad reddendam nobis propitiã Diuinam maiestatem; quàm ex vera peccatorum pœnitudine, per vitam meliorem, ad ipsum conuerti. Sunt inter omnia, tria potissimùm bonorum operum genera; ad quę Christiani, in omni necessitate, ac ingruentibus ob peccata plagis, solent confugere: siue per famem, pestilentiam, & bellum, siue per peculiarem aliquem morbum, tumultúsve Regionum, suæ iracundiæ manifesta dat argumenta Dominus Deus. Hęc sunt tria illa, quę tunc maximè illi malo opponuntur; quibusque communiter placari se sinit Diuina bonitas: videlicet: Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna. Hæc sunt præsidia illa, quæ, quasi ex diuini iudicij arcano depromta, amicis Dei, Tobiæ ac familiæ eius, Raphael Angelus reuelabat, dicens: *Bona est oratio, cum Ieiunio, & Eleemosyna: magis, quàm thesauros auri recondere.* Oratione enim mens ad Deũ eleuatur, illiusque subsidio ad ipsum confugitur, tanquã medio promptissimo, & efficacissimo, dum res vrget. Vt autem ipsa Oratio alacrior, fortiorque sit ad impetrandum; vtrimque quasi fulcris propriis, Ieiunio, atque Eleemosyna sustentatur; sicut Moysi oranti manus graues, per Aaron & Hur suffulciebantur, ne lassarentur. Immò & cor hominis ad Deum orantis, Ieiunio atque Eleemosyna adiutum, alis quasi duabus ad cælum volare dici & fingi potest.

Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna. *Tob.12.* A B C

Exod.17. D

August.

In his tribus, concludit Diuus Augustinus omnem propemodum Iustitiam Christianam, dum sic ait: Hęc iustitia hominis in hac vita: Ieiunium, Eleemosyna, Oratio. Ieiunium enim non corporale tantùm est, sed & spirituale, idque præcipuum, quo à peccatis abstinetur, & virtuti insistitur. In Oratione hoc maximè est laudis apud Deum, & maximi meriti, quod ex clauso cordis cubiculo, ac intimo spiritu procedit. Quoad Eleemosynam, illa non tantùm omnia opera misericordiæ corporalia comprehendit; sed etiam, & pręstantiori modo, ea quæ ad spiritum pertinent. Vt opera misericordiæ corporalia sunt hæc septem: Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire: ita spiritualia totidem sunt ista: Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi

Opera misericordię corporalia, & spiritualia.

Deum



Quid Superûm pacem ætherea cito deuocat Arce?
Dextera larga inopi: Ieiunia: Vota precantûm.

Wat wercken aldermeest Godt tot ghenade spoen?
Vasten: Bidden met gheest: ende vor Aelmoessen doen.

Qu'est ce qui plus presse, Le Seigneur, quil laisse, Sa iuste fureur?
La priere bonne, Le Ieune, et l'Aumonne, Faits d'un tendre coeur.

Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere. Opera hæc ex alienæ miseriæ in corde nostro compassione procedunt; quod etiam nominis ipsius ratio nobis testatur.

Tria illa, Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna, ad quæ velut fontes reliqua bona opera referuntur, homini Christiano valdè familiaria esse deberent: hæc enim ex fide viua proficiscuntur, hæc Iustitiam Christianam commendant, augent, atque consummant. Quique se hac vita durante in his non exercuerit, ei postea manus & pedes ligabuntur: hoc est: omnis facultas, & occasio benè merendi auferetur, & proiicietur in tenebras exteriores. Ibi tum ieiunabit ab omni gratia & consolatione, & pœnis satiabitur inexplebiliter. Pro eo quòd hîc nõ orarit, ibi clamabit & non exaudietur: misericordiam petet, & non impetrabit, quia non fecerit misericordiam: vlulabit, stridebit, blasphemabit. Ibi tum cum diuite epulone guttam aquæ flagitabit; sed non accipiet; quia nec micam dederit in eleemosynam pauperum. Itaque *iudicium erit sine misericordia, ei, qui non fecerit misericordiam.* *Iac. 2.*

In exemplum singulorum trium benè obseruatorum obiter dici possit: primùm quod D. Iacobus de Helia, qui erat homo similis nobis, passibilis; & tamen oratione cælum clausit & aperuit. Moyses manum Dei oratione cohibuit, ne suos internecioni traderet. Per ieiunium idem Legem accepit: per ieiunium Samson datus: Achab iram Dei placauit. Israelitę, & Iudith nominatim, ieiunio ebriosorum exercitum deleuerunt. Anna ieiunans Christum videre meruit. Ipse Christus ieiunio tentatorem vicit, docuitque nos vincere. Daniel Nabuchodonosori eleemosynam, vt extremum remedium, consuluit. S. Gregorius in pauperibus Angelos, & Angelorum Dominum fouit & pauit. Petrus Telonarius proiecto ex indignatione in pauperem pane, iudicij districtionem euasit: tandem omnia dedit, & se in opera misericordiæ impendit & expendit venditum. Osualdi Britanniæ Regis manus adhuc integra in monumento ostendi perhibetur, quod lancem argenteam in tot frusta frangi pauperibusque distribui curarit, quot distributis ordinariis eleemosynis immunes supererant; & à præsente Episcopo tam munifica dextera, tali benedictione digna censeretur.

Orationis exempla. *Iac. 5.* — Exempla Ieiunij. — Exempla Eleemosynæ. — *Beda hist. Angl. lib. 3. cap. 6.*

Oratio pro operum misericordiæ exercitio.

QVandoquidem te toties Domine per peccata nostra ad iracundiam prouocamus; optimum nobis, quæsumus, propitiandi te modum ostende; quò sic orationi, ieiunio, atque operibus misericordiæ insistamus; vt in tempore angustiæ misericordiam consequamur. Amen.

CAP. XXXIV.

Quanta Eleemosynæ virtus, dum vita superstes?
Vnda velut flammas, scelerum sic obruit vndas.

Eleemosy- nę virtus.

Genes.6.



QVANDO cœperunt peccata multiplicari super terram, cumque omnis caro viam suam corrupisset, hoc est, cùm iam omne genus peccati in hominum vita grassaretur, & totus quasi mundus sceleribus esset obrutus; immisit Deus diluuium, ingentem illam aquarum vim, quæ quindecim cubitis montibus superemineret. Quo facto indicare visus est, quanto peccatorum incendio, concupiscentiæ præsertim, atque libidinis, mundus conflagraret; cui restinguendo stupendus ille cataclysmus esset necessarius. At, benignitate eius immensa, omnia sub tempus gratiæ in melius commutante; sibi rectiùs consultum volentibus, suauiorem, vtilioremque crimina diluendi viam ostendit; nimirum per eleemosynam, & opera misericordiæ. A B

Rogatur igitur, quanta sit Eleemosynæ virtus. Natura enim homines potiùs accipere, quàm dare parati sunt: amissumque ferè existimant, quod aliis largiuntur; nisi vel præcedens meritum, vel commodum inde exspectatum, animo meticuloso faciant satis. Dicit tamen optimus veri censor Apostolus, & quidem ex verbo Domini Iesu: *Beatius est magis dare, quàm accipere*: nominatim de eleemosyna faciens mentionem, eamque commendans. singularem igitur illa virtutem habere debet.

Act.20.

Eleemosyna exstinguit peccata.


Eccli.3.

Tob.12.

Aug. in ser.

Responsio dicit, illam sic vndas obruere scelerum, velut vnda flammas. Hoc Sapiens innuit, dum ait: *Ignem ardentem exstinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis.* Huc illud quoque spectat, quod præcedenti capite ex Tobia de Raphaele attulimus: Eleemosynam dare, melius esse, quàm thesauros auri recondere. *Quoniam eleemosyna* (quod omnes mundi gazæ non valeant) *à morte liberat*, æterna scilicet. *Et ipsa est, quæ purgat peccata: & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* D. Augustinus in hanc planè sententiam descendit. Magna, inquit, eleemosyna, quæ ardentium criminum globos, beneuolentiæ suæ fonte refrigerat; & irriguo largitatis, obruit incendia delictorum. Non quòd eleemosyna vlla peccatum mortale in homine deleat, citra Pœnitentiæ Sacramentum, saltem in voto, si confessarius non suppetat: nam Christus Pœnitentię Sacramentum tam necessarium peccatis à baptismo remittendis instituit; quàm pro originali baptismum. C

Sed eleemosyna hac ratione peccata exstinguere dicitur, quia venialia delere potest, & præparat peccatorem ad pœnitentiam grauioribus





Quanta Eleemoſynæ virtus, dum vita ſuperſtes?
Vnda velut flammas, ſcelerum ſic obruit vndas.

Wat cracht heeft, voor de handt, Aelmoes ghedaen alhier?
Sy bluſt den ſonden brandt; ghelyck het water vier.

Y a-il lexiue, Qui puiſse d'eau viue, Lauer le peché?
Par aumonne a laiſe, Com'par eau la braiſe, Il eſt étanché.

ribus peccatis necessariam, ad confitendi voluntatem, & ita tandem ad confessionem, plenamque peccatorum absolutionem. Singulare huius exemplum fuit Cornelius ille Centurio; qui *erat vir religiosus ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi Cæsariensi. Vidit* ille *Angelum Dei ad se introeuntem, dicentémque*: *Corneli, Orationes tuæ, & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei.* Ecce cùm Gentilis esset, & ob id peccator, bona illa opera, præsertim misericordiæ, licet mortua, ei occasio fuerunt ad Christi notitiam, fidem, peccatorumque remissionem perueniendi.

Act. 10. Cornelius Centurio.

Exstinguit etiam eleemosyna peccata, quando illa post confessionem, in satisfactionem, vt tertiam Pœnitentiæ partem, datur. Alioqui peccatum (vt dixi) mortale, nunquam neque eleemosynis, quantumuis amplis; etiamsi quis omnia sua daret pauperibus; neque vllis lacrymis, precibus, vel externis pœnitentiis, sine Sacramento Pœnitentiæ, vt Christi fixa ordinatione, remitti, vel exstingui potest. Quod dico, quia solent se quidam hoc pallio fallere, dum secreta peccata confiteri erubescunt, eaque eo quo dixi modo tacitè conantur eluere. Prosunt autem pia illa opera ad animum emolliendum, & præparandum ad pœnitentiam, & debitam confessionem, ac remissionem.

Quod in interrogatione ponitur, [dum vita superstes] nihil hoc indicat aliud, quàm hîc esse merendi locum proprium. Eleemosynæ per alios pro mortuis factę per modum suffragij prosunt haud dubiè; sed defunctorum non augent meritum. Qui eleemosynas per testamentum & ex legato facit; meretur quidem multum, sed non tantum, ceteris paribus, quantum is qui, dum ipse adhuc vti possit, se illis abdicarit: sicut vulgariter dicitur, speciosum est lumen, quod præfertur, viamque collustrat, prę illa lucerna, quæ post tergum gestatur: pręcipuè dum via tenebrosa, lubrica, & insidiis plena esset: qualis via vitæ huius est. Singulares Eleemosynarij fuere, D. Gregorius, Ioannes Patriarcha, Eleemosynarius vulgò dictus, S. Martinus, S. Nicolaus, S. Paulinus, & infiniti alij.

Oratio pro dono Eleemosynæ impetrando.

TV temetipsum ô mitissime Iesu, pauperem effecisti, & nobis cælestes opes, & te totum elargitus es: Excita cor nostrum, ad te in hoc pietatis studio imitandum; vt hîc Eleemosynis peccata nostra restinguamus, & pro temporalibus accipiamus æterna. Amen.

CAP. XXXV.

Quis maior, quàm qui debellat viribus vrbes?
Cui cupidos animos rationis frena coercent.

Prestantissimum fortitudinis genus, sui victoria. *Liuius.*

SOLENT homines glorię studiosiores in fortibus actibus, & pręclaris facinoribus gloriari, multumque laudis ponere. Hinc & Romani, qui in omnibus suis rebus, glorię stimulis acti, decus & honorem spectabant, dicere prae tali cupiditate solebant: Fortia agere & pati, Romanum est. Vtque huic A æstui fomitem semper subiicerent, quo hoc rerum eximiarũ studium in iuuenum, virorumque fortium animis aleretur, augereturque, coronas varias habebant, quibus qui quidpiam præclarè gessissent, pro cuiusque merito, decorarentur: virtutis enim vberrimum alimentum est honos. Istud à Pericle, ab Atheniensibus duobus oleę connexis ramulis caput redimito, initium sumsisse testatur Valerius Maximus. Inter Romanas, Ciuica corona dignitatem præcipuã obtinebat, quã ciuis ciui, à quo seruatus fuerat in prælio, testẽ vitæ salutisq; perceptæ dabat; eaq; fiebat è fronde querna; quoniã cibus victusq; antiquissimus quercus fuisset. Huic aureę, murales, pinnatæ, mucronatæ, rostratę, vallaresq; cedebant. Illâ namq; donatus, perpetuò eã gestare poterat: & ad ludos eunti, à populo, & Senatu vniuerso assurgebatur.

Coronæ Romanę, variæ.

Val. Max. Li. 2. cap. 3. Item lib. 5. cap. 10.

Gellius li. 5. cap. 6.

Nouum genus coronę, & gloriæ.

At Dux militiæ nouæ, maiorisque gloriæ commendator, ac dator Christus, qui per contemtum, & humilitatẽ, totius mundi, ac Principis eius superbiã superauit, fortemq; armatum nouo pugnandi modo debellauit, ille nos aliam docuit fortitudinem, nobilioresque promisit coronas, in cęlesti Regia percipiendas, quàm fuerunt illæ Romanę, & quęuis aliæ. Ita id olim præuiderat prædixeratq; Propheta Regius: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitũ erit ei. Beneplacitũ est Domino super timentes eũ.* super mites & humiles corde.

Psal. 146.

Rogatur igitur, quis maiori sit laude dignus & verè maior eo, qui B viribus vrbes arcesq; debellat; qui pro rebus terra marique gestis, vel C quouis modo & loco, à mundo, corona, triũpho, omniq; laude dignus D censeri consueuit. Respondetur optimè, iuxta Sapientis quoque sen- E tentiam: *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Ita Dauid animum suum coërcuit, dũ in spelunca, suorum F hortatu, Saulem erat perfossurus, nisi se cohibuisset. Et aliàs, conceptũ G in Nabal facinus, mitigato dictis Abigail furore, refrenabat; ne eum, cum tota familia funditus, prout statuerat, exterminaret. Ita quando coram arca saltauit, & à Michol despectus fuit: quam sui victoriam, D. Gregorius omnibus aliis eius splendidis trophæis mirè præponit.

Prou. 16.

1. Reg. 24.

1. Reg 25.

2. Reg. 6

Greg. Moralium lib. 27 cap 27.

Vt



Quis maior, quam qui debellat viribus vrbes?
Cui cupidos animos rationis fræna cöercent.

Wie isser vromer Vurst, dan die veel steden wint?
Die synen moedt, en lust, onder de reden bindt.

Ceux qui sont habiles, A prendre des villes, Sont ils les plus forts?
Non: c'est le courage, Qui donte sa rage, Aux plus grands efforts.

Vt autem eiuſmodi noſtrę cupiditatis eſſemus victores, ab initio Deus homini liberam ſuæ voluntatis atque arbitrij fecit poteſtatem: vt, quo eſſet in victis maior ignominia, eo maior eſſet in vincentibus gloria. Sic in vno Cain, omnibus mortalibus dixit: *Sub te erit appetitus tuus: & tu dominaberis illius.* Huic conſonat quod dicit Eccleſiaſticus: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Item: *Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Vnde benè dicit Proſper: Non caret regia poteſtate, qui corpori ſuo nouerit rationabiliter imperare. Relictus enim proprio ſuo arbitrio, vt ſi velit, ad malum extendat manum homo; dum huc impellentibus prauis naturæ motibus reſiſtit, & ſibi legem ponit, Rex ſuarum eſt affectionum, magnamq́ue acquirit victoriam.

Libertas arbitrij. Geneſ. 4. Eccli. 15. Proſper.

Quia vęrò magni momenti eſt actus ille, & planè heroicus, hinc optimè ille: Animum rege: qui niſi paret, Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catenis. Quod idem aliis verbis, alioq́ue tropo, dicit Dominus noſter: *Regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Vis enim omnis & violentia, in praua ac tarda natura ſuperanda conſiſtit.

Horat. li. 1. Epiſt. Matth. 11.

Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, pluris quoque æſtimabat, animi affectus domare, quàm munitiſſimam aliquam ciuitatem armata manu expugnare. Opportunè admodum ad hæc Seneca: Si vis omnia tibi ſubiicere, ſubiice te rationi: multos reges, ſi te ratio regat. Quod & Claudianus magno verborum ac ſententiæ conſenſu aſſerit, dum ait: Tunc omnia iure tenebis, Cùm poteris Rex eſſe tui. Quocirca, vt clariſſimè ipſe vides, poteris Chriſtiane Lector, hac animi fortitudine, magnum illum Alexandrum longè ſuperare: qui, cùm viſus ſit totum ſibi terrarum orbem ſubiugare, proprios tamen hoſtes, cupiditatem inquam, iram, & ebrietatem ſibi nequiuit ſubiicere, neque Rationi ſuum imperium tueri ſaluum. Vt rectè de Hercule Mantuanus: Omnia cùm domuit, Veneri ſeruiuit & iræ. Tu verò, & magnis, & maximis illis maior eſſe reuera potes; & excellentiorem ob id coronam promereri.

Ageſilaus. Seneca. Claudianus

Oratio ad affectus animi domandos.

Poſtquam diuinæ tuæ maieſtati inobedientes fuimus, aduerſa nobis facta ſunt omnia, & nos nobiſmetipſis graues: Da nobis, Domine, ſapientiam & virtutem, animi noſtri motus ita ſub ratione moderandi, vt terram corporis noſtri, ſub tua obedientia in pace poßidentes, terram aliquando viuentium poſsidere mereamur. Amen.

CAP.

CAP. XXXVI.


Quid mage Christiadas Virtutis ad ardua ducit?
Concio: Ritè piare animũ: & sacrosancta Synaxis.

Suetonius cap 7. in Octauio.

Semper Augustus, Christianus.

Augustin. super Psal. 119. & Ser. 15. de Verb. Apost.

Bernardus epist. 253.



CELEBRE ac planè heroicum Rom. Imperatorum dictum fuit [semper Augustus] vt inde etiam vox illa, Augustus, vim & locum Imperialis nomenclaturæ obtinuerit. Verè A nomen hoc, homine Christiano dignissimum, cui tam necessum est in vitæ ac virtutum via semper procedere, ac proficere; vt cessare non detur. Ita D. Augustinus: Quantumcunque profecerimus; nemo dicat: Sufficit mihi; iustus sum. Qui hoc dixit, remansit in via; non nouit peruenire. Vbi dixit: Sufficit mihi; ibi hęsit. Immo (quod est amplius) cessare, ac gradum sistere, retrocedere est. Sicut in nauigio contra fluminis ictum tendente, semper opus est progressum moliri, aut aquæ ipsius defluxu in decliue sponte defertur. Hoc est quod S. Bernardus dicit: Nolle proficere, non nisi deficere est: non progredi, est regredi.

Et quia (sicut Cap. XXXI. diximus) arbores sumus, quas Pater cælestis plantauit, dum in filio eius Iesu Christo baptizati sumus, debemus semper crescere, altiùs radices mittere, latiùs extendere ramos, robustiores fieri, pluribus frondibus, floribus, & fructibus ornari, & onerari. Adeò semper Augusti in virtutum Regno, vt quantum fieri potest, nulla sit vsquam virtus, nulla gratia, nihil bonæ ædificationis, cuius non simus cupidi, & studiosi æmulatores: semper ad maiorem sanctimoniam, & vitæ perfectionem adnitentes: victoriæ sanctæ, in praua nostra natura domanda, vitiis natiuis, contractaque mala consuetudine, atque omnibus defectibus superandis, atque exstirpandis, tenaces persecutores. Hoc opus, hic Christianorum est labor, ac digna tanto Imperio generositas.

Tria præclara ad virtutem incitamēta, & pręsidia.

Ad hoc autem quàm optimè peragendum, nimirum, vt iuxta nominis atque officij Christiani dignitatem & exigentiam, debellatis omnibus vitiis, vitiosisque affectibus, vt Regni sui hostibus, in sui contemtu, Diuino cultu, amore virtutum, perfectionis studio crescat, proficiatque, vt tandem viuat, non ipse, viuat autem in ipso Christus ipse. Quæritur in Interrogatione, quid homini Christiano hunc ad finem maximè possit conducere. Respondetur, Nihil ad hoc vtiliùs ef- A ficaciusque, quàm frequentiori concionum audiendarum, faciendæ peccatorum Confessionis, ac sacrosanctæ communionis vsui assuescere. Maximo siquidem sunt hæc præsidio, augendarum virtutum, ac salutis promouendæ studiosis.

Quod



Quid mage Chriſtiadas Virtutis ad ardua ducit?
Concio: Rite piare animum: et ſacro ſancta Synaxis.

Secht, wat den Chriſten gheeſt, in deughden doet vermeeren.
Dwoordt Godts: de Biecht: en meeſt, theylich Lichaem ons heeren.

Quel poinct nous auance, Plus a l'eminence, De perfection?
Confeſſer au preſtre, De Dieu le repaiſtre, Hanter le ſermon.

B Quod ad Verbi Dei auditionem attinet, clarum eſt, quàm ſit illa ad virtutum, vitæque ſanctioris incrementum vtilis ac neceſſaria. Ex hac ſiquidem diſcimus Dei voluntatem, quidque in nobis eidem reluctetur, quod ad illam velut ad normam conformandum eſt. In verbo Dei attentè audito, videmus velut in lucidiſſimo ſpeculo, quid nos deceat dedeceátve; neque tantùm maculas conſcientiæ noſtræ in illo conſpicimus, verùm etiam certa ibi media illis eluendis nobis ſuppeditantur. Huc referri poteſt, quod Propheta Regius accommodè concinit: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.* Humilibus enim Dei ſermo, quid ipſis deſit oſtendit; & quo pacto idipſum adimpleant, demonſtrat ad amuſſim. Vnde rectè per eundem dicitur: *Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Item: *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis.* Qui enim, quæ in concionibus audit, obſeruat; lumen infallibile ſequitur, ne ambulet in tenebris, ne erret per deuia, & ne in lubrico labatur: ſed veritatem & viam tenendo, ad vitam æternam perueniat.

Concionis efficacia.

Pſalm. 118.

C Quòd autem frequentiùs peccata ſua per Pœnitentiæ Sacramentum abſtergere, magnum adferat adiumentum, ad virtutum in homine Christiano cumulandam, hoc fortè quibuſdam, à Confeſſione ſtultè abhorrentibus, perſuaſu difficile videretur, ſed tamen luce meridiana clarius eſt, ſi vel humanam rationem conſulueris. Ingentia enim portare pondera, ſaxum pedibus alligatum trahere; compedibus cateniſque conſtringi, mille remoras & offendicula ſuſtinere, non tam ſunt iter agenti impedimento, quàm vnicum peccatum mortale hominem Christianum impedit, quò minùs in via Domini progrediatur. Hic etenim non tantùm dicta illa obſtacula patitur, ſed inſuper vſque ad verticem in limo profundi fixus hæret, immò lethaliter vulneratus iacet. Et hoc inſuper maioris mali incōmodum ſuſtinet, quòd communiter peccatum vnum, aliud quamprimùm ad ſe peccatum trahat, niſi mox illud per Confeſſionem eximatur. Frequenter autem peccata fateri, ad hoc non ſolùm conducit, vt conſcientiæ vultus purior nitidiorque conſeruetur; verùm etiam præmunit, & roborat, ne citò in peccatum vllum mortale labatur; meliuſque ſe contra venialia præſeruet; & ad ampliorem gratiam promerendam, maioreſque in virtutibus progreſſus faciendos, reddatur alacrior.

Confeſſionis vtilitas.

Qui verò ad tam accommodum, per Confeſſionem crebriorem, auxilium, tardiores ſunt; conſiderent ſaltem ædium ſuarum pauimentum, quod non ſolùm ſæpè verſum, nitidum, & à minimis quoque ſordibus ſeruatur immune; verùm è contrà, ſi rarò ſcopas adhibuerit, tantas contrahit ſordium cœnique incruſtationes, vt iam

Rarò confitentium inertia.

non ſcopis,ſed ligonibus & ſecuribus opus ſit, ſi illas velit amoliri. Ita illis accidit conſcientiis,quæ ſcopas Confeſſionis rarò euerrēdis peccatorum ſordibus ſolent adhibere. Hinc etiam fit, vt vix ſciat Sacerdos,quomodo tales ſic obſoletas,ſicque obductas conſcientias debeat tractare. Ipſis verò,ſic conſtitutis,tandē ſerò ſatis,at necdum ſatis pœnitentibus, hoc accedit miſeriæ,vt præ moræ magnitudine , & multitudine peccatorum excæcati , etiam maxima & grauiſſima quandoq; peccata vel non videant,vel viſa cōtemnant, & nihili faciant:tamque pauca & parua ſibi eſſe confitenda exiſtiment,quàm qui octauo quoque die , aut etiam crebriùs confitentur , qui ſtatim etiam minimum peccati venialis puluiſculum detergere ſatagunt.

Vana excuſatio rarò confitentium:

Quòd autem nonnulli idcirco frequentiorem Confeſſionem refugiant , quia , vt aiunt , neſciunt quid dicturi ſint; parum certè in ratione fundata eſt iſthæc ratio. Quis enim eſt mortalium , qui ne ſemel in ſeptimana vel menſe peccet venialiter? Immò quis non frequenter hoc modo delinquat in die : cùm ſepties , hoc eſt ſæpiùs , in die cadat iuſtus? Quando autem confitetur pœnitens, quod ſe feciſſe recogitat, etiamſi vnum tantùm veniale peccatum haberet , materiam habet confitendi , & abſolutionem obtinendi. Nam licet non habeat , quod neceſſum ſit confiteri , habet tamen quod poſſit confiteri , eiuſque occaſione , ſupra remiſſionem , etiam gratiam nouam abundantem obtinere. Quis non libenter eò frequenter,immò quotidie eat , vbi, quod debebat, debitum agnoſcendo,remittatur, & inſuper ei pecunia vel merx pretioſa in ſinum adiiciatur?

Alia, æquè friuola.

Alij , æquè prudentes negotiorum ſalutis ſuæ adminiſtri , ſe à crebra peccatorum confeſſione ſolent excuſare,quòd ſemper eadem ferè peccata confitenda recurrant , eoſque propterea pudeat, tam ſæpè eandem cantilenam Sacerdoti occinere. Puerile planè eſt & iſtud: quaſi verò laudabilius ſit , ſi quotidie grauia, noua , & inaudita habeant quæ pro confeſſione recenſeant. Vel, quaſi mirum hoc videri debeat, ſi claudus , ea parte qua claudicat , veſtes ſuas ferè ſemper commaculet , ibique ferè ſit ſemper quod defricet. Vtque vitio ſine nemo naſcitur, & quiſque ſuas habet infirmitates,quibus in via mandatorum Dei claudicat ; ita mirum eſſe deſinit, ſi ea ex parte offendat frequentiùs,ibiq; vt plurimum inueniat quod corrigat. Ita malæ herbæ ſæpiùs euellendę ſunt,quia ſemper repullulaſcunt. Ita qui circa ignem verſantur,ſe crebriùs adurunt: qui acutis inſtrumentis cōmuniter vtitur,ſe non rarò, ſaltem leuiter ſauciat. Ita quibus aſcēdendum, currendum , vel ſemper ferè iter agendum eſt, ſe circa pedes vel defœdant, vel etiam lædunt. Hinc etiam nemo miratur,ſi circa eiuſmodi partes ferè quotidie habeant quod agant,ſeu purgandi , ſeu curandi , reſtaurandique gratiâ. Eadem eſt ratio purgandæ,curandæ, reparandęque

randæque per Confessionem animæ, circa illa, in quibus præ infirmitate, vel alia ex causa, frequentiùs tali studio indiguerit.

D Tertium, quod Responsio dicebat valde ad profectum in virtutibus faciendum accommodum, est sacra Synaxis. Et quid in eo dubij esse queat quin ita sit, cùm ipse, qui ibi sumitur, via sit, quam inambulare debemus: veritas, quæ nos errare non sinat; & vita, sine qua nec viuere, nec mouere nos valeamus, & per quam ad vitam tendamus æternam? Ipse est viaticum nostræ huius peregrinationis, quo destituti deficeremus in via: quo freti viuimus, valemus, valentioresque in dies efficimur.

Fructus Communionis.
Ioan.14.

Quod autem, vt de Confessione diximus, etiam ab hoc cælesti epulo se quidam prætextu maioris reuerentiæ, deuotionis, & id genus fucatæ rationis, subducunt; fidem dictis illorum aliquam adhiberem, si tales, post omnem moram, etiam anni integri tergiuersationem, & post omnem suum annuum apparatum, maiori cum deuotione ac reuerentia accedere cernerem. Sed videas tunc maximam confusionem, turbationem, & dissolutionem; tam in Sacerdotibus, qui id dolenter adspiciunt, quàm in tali hominum turba, qui ad annalem illam deuotionem tam tumultuariè concurrunt. Adeò vt omnis ferè talium deuotio, erga Sacramentum hoc augustissimum reuerentia, ac præparatio, (vt miserandam iam confessionem omittam) in optimis, vel nouis, aut etiam alienis vestibus assumendis consistat; in quibus, vt alienis plumis, glorientur; plateatim posteà obambulantes spectatum eant, simul spectentur vt ipsi.

Ineptia se à Communione subtrahẽtium.

Præpostera quorũdam deuotio.

Ad hanc quoque reuerentiam pertinet, quòd eo die (iuxta sterilem illum deuotionis corticem) ne digitum quidem vlli rei domesticæ, etiam humilitatis, vel maximi meriti, boniq. officij admouere dignentur: ac si ante fores desidere, fabulari, per ciuitatem curiosè discurrere, cum consodalibus gregatim vagari, magis cum Christi dignitate concordet, quem sumserunt, quàm debitis humilitatis obsequiis eo die domi insistere. Summa, eò spectat talium talis deuotio, vt quem per annum distulerunt admittere, momento citiùs ex animi penetralibus exturbent. Hoc studium consiliumque vafri serpentis, nobis tam specioso artificio rem eam submouentis, quam ad virtutis augmentum tam nouit efficacem. Quod dum infidelitate, aut aperta malitia, crassave negligentia nequit efficere, prætextu id maioris, vt dixi, deuotionis ac reuerentiæ perficit. Quo pallio, simplices se non solùm à tam salutari exercitio, cum dolenda animæ iactura, propulsant; verùm etiam se meliùs facere arbitrantur iis, qui Angelicis istis deliciis fruuntur frequentiùs; vt qui tantam tam tremendo mysterio non deferant reuerentiam. Videte quęso, quò prolabamur, dum per eum seduci nos sinimus, quem proditorem, hostem, ac animarũ nostrarum odiosissi-

Diaboli versutia circa Cõmunionẽ.

odioſiſſimũ nouimus inſectatorẽ. Qui primęuo illo noſtræ felicitatis odio agitatus, ferre non poteſt, nos, qui ex terra conditi ſumus, tametſi fragiles atque infirmi, panem tamen Angelorum manducare, quo ſe ille indignum reddidit: noſque aſſiduo cæleſtis huius edulij vſu, eam in ſpem, atque aptitudinem proficere, vt tandem etiam cum ipſis Angelicis ciuibus cæleſtem Hieruſalem incolamus, ſedeſq. quibus teterrimi illi ſpiritus extorres facti ſunt, in æterna beatitudine occupemus.

2.Cor.11.

Viderit nunc, quiſquis hoc commentum ſequi volet, quantum in ſalute ſua curanda momentum ponat. Hoc enim, inter tot ſtratagemata, vnum eſt, quibus ſe diabolus in Angelum lucis transfigurans, prætextu boni, bonum noſtrum vnicum euertit. Ipſi ſiquidem ſuſque deque eſt, quo modo, quáve via nos in certam animæ perniciem adducat; ſiue manifeſta nequitia, ſiue ſpecie maioris boni fucata. Vt hæc eſt, prætextu maioris deuotionis ac reuerentiæ, raró confiteri, rariùs ſacram Synaxim ſumere: & interim efficere, vt longè maiori cum tepore, diſſolutione, & irreuerentia accedatur, dum per annum procraſtinatum eſt. Tam enim odio ſunt hoſti noſtro piæ iſtæ exercitationes, vt etiam ſe adorare illa, paratus ſit fingere, ſi ſpes ſit tali fraude omnia euertendi.

Auguſtin. Confeſſ. lib. 5.cap.13.
D. Ambroſij auditor Auguſtinus.
Concionis vis.

Vt autem tria hæc ſalutis promouendæ media exemplis colluſtremus, primùm occurrit, quàm conſultè & prudenter ſancta Monica inter multa conſilia & cœpta, quibus vt filium ſuum Auguſtinum Chriſto pareret, vſa eſt, etiam illud in medium protulit, vt ipſe audiendo Dei verbo, ſancto præſertim Ambroſio mellitis illud labiis propinante, daret operam: quod & fecit, & optatum inde fructum retulit. Nec mirum: quia nõn ſolùm viuum per ſe & efficax eſt verbum Dei, ſed & peculiarem habet energiam, dum ſpiritu illo, quo eſt præditum, prolatum fuerit, & auribus cordis hauſtum. Deinde præter propriam, quam initio dixi, operationem, etiam ad duo alia, nimirũ ad Confeſſionem, & Cõmunionem addùcit. Neq; fruſtrà S. Bernardus matri ſuæ grauidę, per catellum latrantẽ, & S. Dominicus per canẽ, facem ore geſtantem, totumque Orbem incendentem pręmõſtratus eſt. Per latratum enim cõcionatorum & homines à malo abſterrentur, & ad virtutes incitantur: atq. ore eorundẽ ignis ille profunditur, qui hominum corda colluſtret, & accẽdat ad ſanctè viuendum. E

In vita S.Bern.Sur. Tom.4.

Confeſſionis efficacia.
Marulus li.4.cap.11.

Confeſſio verò ita hominem in alium commutat virum, vt idem non appareat, ſed prorſus nouus, qui ſecundùm Deum creatus ſit. Id frequenti arreptitiorum experimento percipitur, dum illi aliorum manifeſtant facinora, etiam interdum valdè occulta: quæ illi, quibus obiecta ſunt, mox vt confeſſi ſacerdoti fuerint, & ad eos qui malignis arrepti ſpiritibus ea antea propalarant reuerſi, nihil vltrà, quod ſibi exprobandum ſit, audiunt.

Venerabile Altaris Sacramentum dignè ſumtum, cæleſtem ac diuinum facit hominem, iuxta diuinam cibi huius cæleſtis atque Angelici conditionem, ac præſtantiam. Vnde & factum eſt aliquãdo, vt aliqui hoc cibo ſuperſubſtantiali paſti, citra omne aliud nutrimentum vitam duxerint ſanam ac ſanctam. Sicut nominatim de Liberali Heliodori Altinenſis Epiſcopi diſcipulo legitur, qui vitalem hunc panem ſingulis diebus Dominicis percipiens, reliquos dies abſque eſu potuque peregiſſe perhibetur. Communionis energia. *Marulus lib.4.ca. 12.*

Refert Cęſarius Heiſterbachẽſis in Hiſtoriis ſuis mirabilibus, quod femina quædam ex multa deuotione frequenter communicare conſueta, quò plus cibum cæleſtem appetiit, eò amplius corporalem faſtidiuit. Adeò vt permiſſione ſui Sacerdotis Dominicis ſingulis ſacram ſynaxim accipiens, per totam hebdomadam intermediam à cibis corporeis abſtineret. Cùm verò Sacerdos rem tam admirandam narraſſet epiſcopo, timens is ne quid imposturæ vel erroris ſubeſſet; iuſſit ei proxima vice, loco Dominici corporis, hoſtiam non conſecratam porrigi. Quod cùm ſincerè feciſſet ſacerdos, femina tentatam ſe factumque periculum ignorans, mox vt domum rediit, tam vehementer eſurire cœpit, vt fame morituram ſe crederet, niſi ſtatim ſumto cibo pepuliſſet inediam. Currens tamen priùs ad Sacerdotem, & famem illam peccatis ſuis imputans, pedibus eius ſe proſtrauit, & gratiam diuinitus collatam ſibi ſubtractam lacrymabiliter expoſuit. Quod vbi ille audiuit gauiſus eſt valde, & gratias egit Deo, qui facit mirabilia magna ſolus; deditque ei verum Chriſti corpus, cuius virtuti mox omnis eſuries ceſſit, & gratia ſubtracta acceſſit. Epiſcopus hæc audiens à Sacerdote, & ipſe Deum glorificauit. Cæſarius.

Magna haud dubie & admiranda iſta, ſed potior præſtantiorque virtus eſt Euchariſtiæ, quam in hominem interiorem exercet, eumq; prorſus in alium mutat.

Oratio ad vtiliter Verbum Dei audiendum, Confitendum, & Communicandum.

Os meum, quæſo Domine, aures, & cor, tua gratia, aperi, munda, & poſſide; vt ſanctum tuum Verbum auribus audiendi audiam, peccata mea perfectè confitear, & tecum te dignè ſumendo ſic vniar, vt vitam habeam, & abundantiùs habeam in æternum. Amen.

CAP. XXXVII.

Virtutísne viâ populari absterrear aurâ?
Vrge iter vsque tuum: discerpant cetera venti.

Qui se diuino cultui parant, obloquia patiuntur.

OPTIME hęc Interrogatio cum præcedẽti quadrat, qui namque in animum induxerunt, vitam suam in melius commutare, & ad Virtutis arcem contendere; maioremq́ue ad hoc concionibus audiẽdis operam dare, crebriùs peccata confitendo detergere, ac Dñicæ mensæ se consortes facere; illis cõmuniter hoc oboritur in primis prælij ac velitationis, vt oblóquia hominum, iudicia temeraria, & etiam irrisiones, pro rei nouitate, sustineant. Itaq; non tantùm in se hoc sentiunt molestiæ, quod cuiusq. bonæ rei principio, ex difficultate prima percipitur; sed etiam hominum garrulitate eis remoræ obtenduntur, dum in similitudinẽ improperij, virtutis inceptę viam, morumq. in melius mutationem obiiciunt. Dico, in similitudinem improperij: quia verum improperiũ in virtutem & probitatem non cadit. Ideoq; dum cuiquam bonum rectumq; exprobratur, vt quòd pius, sobrius, modestus, bonæ cõscientiæ, ac timẽs Deum sit; similitudo tantùm improperij est, & laus potiùs indubitata. Fatentur istud ipsimet eiusmodi subsannatores, in inferno positi, seroq́ue suam temeritatem complorantes. *Hi sunt* (inquiunt) *quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati!* Propterea tantum abest, vt ob popularem hanc sinistram auram, & ob cauillos gannitusq́ue mundanorum hominum, à bono quispiam cœpto desistere debeat, vt etiam eò magis illi sit in via virtutum insistendum, maioriq; alacritate atq; animo progrediendum. Ex hoc namq; improborum obloquio, velut certissimo indicio, constat haud dubiè bonum hoc esse debere, quod à malis impetitur: á Deo id esse oportet, quod diabolo & mundo tam contrarium est, vt graue eis sit, etiam ad videndum. Huc accedit diuini eloquij comprobatio; & omnium Dei mininistrorum atq. amicorum testimonium, & exemplum; vitæ meliori intendere, ac meliora semper sectari, esse laudabile.

A

B

Similitudo improperij laus est.

Sap. 5.

Sap 2.

Optimè itaque dicit Responsio: Vrge iter vsque tuum. sicut dicit ille: Quo pede cœpisti sic benè semper eas. Discerpant cætera venti. hoc est: Quid homines vani ac ventosi super id iactitent, dictiténtve, ne curaueris. Inuenias siquidẽ aliquos ita parũ stabiles, tamq. inconstantes, vt optima etiam cœpta, immò apertam Dei vocationem ad vitæ sanctioris statum reiiciant, ob ridiculam hanc, & plusquam puerilem vanorum hominum oblocutionem; quã inaniter metuunt, solùm secum cogitantes. Quid dicẽt homines? si vitam, vestẽ, vultum, cultum,

Ouid. 1. *Tr. Eleg.* 8.

Vanum dictum; Quid dicẽt homines?



Virtutiſne viâ, populari abſterrear aurâ?
Vrge iter vſque tuum: diſcerpant cetera venti.

Moetmen, om tvolcks gheſeck, de deucht en tgoet verlegghen?
Siet ghy naer uwen wech: maer niet, watmen ſal ſegghen.

Faut il pour le rire, Du monde, et ſon dire, Rompre ſon deſſein?
Suy touſiours tes erres, Ne te chaillant guerres, De ſon caquet vain.

cultum,mores,honores,& ſtatum mutem: ſi in Religione aliqua, mundo abdicato, Dei me ſeruitio deuoueam; quid dicetur de me? Ecquid quæſo dicetur? Et quis quid dicet? Optimi quique factum laudabunt, Deo agent gratias, & ad imitandum fortè exſtimulabuntur exemplo. Mali maledicentia ſua & obloquio rem magis confirmabunt; teſtatumq. facient, ſanctú & diuinum eſſe, quod ipſi ita auerſantur. Sic ille Philoſophus, cui cùm diceret aliquis: Malè de te loquuntur: Credo, inquit, ſed mali. Æquè enim magnæ eſt laudis, & à bonis laudari, & vituperari à malis. Nam vt dicit Seneca: Malis diſplicere, laudari eſt. *Seneca.* Rectum enim eſſe neceſſum eſt, quod cum torto & prauo non conuenit. Quamobrem debet quiſque ſibi ſuęq. ſaluti conſulere, neq. dictis hominum moueri, quãdo boni quidpiam conceperit animo; ſed ſi dubitat, rem omnem cum expertis, & benè in eo genere verſatis expẽdere. Primùm, maiorem Dei gloriam, animæ tuæ ſalutem, & rei conceptę cum his aptitudinem attende: neq. quid dicturi ſint homines, vel obliquè conſideres.

C Hic tu mihi equum generoſumq. caballum imitare; qui licet omnes totius plateæ atque oppidi canes eum allatrent, imperterrito ſuo atque animoſo paſſu procedit contẽtis omnibus: tantumque abeſt, vt propterea gradum figat, cœptumq; iter retexat turpiter, aut eò lentiùs prorepat, vt potiùs maiores animos induat, generoſioriq; plauſu tellu- *Equus generoſus nil canum latratus moratur.*
D rem pulſet, iterq. ſuum conficiat. Per ipſum ſanè licet, latrẽt canes, ferratoſq. eius ſectentur & mordeant calces, quouſq. libebit; redeantque ſponte domum, dum latrando mordendoq; defeſſi ſunt: ipſe interim eos nil moratur. Videaſq. canes etiã eò vehemẽtiùs tranſeunti tibi oblatrare ac baubari, diutiuſq. inſequi, quò plus curaueris: ſin negligas, ſponte tacent domumq. ſuam repedant. Ita in bono propoſito proſequendo, cõtra hominum latratum cordato eſt Chriſtiano faciẽdum.
E An me canum latratus à bonis abſterreat? Quin & ruſticanam aliámve mulierem in huius capitis typo expreſſam tibi imitandam propone. Quídnam agit? quod agunt eiuſmodi, quæ gallinis alendis dant
F operam? Oua ſtudioſè in ſinũ è nido colligit. Gallinæ interim, & ipſe etiam gallus gallinaceus garritu & clamoribus omnia complent. An illa propterea à cœpto deſiſtat? nihil minus. Cogitat quippe. Veſtra vobis garrulitas permittitur; at mihi hæc oua cedent. Vos quod veſtri eſt muneris facitis; ego quod mei, curo. Ita cuiq. ſalus ſua curę eſſe debet: nemo autem ſtultis hominum iudiciis vel obloquiis moueri.

Nam ſicuti ſalua conſcientia neque velis neque poſſis malum facere, etiam toto id tibi mundo ſuadente; ita nec bonum, quod teſte eadem conſcientia tibi faciendum eſt, debes omittere; etiam ſi mundus reclamet, vel obloquatur quiſpiam. Dic talibus ſaltẽ, quod Titus Tacitus Metello ſibi obtrectanti: Facile eſt in me dicere: cùm non ſim *T. Tacitus.*

reſpon-

Maledicentiæ tolerantia: responsurus. Tu didicisti maledicere; ego, conscientia teste, didici maledicta contemnere. Si tu linguæ tuæ dominus es, vt quicquid lubet effutias; ego aurium mearum sum dominus, vt quicquid obuenerit, audiant inoffensæ. Quod sine dubio, nos Christiani, perfectiùs obseruare deberemus, quàm tales, qui lumine fidei, & gratiæ dono caruerunt. Scimus etenim certò, sicut nos, coram Deo, totius mundi patrocinium non excusabit, si propria accusarit conscientia; ita nobis nihil obfuturam hominum omnium refragationem, si iuxta Dei nutum, ac propriæ conscientiæ testimonium, processerimus. Quo illud Augusti etiam spectat; Benè agere, & audire malè, Regium esse; ac duplicis meriti; ex operis boni præstantia, & patientia linguæ maledicæ.

Tob.2. Tob ę exemplo; Quid de Tobia dicemus, qui vxoris propriæ exprobrationē, & petulantem in maledictis linguam toleranter audiuit; atq; si ob eleemosynarum, operumque misericordiæ laudabilem piumq; vsum, in cæcitatem illam temporaneam incidisset? Sic & ante luminis priuationem ipsi eadem atque alij plures improperarant: at non propterea destiterat mortuos sepelire, pascere famelicos, mœstos cōsolari, & concaptiuis monita salutis dare. Sciebat vir ille sanctus, non esse bonum opus ob maleuolorum dicacitatem omittendum. Ita neque Iob à recto virtutum tramite deflexit, tametsi etiam ab amicis, miris dicteriorum modis lacesseretur. Sed quo in speculo id expressius nobis, quàm in tota Domini nostri Saluatoris vita optemus exhibitum? Is enim non tantùm aliquando corporaliter insidias ei & mortem moliētibus Iudęis, sed & blasphema lingua maledicentibus, per medium illorum ibat: nobis exemplum præbens, ne vel latum vnguem ob hominum maledicentiam à recto deflectamus. Id vidit vel cæcus ille secus viam: tantum enim abest, vt ob increpantis turbæ voces à cœpta Christi inuocatione destiterit, vt etiam eò magis ac magis opem eius implorarit.

Iob.2. Exemplo Iob.

Luc.18.

Niceph. lib. 11. cap 36. Moyses latro conuersus. At nunc mihi meritò considerandus veniat Moyses ille Maurus, monachus. Hic postquam latrociniis Ægyptum agitauerat, Anachoretarum inibi vitam contemplatus, monachus factus est, Isidoro Abbati se tradēs instituendum. Quid egit? quid animo voluit? quidnam dicerent homines? pręsertim ipsius cōgerrones, collatrones? Minimè gentium. Longè fixiùs in tam pręclaro cœpto gressum firmauit, quàm vt tam inani ac friuolo sibilo se loco moueri permitteret. Quinque etenim & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit: sex annos cella inclusus permāsit, ad multam noctem stans orabat, pane tantùm & aqua sustentabatur. Deinde charitatis operi se accingens, noctu peragrabat solitariorum tuguria, hydriasque ipsorum aqua replebat, vt procul haustum petentibus, laborem leuaret: peracto officio, tacitus redibat. Sic faciendo, qui priùs homicidiis infamis fuerat, factus est sanctitate clarus: & qui quondam rapinis terram infestarat, regnum

cælorum

cælorum vi alia rapuit. Interea temporis, dum ille eundo, redeundo, per deserta vagando, in priorum contubernalium incidit occursum & manus; quid egit? quid cogitauit? num illum mutatæ vitæ, cœpti melioris, habitus noui, operum humilitatis, suiq; propositi puduit? num ipsis eum deridentibus, ad pristina reuocantibus, aures prębuit? cessit? destitit ab instituto? Nequaquam profectò. Quin imò quamplurimos eorum ipse ad suum pellexit consilium; & quemadmodum candidatus hic Maurus in se pellem mutarat Æthiopis, ita & eos docuit leopardi maculas deponere, & secum monachorum vitam viuendo, deposito cameli gibbo, per foramen acus transire. Eius in Martyrologio memoria celebratur 28. Augusti. Ita & de S. Guilhelmo referre nihil impedit, qui à S. Bernardo ad vnionem Ecclesiæ reductus, & ad peccatorum pœnitentiam permotus, quando iam & statu & mutato habitu, vitam planè aliam ducens, eremita factus, thoracem ferreum, quem contra Ecclesiasticam vnitatem gesserat, nunc super nudo corpore in sui castigationem summa cum pœnitudine atque humilitate gestaret, & in totius mundi conspectu totus in alium virum mutatus esset: si tum ei in mentem venisset, aut vllo modo attendisset, quid vel amici vel mundus dicerent; citò sanè manum ab aratro Euangelico remouisset, & respexisset retrorsum. Verùm è contrario ita cœptis institit, mundo frustrà reclamante, vt quamplurimos ad sui imitationem permouerit: Ordoque inde sit institutus VVilhelmitarum, anno Domini 1155. Dicat igitur quicquid volet mundus; tu, quid tibi sit facto opus, attendito.

S. Guilhelmus. *Surius tom. 1. Febr. 10.*

Quinimo, si contigerit maleuolorum aliquem, ob pium tuum exercitium, sarcasmum in te vel scomma conijcere, tibique videatur aliquid respondendum; id ita prudenter instituas, vt ipsi aliisque ædificationi esse possit. Quemadmodum enim in Gedeonis exercitu, lagenis ad se inuicem complosis, inclusæ lampades, tum in mutuum solamen, tum in communis hostis excidium, resplenduerunt; ita operę pretium est, vt, si quando facimus inuicem angustias, & vascula nostra fictilia fragilitatis humanæ ad se mutuo colliduntur, sic lux patientiæ, humilitatis, & charitatis eradiet, vt inuicem ædificemus, & communis animarum nostrarum hostis exstirpetur. *Iudic. 7.*

Oratio pro constantia in virtutibus seruanda.

Q*Vandoquidem sine te, ô dulcissime Iesu, neque recti quidquam cogitare, nec incipere, nedum perficere valemus; fac nos in virtutibus stabiles, & da gratiam ita omnia obstacula superandi, vt viam salutis inoffenso pede ambulantes, virtutum præmia consequi mereamur. Amen.*

CAP. XXXVIII.

Quæ nos infeſto circumſtant agmine peſtes?
Mũdus ouãs: Satanaſq. furẽs: Caroq. intimus hoſtis.

Tres animę noſtrę hoſtes: Caro, Mundus, Dęmon.



Si homo, Dei pacem atque amicitiam ſaluam ſibi conſeruaſſet, nullum ipſe hoſtem, præter diabolum, habuiſſet; qui inuidere quidem, non autem nocere potuiſſet. Sed, quando à debita Deo obedientia diſceſſimus, omnia nobis contraria facta ſunt & aduerſa; & noſipſi moleſti nobis. Hoc illis beati Iob verbis clarè exprimitur, dum ait: *Peccaui: poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis.* (Iob. 7.)

A Tres præcipui ſunt hoſtes, hominem ad peccatum incitantes, eiuſque ſalutem acriter impugnantes: Caro, Mundus, & Dæmon. Qui à D. Ioanne alio loquendi modo produntur: *Omne*, inquit, *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* (1. Ioan. 2.) Horum omnium Princeps & Rex diabolus eſt. Nam etſi tres iſti, per ſe ſinguli, turmam atque aciem peculiarem conſtituant, quò in nos omni ex parte impreſſionem faciant; meritò tamen totius prælij huius tam infeſti dux & imperator diabolus dicitur; quia alij ſub eius quaſi caſtris & ſignis militant aduerſus hominem. Expeditio iſta rectè in libro Iob deſignatur, vbi ſic legitur: (Iob. 1.) *Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percuſſerunt gladio.* B

Dicit idcirco idem Sanctus miſeriam huius vitæ conſiderans: *Militia* (ſeu tentatio) *eſt vita hominis ſuper terram.* (Iob. 7.) Adeò vt mundus totus campus dici poſſit, vbi conflictus committitur; vitæ decurſus, tempus belli: quo durante pugnandum eſt, & corona promerenda. Inſpector Deus, qui & auxiliator fortis; daturus, poſt adeptam victoriam, æternæ gloriæ triumphum. Sic D. Paulus ait: *Nemo coronabitur, niſi legitimè certauerit.* (2. Timot. 2.) Quemadmodum enim via filiorum Iſrael, per deſertum, continua cum hoſtibus pugna fuit, quibus debellatis, in terram promiſſam triumphatores ingreſſi ſunt: ita vita noſtra, aſſidua cum noſtris hoſtibus eſt decertatio, qui nos & à dextris & à ſiniſtris infeſtantes, ab ingreſſu patriæ cæleſtis arcere conantur: atque non niſi omnibus iſtis ritè pugnando ſuperatis, promiſſam illam lacte ac melle manantem ſupernorum ciuium regionem, ac coronam gloriæ, poſſumus obtinere.

Hoc interim ſolatij habemus, nihil nobis eſſe timendum, etiamſi conſiſtant aduerſum nos terna hæc caſtra, etiamſi inſurgant in nos

tres



Quæ nos infeſto circumſtant agmine peſtes?
Mundus ouans:Sathanáſq; furens:Caroq; intimus hoſtis.

Die dry vianden fel, welck synſe; die ons quellen?
De weerelt: t'Vleeſch rebel: en den Prince der Hellen.

Quel ennemy tache, Sans treue et relache, Sur nous trionfer?
La Chair fretillarde, Le Monde, et la darde, Du Prince d'enfer.

tres istæ turmæ, quamdiu tuta intus conscientiæ quies & tranquillitas conseruatur. Sicut enim echinus aut ericius, surrigens vndique setas, in medio adlatrantium canum liber conquiescit, ita bona conscientia, innocentiæ tecta velamine, inter omnium hostium insultus & insidias, immunis, & tuta est. Echinus, bonæ conscientię typus.

Primi tanquam domesticis hostis, Carnis inquam, pugna, in Eua primùm nobis figurata fuit, quæ Adamum blanditiis ad Diuini mandati transgressionem pellexit. Deinde etiam in stulto illo Nabalo satis expressam habemus carnis rebellionem, qui commoditati suæ, & ventri pascendo, ac gulæ seruiens, cetera parùm curabat; hebes, deses, ingratus, cor suum crapula & ebrietate grauans, sibiq; eo modo infelicem atque inopinatam mortem accercens. De quo ipsa eius vxor Abigail rectè dicebat: *Stultus est Nabal, secundùm nomen suum: & stultitia est cum eo.* Ita & caro: vna quasi manu, florum, sertorumque redolentium amœnitate prætensa, altera gehennæ incendia occultè comportans, vt fallaciter hominem incautum illis inuoluat: interim voluptatibus dans operam, & iucundè in certam perniciem ruens: non recogitans momentaneum esse quod delectat, æternum verò quod cruciat. Figura carnis non incongrua & Goliath fuit: qui, instar turris carneæ, spiritum, in Dauide figuratum, persequitur; & castris Dei magna cum proteruia insultat. Magna sanè & periculosa est hæc cum hoste domestico pugna. Inimici hominis, non tantùm vicini, amici, & domestici eius; sed & ipsemet homo suus hostis est. Quid enim tam tu, quàm spiritus tuus, cum carne tua & sanguine vnum eundemque constituens hominem? Hostem tuum in te circumfers, eodem tecum non tantùm vestimento tegis, eodem cubili componis, eadem tecum dignaris mensa; verùm etiam eum foues, pascis, defendis, & fortem facis contra te. Hostem agnoscis, vt hostem pateris, & vt amicum habes; & quo eum tractas humaniùs, eo ferociùs insurgit. *Scio* (inquit Apostolus) *quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Et vnde ista quæso nobis in carne rebellio? Ex primi parentis peccato. Vt enim omnes in Adamo eramus, ita in eo omnes peccauimus, & Deo fuimus inobedientes. Pro pœna autem commissi, inter infinitas alias miserias, etiam fomitem peccati, & ad malum propensionem, iure quodam hæreditario sumus consecuti; vt caro resistat spiritui, bellumque lethale duarum quasi gentium, proprio gestemus in vtero. Quod D. Paulus apertè ita testatur: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Cuius rebellionis acerbitate commotus, in se omnium nostrûm deplorando miseriam, sic exclamat: *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius*: aut vt dissoluar, & sim cum Christo; aut illud saltem in seruitutem redigam? *Gratia per Iesum*

Hostis j. Caro. Eua. Nabal.

1. *Reg.* 25.

1. *Reg.* 17. Goliath.

Mich. 7. *Matth.* 10.

Rom. 7. Vnde carnis rebellio.

Rom. 7.

Christum Dominum nostrum. Si multi periculosam hanc carnis luctam attenderent, longè solicitiùs huic tam perplexo negotio inuigilarent: non ita se vino somnoque sopiri permitterent; non carnem hanc tam delicatè & gulosè infarcirent; non ollam istam, in qua, iuxta puerorum Propheticorum contestationem, mors est, sic semper succenderent, neque oleum adderent camino: quin potiùs, vel lacrymarum fluminibus ignem exstinguerent; vel per abstinentiam foco fomenta substraherent; vel, quod amplius est, ollam totam de flagrante flamma deponerent; consortio hominum, totique mundo mittentes nuncium, & vitæ se sanctiori, atque à turbis remotæ, consecrantes. Id haud dubiè consultius crederent, quàm cum impuro hoc carnis incentiuo, incendio tradi tandem sempiterno.

4. Reg. 4. Mors in olla.

Secundo inter hostes nostros loco Mundum constituimus, qui, prima fronte, miro etiam stratagemate hostilitatem omnem, quantum potest, dissimulat; at interim internecioni certæ dat operam. Vna quasi manu misero mortali monilia, torques, coronas, gazas, honores, & summam denique felicitatem protendit: at alterâ latenter pauperiem, seruitutem, omnimodam miseriam, & certum tandem interitum subinducit: fœdam faciem læta larua condecorans, vt in blandientem tantùm vultum intendentes securiùs decipiat. De mundi astutia, vanitate, & digno contemtu ex professo LXXV. Capite, & aliquot sequentibus tractabitur: hîc paucis, de Mundo, vt hoste animæ nostræ iuratissimo. E

Mundus, hostis ij.

Per Mundum intelligitur vanitas, malitia, inconstantia, nequitia, fallacia, fraudulentia, & stultitia hominum talia amantium: quin immò, tales homines ipsi, Mundi nomine nuncupantur. Quorum quādoquidem caput & Princeps diabolus est, rectè Princeps mundi vocatur, hoc est improborum, ac mundanorum hominum. Hoc modo interrogat D. Augustinus: Quare peccatores nomine mundi appellantur? Quia dilectione mundi inhabitant mundum.

Mundi nomine quid intelligatur.

Augustin. Sermo 49. de temp.

Mirando, atque adeò miserando nos modo impugnat Mundus; ridendo, adulando, multa promittendo, palpando, & mira dilectionis atque honoris indicia prætendendo. Cuius, in fucato isto ac blandienti hostilitatis genere, præcellens figura Ioab fuit; qui Amasæ occurrenti blandè dixit: *Salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percußit eum in latere, & effudit intestina eius in terram.* Sicut & Iudas osculo Saluatorem nostrum vendidit, prodidit, tradidit Sic & mundus facit, mellita sua blandiloquentia, fraudulenta laudatione, adulatione, arridenti facie, ac splendidis promissis, quasi osculo improuidum inescando, prodendo, & morti æternæ tradendo. Aduigilandum est igitur cuique eò attentiùs, quò tam fictus fucatus-

Varia mūdi hostilitas.

2. Reg. 20. Ioab.

Iudas proditor.

fucatusque inimicus difficiliùs caueri poteſt. Ita D. Auguſtinus: O mundè immunde, fallax & proditor! Nunquid non periculoſior es blandus, quàm moleſtus? Nunquid non magis timendus es dum allicis, quàm dum ſpernis? Blandus enim, vt amicus excipitur, quando autem agit hoſtiliter, tunc viciſſim vt hoſtis fugitur. *Aug. Serm. 31, ad frat. in eremo.*

Et hoc pro more habet, vt quando blandimentis nihil efficit, tunc ad ſannas, ſcommata, irritamenta; & demum ad apertam perſecutionem hoſtilem conuertatur. Dum vulpina nihil pelle proficitur, leoninam induit, incipitque furere aduerſum innoxios. Vtque tunc tutior eſt homo, quando illum mundus aperto Marte perſequitur, quia ab illo tunc ſibi tanquam ab hoſte cauet: ita conſultum eſt, vt ne quis à mundo fallatur, vincatúrve, illum potiùs aduerſantem ſibi, quàm blandientem eligere. Tunc enim certi ſumus, & mundum nobis hoſtem eſſe, quod ſemper eſt, & Chriſtum amicum & protectorem: qui id nobis prædixit, & hoc modo ſolatus eſt: *Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Ecce dum aduerſum nos, vt hoſtis conſiſtit mundus, iuxta Chriſtum ſtamus, cuius & mundus iuratus eſt hoſtis. *Si de mundo* (inquit) *fuiſſetis; mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et vos amici mei eſtis. In mundo quidem preſſuram habebitis: ſed confidite; ego vici mundum.* *Vulpinę pelli leonina ſuccedit.* *Ioan 15.* *Ioan. 16.*

F Tertius hoſtis eſt Diabolus; qui, vt omnium Princeps, duos alios, per ſe alioqui ſatis noxios, ſuis caſtris adhibet; vt & per carnis illecebras, & per mundi inſidias, miſeros mortales in peccatum certamque perniciem pertrahat. Primùm quidem mali ſuggeſtione, deinde ad delectationem incitando; & poſtremùm, ſi vllo pacto poteſt, ad aſſenſum permouendo: qui dum in re graui tribuitur, peccatum mortale committitur, etiam ſi re ipſa in actum non deducatur. Rei autem exiguitas, vt & alia aliqua circumſtantia efficere poteſt, vt veniale tantùm exiſtat. *Diabolus, hoſtis iij.*

Ex quibus omnibus liquidò conſtat, quàm non ſatis ſecurè in vtramque, vt dicitur, aurem dormire liceat, tot vndique circumſtantibus hoſtibus, inſidias mille, & mille inſultus ſtruentibus. ſed, quòd tanquam ſtrenui milites, vigiles excubias agere debeamus, & ſemper quaſi in acie armis accincti ſtare: eam circa partem, fideliorem cuſtodiam, firmiuſque præſidum collocando, vbi arcem noſtram nouimus infirmiorem. Nam & hoſtis noſter eò quoque oculos, atque animum coniicit; ibique frequentiores applicat machinationes. Singulorum ſiquidem diſcutit ingenium, propenſionem, mores, infirmitates: qua ex parte faciliùs inuadi, expugnarique queant; vt faciunt exploratores; quod & Ioſeph fratribus ſuis, tentandi gratia, obiiciebat, dicens: *Exploratores eſtis, vt videatis infirmiora terræ veniſtis.* *Vigilãdum contra hoſtes.* *Hoſtis induſtria.* *Geneſ. 42.*

nistis. Exploratisque omnibus, diabolus ibi struit insidias, vbi faciliorem fore victoriam considerat: & licet aliis ex partibus, vbi in homine munitiora tutioraque sunt omnia, certo stratagemate simulatos intentet assultus, huic tamen debiliori præcipuam admouet impugnationem, quam & loci conniuentiâ, & defectu præsidij, videt præ ceteris expugnabilem.

Hostis cõditiones. Habet hic hostis omnes cõditiones, quæ in acerrimo inimicio considerari & timeri consueuerunt. In primis, veteranus, & inueteratus est, iamque propemodum senis annorum millibus hanc bellandi artem exercuit. Astutissimus, fortissimus, impudentissimus, & mille artifex est: naturalia enim, quibus pollebat vt Angelus, etiamnum retinet, iisque modo in nostram perniciem abutitur. Malus est, vt etiam mali nomine diabolus intelligatur. Superbus, adeò & Rex super omnes filios superbiæ. Hinc valdè præsumtuosus; audax in attentando, & in persequendo pertinax. Indefessus, arena non cedens, tametsi non rarò superetur. Si fugam simulat, pugnam restaurat ardentiùs. Inuidus est, malitiosus, impudens, & imperterritus. In omni certaminis genere, astu bellico, & stratagemate versatissimus ac versutissimus.

Pręsidia contra hostes. His tamen, Deo laus, non obstantibus, modò vigiletur attentè, fidelis adhibeatur custodia, præsidia dicta adhibeantur, & sit de cetero ad illum recursus in omnibus, sub cuius signo, Crucis vexillo, in sacro Baptismate inaugurati, omnes militamus; hoc est, ad Ducem nostrum, hostiumque nostrorum victorem Christum, pro belli directione, virtutis incremento, & diuino auxilio confugiamus; nihil est, quòd minaces hostium moremur manus; non est quòd terreamur; aut in minimo animum despõdeamus: quia fortior est, qui nobiscum est, quàm qui contra nos. Benè ideò nos monet Apostolus:

Ephes.4. *Nolite locum dare diabolo.* quasi dicat, State, ne cedite, in aliquo ei concedentes, vel consentientes. Quin potiùs, vt D. Iacobus ait, *Resistite*

Iac.4. *diabolo; & fugiet à vobis.* Quid minùs miles in conflictu faciat, quàm vt stet, non cedat, figat pedem? Hoc resistere, hoc pugnare, hoc est

1.Pet.5. victoriam consequi. *Aduersarius enim noster diabolus*, tametsi *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Crocodili tamen mores obtinet; qui, vt fugientes insequitur, ita fugit ipse insequentes ac resistentes. Vnde rectè præsentissimi remedij loco suggerit D. Petrus,

Fides, victoria. supra dictis verbis subnectens: *Cui resistite fortes in fide.* Fides nostra est, Christum illum debellasse, eiusque contudisse vires; ita vt nihil nobis nocumenti queat inferre, nisi nos ei in malum, consensum præbuerimus. Quando namque desiderabilem illum in Christo bolum, latente intus diuinitatis atque innocentiæ hamo, iniquo & auaro rictu momordit, & morte illum turpissima atque indigna afficiendo

ciendo deglutiuit; ita tum liuidas suas fregit fauces, ita dentes effracti, ac molares omnes contriti sunt, vt deinceps factus edentulus, non ampliùs mordere, sed labris blandiri tantùm ac lambere valeat. Non enim potis est quenquam ad peccatum nolentem impellere, sed nouit tantùm blandis suggestionibus illicere, & suauiloquentiæ fallaciis, quasi in laqueum dulcibus sibilis aues inducere. Vt & in Christo ostendit, dum non illum deturbare conatus est, sed tantùm blandè hortans dixit: *Mitte te deorsum.* Et quandoquidem hoc a libera nostra voluntate dependet, & proprio arbitrio, alia non est re in hac lucta opus, quàm vt cum diuina gratia bonam custodiam super munitione cordis nostri constituamus; non consentiamus in malum, & resistimus. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum*, carnem, & diabolum, *fides nostra.* Ne te victum dederis, & vicisti. *1. Ioan. 5.*

Cani quoque, ob id, catenato solet comparari diabolus: qui vt latret, ringatur, frendeat dentibus, propriis se saucians morsibus sanguinolentos protendat rictus, teque quasi inuasurus insultet; certus tamen es, quamdiu intra catenæ extentæ spatium te non immittis, illum ne hilum quidem tibi posse nocere. Si dentem tibi, vel vnguem infixerit, certè non est quòd cuiquam alij quàm tibi imputes: quia intra facultatis eius nocẽdi limitem, ac quasi ipsius horizontem te ingessisti, extra quem futurus eras immunis. Hinc est etiam quod semper in omni tentatione consulitur, vt principium cautè obseruetur, quo neglecto, non facilè consequentia euitentur. Cani catenato comparatur diabolus.

Ex eo namque tota ferè dependet belli prosecutio, & victoria. quod alia similitudine nos egregiè docet Isidorus, dum sic ait: Diabolus serpens est lubricus: cuius si capiti, hoc est primæ suggestioni non resistitur; totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. Vigili ideò, vt dixi, custodia opus est, plusquam magnis multarum copiarum viribus. Nam, sicuti prouido sagacique in specula oculo vigilis, meliùs aliquando ciuitati prospectum est, hostem eminus videndo, detegendo, & solo campanæ pulsu arcendo, priusquam accedat propiùs; quàm mille armatorum millibus, dum iam hostis vel per mœnia illapsus, vel per portam intromissus est: ita in omni ad peccatum impugnatione, quæ per tentationem fit, attentâ in principio curâ, insidiarum detectione, ad arma conclamatione, ad Deum per preces refugio, concessorumque præsenti præsidio plus efficitur; quàm omnibus aliis quibuscumque modis & mediis, quando iam serpenti malo in cor, per delectationem, & pręsertim per consensum, concessus ingressus est. Qui minimo æris sono, vel tubæ clangore, aut etiam vocis clamore, arceri procul poterat, non admissus; si intra limina pedem ponat, quantæ molis, quanti sanguinis, qualium erit copiarum, admissum eiicere? ferè actum semper est, quando eò ventum est. *Isidorus lib. 3. cap. 5. de summo bono.* Vigiliç bonę securitas.

Hinc

Simile à litteris proditoriis.

Hinc etiam ſicut, quando proditoriis blandiſque litteris,in ciuitatem vel caſtra ab hoſte ſubmiſſis, ducum aduerſariorum ciuiúmve animi ad defectionem ſolicitantur; conſultum planè eſt, dum id ſcitur,vel etiam ſubolendo timetur tantùm, litteras eiuſmodi non aperire,nec vel inſcriptionem legere; immò vel non accipere,vel eis acceptis, & in focum coniectis, nuncio ſuſpendium minari, ſi redeat: ita tutiſſimum prorſus eſt, primas tentatoris blanditias ne vel adſpectu dignari, auerſari inſcriptionis titulos, attributos honores, promiſſas opes, & quicquid animum in malum poſſit inflectere. Alioqui,ſi explicare clauſas inceperis litteras, conſiderare quæ ſplendidè appinguntur, ponderare promiſſa,incipies affici,voleſque ad calcem perlegere,& periculum facere. Actum eſt,in naſſam ingreſſus es,ſpecie boni ineſcatus,non facile erit reuocare pedem,& euadere.Obſeratas itaque litteras, totamque tentationem in ignem charitatis Chriſti conîicito, & nuncio, hoc eſt ſenſualitati, minare ſuſpendium, teque illam per pœnitentiam caſtigaturum, & cruci Chriſti affixurum, ſi ſimile vnquam deinceps attentarit.

Stratagemata varia hoſtis noſtri.

Non erit inconueniens, ſtratagemata hîc diaboli præcipua ponere, vt nota meliùs caueantur. Interdum enim, more militari, exiguo ſe oſtẽtat numero & robore, pręcipuis copiis poſt montem aliquem inanis gloriæ, ob virtutis alicuius ſpeciem, aut poſt denſam vitiorum

I. ſiluam in inſidiis latentibus; vt eò fidentiùs in certaminis campum pellectos, immiſſa totius exercitus potentiâ, opprimat. Sic Diotimus contra Lacedæmonios, Cæſar contra priſcosGallos,& plures alij actitarunt. Neque nimis timendus eſt hoſtis, neque vice verſa nimium contemnendus.

II. Aliquando fugam ſimulat, vt te vel ſecurum,vel temerè inſequentem, & à fronte & à tergo ſurgentibus inſidiis,interimat. Ita in bonum,Dei inſtinctu, fecit Ioſue contra ciuitatem Hay: & Iſrael cõtra tribum Beniamin, quam caſtigare debebant.

III. Aliquando magnam oſtendat hoſtis potentiam, vt terreat ac percellat imbellem. Sic D. Antonius ſtupendos incurſus ſuſtinuit, & omnes diaboli machinas ſuperauit. At periculoſiſſimum eſt, quando ſubdolus animarum noſtrarum impugnator, pauentem conſcientiam horrendo indefeſſoq; tentationum tumultu fatigat, & obruit.

IIII. Nonnunquam hoſtis teſſeram ſignúmve militare alterius partis aſſumit, vt in acceſſu amicus appareat, tutiuſque omnem tunc diſcindat aduerſum exercitum. Ita Darius profligatorum hoſtium exuuias &inſignia ſuorum aptauit humeris,& ita in reliquam hoſtium partem immiſit. Ita Corœbus: Mutemus clypeos, Danaumq. inſignia nobis Aptemus. dolus,an virtus,quis in hoſte requirat? Sic diabolus ſalutem,quietem,& omnimodam proſperitatem noſtram,vt amicus,ſe quęrere ſimulat,vt maiorem in ruinam præcipitet;ſicuti Euæ per ſerpentem omnia bona

Polyæn li. 1.

Virgilius 2. *Æneid.*

& ma-

& magnifica optare videbatur; Eritis ſicut dii. Hunc in modum S. Iulianæ Virgini iam pœnis pro Chriſti nomine affectæ, & tantum coronam martyrij in carcere exſpectanti Belial diabolus, formam angeli fidelis gerens, apparuiſſe fertur, atque dixiſſe, Chriſtum iubere, vt illa potius Diis gentilium ſacrificaret, quàm vt cruciatibus deficeret. Obſtupuit Iuliana tali nuncio, & dubitans quinam eſſet, à Deo ſibi certius indicari poſtulat. Mox diuinitus inſpirata, manu illum apprehendens, vinculis conſtrinxit, verberibuſque affecit; volente Domino, vt ſceleſtus Belial ab eadem, cui diſſuadere auſus fuerat ſuppliciorum pro Chriſto patientiam, ſupplicia ipſe perferret. *Surius tom. 1.*

Sed, quidni Iuſtinæ quoque virginis exemplum adiungamus, in quo nequiſſimi hoſtis ſtratagema nefarium, & aſſumpta virtutis larua, detracta tamen, detegitur? Cùm enim Aglaius iuuenis eius amore ardẽs adhibitis Cypriani magi præſtigiis, nihil efficere potuiſſet, quo eam ad libidinẽ occulta carnis titillatione illiceret; ſed illa ſigno crucis perterritum dæmonem effugaſſet: alius dæmon à mago ſubmiſſus eſt priore callidior, qui virginalem formã habitumq; indutus, ad Iuſtinam accedens, etiam ſe, ſicut illa, virginitatem Deo vouiſſe dixit; proinde petere, vt ſi nõ in ſocietatem, ſaltem in ſeruitium reciperetur. Suſceptus igitur, poſt dies aliquot captatâ occaſione, ſuſpenſo triſtique vultu, dubitare ſe ait, num virginalis ſtatus Deo ſit gratus, cùm ſcriptum ſit, Creſcite & multiplicamini; ſanctiſſimæque veteris teſtamenti mulieres Deoq. gratæ viros habuerint. Cœperat iam pæné Iuſtinæ animus nutare, & de virginitatis propoſito ambigere: ſed mox ſeipſam reprehendens, Chriſti nomine inuocato, crucis ſe ſigno muniuit; & dæmon crucis virtutem non ſuſtinens, effugit. Ita callet igitur hoſtis noſter omnes artes, atque vniuerſa ſtratagemata, quæ vnquam vel terreſtri, vel nauali in prælio excogitata fuerunt; ſed fidelis miles Chriſtianus, in Deo ſuam ponens fiduciam, omnes hoſtilitates & carnis, & mundi, & diaboli ſuperat, & in Domino exultabundus triumphat. *Gregor. Nyſſer. Orat. 20.*


Oratio contra tres animæ noſtræ inimicos.

REx regum, & Domine dominantium, atque exercituum Deus, ex omni parte impugnor, & vim patior vndique; caro rebellat, mundus mihi vult dominari, & diabolus in me imperium vendicat: Adiuua me, Deus, vt continuam huius vitæ militiam legitimè certando conficiam, & æternæ gloriæ coronam ſecurus accipiam. Amen.

CAP. XXXIX.

Quod miseris tutamen erit discrimine tanto?
Gratia: Libera mens: & præsidis Alitis arma.

Tria rara pręsidia contra hostes.



ADMIRANDA verè Dei prouidentia, & bonitas, qui nos in medio hostium nostrorum nequaquam inermes, auxilioq; destitutos deseruit; sed ita de omnibus, quæ ad pugnā pertinent, prouidit; vt meritò dicere possimus, fateriq; debeamus, prælium hoc spirituale, omnemque hostium nostrorum conatum, potius ad armorum nostrorum laudabile exercitium, & ad maioris victoriæ triumphique promerendi occasionem facere, quàm ad aliquod nostrum damnum, vel incommodum. Id haud dubiè experientia edocti testantur omnes; non tantùm, qui conflictu peracto feliciter, nunc coronis partisq. tropæis fruuntur in Ecclesia triumphante, hoc est in cælo; verùm etiam, qui in militante adhuc, incerti de belli exitu, luctantur. A

Vexillum crucis.

Optimè nos ideò animatos esse oportet; neque à conscisso sanguinolentoq. Christi vexillo vnquam deficere, neque loco nostro, quem in castris Ducis nostri nacti sumus, tantillum discedere; sed magnâ constantiâ cum pugnace illo hostium nostrorum antagonista dicere: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Ac si vir virum legeret, diceremusque, quod communiter tali casu dici solet: Tu pedem tuum meo pedi coniungito, sis mihi commilito, & auxiliator; & veniat qui volet. Sicut apud Isaiam legimus: *Stemus simul; quis est aduersarius meus? accedat ad me.* Quod Apostolus Paulus claris verbis dicit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Estq. Deus, sine dubio, cum omnibus qui cū ipso sunt; hoc est, qui studēt ipsi placere, & in eius gratia stare.

Iob. 17.

Isaiæ 50.

Rom. 8.

Vilitas hostium nostrorum.

Quæritur igitur, quod tutamen sit miseris, tanto in discrimine. Verum quidem est, si rem ipsam introspiciamus, vt se habet, fæx tantùm est, velut lixarū hominumq. nihili, hostilis iste noster exercitus, & carnis, & mundi, & Principis etiam tenebrarum: de quo sic meritò Propheta: (vt ex vno omnes norimus) *Audiuimus superbiam Moab; superbus est valde: superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius.* Sed nos nostrâ socordiâ, meticulositate, negligentiâ, & pręcipuè innatâ ad malū procliuitate, hosti nostro imbelli addimus animos & vires; arma ei ex nobis ipsi subministramus, damus accessum, pectus telis ipsius nudamus, arma & scutum deiicimus. Sicuti de Regis Catholici hostibus hęreticis, nostrâ ignauiâ proteruiētibus, & ob peccata nostra quandoq. fortioribus, victoribusq; dicere possumus.

Isaiæ 16.

Vt



Quod miſeris tutamen erit, diſcrimine tanto?
Gratia: Libera Mens: et præſtitis Alitis arma.

Wat hulpe vinden wy teghen alſulcke iacht?
Godts grati: Wille vry: en dan d'Enghelſche wacht.

Hé Dieu! quel remede, Quel ſecours, quelle aide, Encontre ce Camp?
La grace du Pere, L'Ange tutelaire, Et l'Arbitre franc.

Vt & D. Hieronymus: Proh pudor! nostris peccatis Barbari fortes fiunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus. *Hieron. Epist. 3.*

Quandoquidem igitur insolentes nobis hostes nostri plus satis facessunt negotij; & in magnum quotidie discrimen coniiciunt; quod tutamen, quid auxilij patrocinijque hos contra habemus? quid armaturæ? Arma militis Christiani graphicè apud D. Paulum discripta habemus, vbi Ephesios in Christi armamētarium inductos sic instruit: *Accipite, & induite vos armaturam Dei, vt poßitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam Iustitiæ, & calceati pedes, in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite: & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Necessariæ sunt istæ omnes Christiano militi conditiones; vt in primis ita in veritate consistat firmus, ac si ea pręcinctus foret: ita tum operibus iustitiæ ac virtutum vestitus, ac si loricâ, variis inter se connexis ansulis contextâ, munitus sit: atq; ita in Euangelicæ vitæ paratus obsequium, vt qui calceatus, paratus ad iter est: Fidei etiam soliditate sic contra omnium hæreticarum diabolicarumq; sagittarum ignitarum iactum obtectus, ac si clypeo aliquo impenetrabili obumbretur: Caput item, salutem scilicet animæ, sic in omnibus cōtuendo, ac si galeâ protectus esset & casside, quæ ex spe salutis conflata est. Verùm, quia athleta Christi, non defensiua solùm arma, sed & offensiua, quibus hostem impetat, habere debet: hinc gladio etiam singularis S. Spiritus adstipulationis, quem sacrum Dei verbum suppeditat, instructum illum esse conuenit. B *Armatura militis Christiani. Ephes. 6.*

Præter recensita, è Paulina munitione depromta præsidia, Tria alia præclara suppetiarum genera, in Responsione consignata videmus. In primis peculiare est contra hostes auxilium, Diuina gratia. Sub qua omnia illa comprehendi debent, quæcumque à Deo impetramus, in salutis nostræ protectionem, contra hostes eam impugnantes: siue per sancta Sacramenta, siue per preces nostras, Ecclesiæ, Sanctorum, & per merita id obtinemus: quocunq. nos etiam modo Deus solatur & adiuuat, aut etiam liberat, secundùm quod dicit Propheta Regius: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me! multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Et vt alibi: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Auxiliū igitur, vt iam dixi, gratiæ Diuinę multiplex est, siue illā per certa media ab ipso in Ecclesia instituta, vt sunt præcipuè Sacramenta, siue eam simpliciter instillet animo, siue etiam precibus, operibusque pietatis permotus elargiatur, afflictum consolando, confirmando, modum superandi suppeditando, aut quocunque modo, C *Præsidium I. Gratia Dei. Psal. 3. Psal. 93.*

pro indigentis necessitate & deuotione viderit expedire. De hac gratia sic D.Paulus gloriatur: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ac propterea postquam ter Dominum rogauerat, vt stimulus carnis ab ipso auferretur, & pro responso audierat: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*: cœpit, quod amplius est, in infirmitatibus suis gloriari, & exultare, ob gratiam quæ infirmitati adiuncta erat, eiusque occasione ei à Deo dabatur. *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis; vt inhabitet in me virtus Christi. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Hoc ipsum tribus verbis dicit Ambrosius. Christiana infirmitas fortitudo est. Neque obscura est ratio. Sicuti enim, si puer paruulus, quoties in discrimen veniret, statim à fortiori iuuaretur, cuius custodię & protectioni commissus foret, fortior potentiorq. esset ad sustinendum resistendúque, oborta necessitate, quàm si citra insultum illum solus sibi relinqueretur: ita nobiscum agitur per gratiam Dei, in quacunque anxietate nobis assistentem. Adeò, vt plus lucremur in nostra infirmitate, ita per Dei opem confortati; quàm, sine Dei gratia, cum omni nostra prudentia & potentia queamus efficere. Benè ideò dicit D. Augustinus: Homo tunc peccatis vincitur, dum viribus suis iustè viuere conatur, sine adiutorio liberantis gratiæ Dei. Qui verò Dei gratiam in primis præuenientem, tum comitantem, & assistentem amplectitur, tenet, nec dimittit; ille inexpugnabilis est. Quocirca optimè D. Chrysostomus ait: Gratia Dei, murus inexpugnabilis. Dicitque eam ob rem, benè animatus, & hac arce fretus Christianus, cum imperterrito hostium domitore Dauide: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.* Huc in exemplum adferri potest Saræ Abbatissæ Thebaidis victoria, quam Christi gratia de carne ac satana gloriosè, per humilitatem, & spem in Christo firmam, reportauit. Cùm cogitationes eius ad libidinem incitare soleret diabolicę malignitatis suggestio, nunquam, vt recederet tentatio, orauerat, sed vt illa assiduè oppugnaret, & ipsa semper vinceret. In hoc carnalis lasciuiæ bello per annos tredecim fortiter contendit; sed tandem, aliquanto acriùs impugnata, quàm vt sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum, & superauit inimicum: ita vt oranti apparens dæmom diceret: Vicisti me, Sara, vicisti. At illa nihil sibi ex hoc laudis vendicans; Non ego, inquit, vici te: sed Dominus meus Iesus. Ex quo discimus, in omni tentatione, ad Dei gratiam, atque opem confugere; & præ humilitate debita, omnem ei victoriam acceptam ferre: sic Ioab Dauidi, expugnata ciuitate Rabbath: *Veni obside ciuitatem, & cape eam: ne nomini meo adscribatur victoria.*

Philip. 4. *Ambros. sermo. 25.* *Augustin. super Epist. ad Rom.* *Chrysost. super Genes.* *Psalm. 26.* Sara Abbatissa. *Petr de Natal.* *2. Reg. 12.*

Præsidium II. Libertas arbitrij.

Secundum contra hostes animæ nostræ auxilium, etiam à Deo nobis concessum, est Liberum arbitrium: per quod, sicuti in præcedenti D

Capite

Capite disseruimus, cum Dei adiutorio & gratia, & malum fugere, atque bonum eligere, ac facere possumus. Itaque, quandoquidem hostis noster, quicũque fuerit, nihil nobis inferre potest incommodi nisi voluerimus, consensumque præbuerimus; certum est, libertatem arbitrij ac voluntatis, Dei gratiam motam, & actam, adiutamque, impenetrabilem esse contra hostilia tela thoracem; & probatam munitionem contra omnes incursus: vt hac protectus, in conspectu hostium frementium, stare queas imperterritus, vt inuulnerabilis Aiax. Quod optimè D. Ioannes Chrysostomus breuiter dicit, & fusè prosequitur: Nemo lætitur, nisi à seipso. *Chrysost.*

De voluntatis libertate, præstantia, ac dignitate, vide plura in Capite XLIII. vbi de tribus animæ potentiis agitur ex professo; & cur
E Voluntas mallei symbolo designitur.

F Tertium cõtra hostes auxilium, est Angeli custodis patrocinium ac tutela. De hac, sequenti Capite peculiariter acturi sumus, eò quòd hæc Angeli tutelaris custodia benè tractatum singularem mereatur; tum vt ea ignorantibus melius innotescant, tum vt ad eam rectiùs norint confugere. Præsidium III. Angeli tutela.

Vt sub finem tamen huius Capitis specimẽ aliquod exhibeam huiusce auxilij, quod ab Angelo nostri custode percipimus, præambulam quasi sequentis Capitis D. Apostoli sentẽtiam hîc subiiciam. Sic enim habet: *Nónne omnes sunt administratorij spiritus: in ministerium mißi, propter eos qui hæreditatẽ capient salutis?* Hic siquidem totius militiæ nostræ scopus, vt corona aliquãdo gloriæ potiamur, qua in re magno sunt nobis præsidio, contra hostes salutis nostræ æmulos, Angeli tutelares. *Heb. 1.*

Audientes aliquando Constantinopolitani Persas contra se ingẽtes copias comparasse, trepidare cœperunt, & anxij valde esse. Itaq. *Angeli* quidam, in Bithinia quibusdam in via apparentes, iubent renunciare Constantinopolitanis, vt bono animo sint: precibus se dedant, & firmam in Deo spem ponant; Romanos victores fore: se enim administratores belli à Deo missos dicebant. Quo audito, & ciuitas, & milites, erectis animis fuere, & alacres. Sed ad peculiarem de Angelorum erga nos ministerio tractatum accingamur. *Socrat. hist. Sac. lib. 7. cap. 18.*

Oratio pro adiutorio in militia spirituali.

DIxisti, ô zelotes amator animarum, Domine: Qui non est mecum, est contra me: pedem meum iuxta tuum ponam, quia tu adiutor fortis es: Voluntatem robora; largire gratiã atq. Angelo meo manda de me: vt neque caro, neque mundus, neque infernus ipse perterreat. Amen.

CAP. XL.

Ecquâ aliâ nobis ope Custos aliger adstat?
Acta Deo nostrasque preces patronus adornat.

Angeli custodis officium.



QVANDOQVIDEM hi versus de Angelico tantùm erga nos officio mentionem faciunt, de solo illo etiam hîc ex professo tractabimus; vbi de custodia particulari, omnique salutari ministerio, quod homini ab Angelo custode impenditur, ob oculos statuetur. Idque eò potissimùm, quòd non pauci vix semel in anno, immò aliqui fortè ne in vita quidem sua aliquãdo, Angeli sui boni implorent auxilium, aut etiam recogitent, se tantum à Deo præsidij habere: quod negligentiæ genus vehementer periculosum & perniciosum est, in tam morosa vitæ huius militia, & malitia hostium insatiabili.

D. Hieronymus vnâ propemodum sententiâ, & Angeli custodis officium, Deiq; in nos ob id beneficium, & implicitè quid nostri vicissim erga eum sit muneris, ostendit; dum sic ait: Magna dignitas ani- A
Hieron. super Matth. lib. 3. marum; vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui, Angelum deputatum. Si tãtæ apud Deum dignitatis nostræ sunt animæ, quo loco nos eas habere debebimus, quantiq; pręsidium tantum pendere? Istud in Christi Saluatoris nostri, Regisq; Angelorum verbis radicatum videmus, quando tam districtè interminabatur, ne paruulis per malum exemplum offendiculum poneretur, néve in minimo illis iniuria, quòd paruuli essent, fieret; ad terrorem, inquit: *An-* B
Matth. 18. *geli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Ac si dicat: Angeli illi, qui paruulis à Deo dati, & in tutelam concessi sunt, etiam eâdem operâ, in Dei Patris mei consistunt præsentiâ, parati ipsorum contra vos causam agere, quærelas deponere, & vindictam, si opus est, exposcere, atque suos clientes vlcisci, si vllam eis intuleritis iniuriam. Hoc officij Angelici etiam D. Paulus apertè describit, dum
Hebr. 1. sic interrogat: *Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi; propter eos, qui hæreditatem capient salutis?*

Vnde Angeli tutela incipiat.

Ministerium hoc Angeli tutelaris ab ipso hominis ortu incipit; nam quãdiu in vtero matris est, sub materni Angeli custodia iure esse censetur. Durat autem, donec eò homo peruenerit, vbi æternaliter est mansurus, siue in cælo, siue in inferno: tametsi enim malus sit, nunquam tamen interea temporis ab Angelo totaliter deseritur.

Circa tria versatur Angelicum in nos officium.

In tribus potissimùm consistit honum hoc Angelorum officium: 1. Custodiunt & deducunt nos in via vitæ huius, vt viatores: 2. Bona consilia suggerunt; orationes, & actus nostros Deo offerunt; nosque



Ecquâ aliâ nobis ope custos Aliger adstat?
Acta Deo, nostrásq; preces, patronus adornat.

Wat doet den Enghel meer, tot ons hulp', en versterken?
Hy verschoont voor den Heer, ons ghebedt, en ghewercken.

Quell'aultre assistence, Nostre insuffisance, De l'Ange reçoit?
A Dieu il presente, L'oraison feruente, Et tout oeuure droit.

nosque in hoc benè Deo seruiendi munere adiuuant, vt Dei cultores: 3. Et tertiò nos contra omnia aduersa defendunt, vt milites.

Primi officij Angelici eximiam habemus in veteri Testamento figuram, in Angelo populi Israelitici duce per desertum, donec in promissam terram inducerentur; noctu columnam ignis, vt facem procedentibus præferendo, vel ad quod opus erat noctis tenebras in lucem conuertendo: interdiu in columna nubis, ducatum dum incedendum erat præstando; & contra æstum pro vmbraculo, ac metandorum castrorum, quiescendique indicio, seruiendo. Hoc est quod Moysi Dominus promittebat: *Ecce, ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui.* Nihil manifestius optari possit, in quo descriptum & figuratum videamus officiū, quod nobis bonus noster Angelus, in via vitę huius perhorridam mūdi huius vastamq. solitudinem ambulantibus exhibet: donec in supernum illum locum perueniamus; quem non tantum ab origine mundi, verùm etiam speciali solicitudine atque amore, nobis ascendens in altum Christus præparauit; quod tam ex animo suis quos in finem dilexit, indicabat, dicens: *Vado parare vobis locum.*

Exod. 14. 1. Officiū Angeli. Exod. 23.

C Nūc audiamus, immò videamus potiùs ad oculum, quàm dilucidè hoc ipsum custodis ductorisq. Angeli ministerium, in Tobiæ historia demonstratū sit: siue in ducēdo, custodiendo, & reducendo Tobia iuniore, eiusq. gerendis negotiis; siue in senioris cæcitate curanda. Quæ omnia, inter se grati lætique commemorantes, posteris, quasi seriem tantorum beneficiorum ab Angelo perceptorum cōtexentes, memoriale constituerunt. Ita igitur Tobias iunior patri roganti, quid gratitudinis ergò dare possent viro illi sancto, qui eum deduxerat, hoc est Raphaeli, quem necdum Angelum esse cognouerant: *Pater* (inquit) *quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? Me duxit & reduxit sanum: Pecuniam à Gabelo ipse recepit: Vxorem ipse me habere fecit: Et dæmonium ab ea ipse compescuit: Gaudium parentibus eius fecit:*
F *Meipsum à deuoratione piscis eripuit: Te quoque videre fecit lumen cæli: Et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hoc poterimus dignum dare?* Quis non existimet, se potiùs quotidiana quæ ab Angelo percipit ministeria recensita vel adumbrata spectare, quàm quod alteri acciderit, per exemplum audire? Speculum meritò hanc historiam dixerim; in quo, qui hactenus ignorarint quid ab Angelo custode beneficij quotidie accipiant, contemplentur.

Tob. 5. &c. Tob. 12.

Ita etiam Angelus Dñi in somnis apparuit Ioseph, illum excitans, ad fugam in Ægyptum ob metū Herodis ineundam tempestiuè præmonens, qui & speciatim pueri Iesu, ac matris eius Mariæ curam custodiamque iniunxit; & se dum tempus esset redeundi, significaturum id ipsi apertè indicauit, neque obscurè se viæ ducem fore promisit.

Matth. 2.

misit. Ecce, non solùm ipse Ioseph Domini custos, custodem Angelum habuit: neque sola etiam Domina Angelorum, ac Domini mater Maria, verùm etiam Christus ipse Angelico dignatus est vti ministerio: quod adhuc manifestiùs post turpem tentatoris abscessum accidit, quando *Angeli accesserunt, & ministrarunt ei*: & quando in horto oranti *apparuit Angelus de cælo, confortans eum.* Licet enim Saluator noster Dominus Iesus proprium Angelum nō habuerit custodem, vt cæteri habēt hominum, eò quòd ipse non eguerit (tametsi enim viator, etiam comprehensor erat) vti tamen, quod dixi, Angelorum ministerio non est dedignatus. Luculentum exemplum Angelici officij est & illud, quod in Actis Apostolorum legimus, vbi, postquam Apostoli à Principe Sacerdotum in publicam coniecti essent custodiam, *Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, educensq́; eos dixit: Ite, & stantes loquimini in templo plebi.*

Math.4. *Luc.22.* *Act.5.* *Act.12.*

2 Officium Angeli tutelaris. Secundum officij genus est, dum recta nobis cōsulunt; & Deo preces atque opera bona commendant. Suggerunt namque hominibus bona consilia, vt noxia deuitent, & meliora sectentur. Intellectum quoque hominis collustrant, voluntatem in bono corroborant, cor ad deuotionem & charitatem incendunt, & ita in ceteris, quæ corporis animæque vtilitati conducunt, auxilio sunt singulari. Orationes nostras frigidas, & oculis diuinæ maiestatis alioqui inacceptas ardenti sua deuotione accendunt, & adhibitâ suarum precum efficaciâ commendant. Quod dum faciunt, quasi in thuribulis aureis thus nostrum inamœnum, Deo gratum faciunt. Vt etiam D. Ioanni reuelatum fuit, vbi inter alia expresè testatum videmus, thus illud quod Angelus thuribulo aureo offerebat Deo, orationes fuisse Sanctorum. D E

Apoc.8.

Ita & Tobiæ Raphael Angelus indicabat, quid officij iam antea ei in hoc genere præstitisset, dum sic ait: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diē in domo tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino.* Quin & ipsemet Angeli pro nobis orant apud Dominum, neque tantùm nostras ei offerunt preces. Sic apud Zachariam Prophetam pro ciuitate Hierosolymitana aliisque interpellantem audimus Angelum: *Domine exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es, iste iam septuagesimus annus est?*

Tob.12. *Zach.1.*

3 Officium Angelicū. Tertium officij genus est, quando nos ab aduersis non tuentur tantùm, verùm etiam pro nobis contra omnia aduersantia depugnant & nos adiuuant. Hinc præterquam quòd tam euidens habemus custodiæ testimonium, dicente Propheta Regio: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* quod suprà & in populo Israëlitico per Angelum noctuque diuque factum audiuimus; & in Tobia, qui ab inuadente F

Psal.90.

dente pisce custoditus fuit; & nos quotidie ab inuasore diabolo per Angelum custodem conseruari liberarique in illo vt in speculo conspeximus: etiam decertantem pro nobis contra hostes nostros tam animæ quàm corporis in figura spectare licebit. Quando etenim Pharaonis exercitus Israelem persequebatur exeuntem, Angelus, qui præcedebat castra Israel, conuertens se venit & stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel: & toto quidem noctis tempore ita Israelem ab Ægyptiis tuebatur, vt ad se inuicem non valerent accedere, sed dum populum Israeliticum per mare rubrum trãseuntẽ insequi Pharao præsumeret, in profundum maris demersus est; adeò vt virtutem hanc Dei sentientes Ægyptij clamarent: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Stupendum quoque auxilium fuit ac verè militare præsidium: quãdo vnus Angelus nocte vna, in propugnationem ciuitatis sanctæ Hierusalem, percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. *Exod. 14.* *4. Reg. 19.*

Admirabili etiã modo per Angelum contra hostes hostilesq. flammas, in fornace Babylonica, tres illi viri singulares Dei cultores illæsi cõseruati sunt: Angelus excussit flammam ignis de fornace, & Chaldæos ipsos foris stantes interfecit. Ita etiam Iudith Angelo duce & superbum vicit Holofernem, eiusque desectis ceruicibus totum confudit exercitum; & salua atque intacta cum spoliis ac triumpho reuersa est. Sic illa Deum laudans id protestabatur: *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem & ibi commorantem, & inde huc reuertentem Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari: sed, sine pollutione peccati, reuocauit me vobis, gaudentem in victoria sua; in euasione mea; & in liberatione vestra.* Sic Angelus conclusit ora leonum, & Danielem per Habacuc miro modo refocillauit, victoremque constituit, ęmulis ipsius in momẽto coram eo ab iisdem leonibus deuoratis. Angelus ostendit Agar ancillæ Saræ fontem scaturientem, cuius solatio & ipsa & eius filius Ismahel à proximo mortis periculo fuit conseruata. Iosue vidit in agro Ierichontino Angelum euaginato gladio stantem, in auxilium ipsius accinctum. Orante Eliseo vidit eius puer pauidus montem plenum equorum & curruum igneorum, in circuitu Elisei; in signum, plures cum ipsis esse quàm cum hostibus. *Dan. 3.* *Iudith. 13.* *Dan. 14.* *Genes. 21.* *Iosue. 5.* *4 Reg. 6.*

Simile huic est, quod in Vitis patrum in hunc ferè modum legimus. Beato Abbati Moysi quodam tempore tam vehementem intulit impugnationem fornicationis dæmon, vt quietus in cella sua nequiret diutiùs permanere. Contulit se itaque ad sanctum Abbatem Isidorum, ac violentiam insultus huius acerrimi magna cum animi mœstitudine narrauit. Cumque è Scripturis sanctis Abbas Isidorus testimonia proferens eum consolaretur, eumque vt in suam cellulam reuerteretur rogaret; isque vt id faceret non posset induci: tunc illum *Vit. Patrum*

Abbas Isidorus secum ad suæ mansiunculæ superiora perduxit, eique dixit: Respice ad Occidentem & vide. Vidit autem versus illam mundi plagam innumerabilem dæmonum multitudinem vehementer cum furore perturbari, & quasi ad prælium præparatos in conflictum turmatim ruere, & pugnare. Dixit ei iterum Abbas Isidorus: Respice iam ad Orientem. Cumque eam in partem attentiùs oculos coniiceret, vidit innumerabilem sanctorum Angelorum frequētiam, splendentemque super lumen solis cælestium virtutum exercitum. Ait tum ei Abbas Isidorus: Ecce, quos in Occidente vidisti, ipsi illi sunt, qui etiam Sanctos Dei impugnant. Quos verò versus Orientem conspexisti, hi sunt quos in adiutorium seruis suis mittit Dominus exercituum Deus. Cognosce igitur, quòd plures nobiscum sint, quàm cum illis, sicut dixit Eliseus Propheta. Vt & S. Ioannes ait: Quia maior est, qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo. His auditis confortatus in Domino sanctus Abbas Moyses reuersus est ad cellulam suam, gratias agens, & glorificans Domini Iesu Christi potentiam & bonitatem.

2. *Mach.* 11. Iudas Machabæus ferocis Lysiæ prostrauit exercitum, tali fretus
2. *Mach* 3. præsidio: *Apparuit* siquidem *præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans.* Ecquod splendidius exemplum Angelici auxilij desiderari queat, contra hostilem peruicaciam, quam in terribili illa castigatione Heliodori videre est, quando sacros templi thesauros spoliaturus aduenerat? Cùm enim venisset Hierosolymam, conceptum animo sacrilegium perpetraturus; neque Oniæ precibus & lacrymis iustaque protestatione, neque totius populi lamentis, ac miseranda ciuitatis facie, neque adeò loci sanctitate motus, à cœpto posset dimoueri; iamque in templo ad ærarium cum satellitibus accederet: omnes, in primis qui ei parêre ausi fuerant, ruentes, in dissolutionem & formidinem conuersi sunt; & tum in ipsum vindictæ diuinæ ostensio accidit euidentissima. *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isq; cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloriâ, speciosiq; amictu: qui circunsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant sine intermißione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram; eumq; multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt. Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur, nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute.* Herodis insolentia etiam ab Angelo apertè fuit castigata:
Act. 12. dum enim voces Dei, Deique gloriam populo acclamante præsumsit, *confestim percußit eum Angelus Domini, eò quod non dedisset honorem Deo; & consumtus à vermibus exspirauit.*

Infinita eiuſmodi ſunt, tum in ſacris Bibliis tum in hiſtoriis Eccleſiaſticis Vitiſque Sanctorum exempla, quibus clarum eſt, quàm ſtrenuè Angeli commiſſis ſibi clientibus patrocinentur; proque illis, quando opus eſt contra hoſtiles nequitias decertent. Adeò vt neque in vita neque in morte, ſua nos ope deſtituant, donec ad vitam perduxerint æternam. Et quidem reprobis aſſiſtũt donec iudicio particulari triſtem illam æternæ damnationis ſententiã acceperint: electis verò, vt dixi, donec in ęternam requiem cõmigrarint. Huius exemplum in Lazaro videmis, de quo dicitur ab ipſo Domino: *Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Limbus hic erat patrum, in quem Patriarchæ, Prophetæ, omneſque veteris Teſtamenti Sancti à morte recipiebantur; donec Chriſtus ad inferna illa loca deſcendens inde eductos ſecum velut triumphale tropæum in cælum aſcendens eueheret. Animæ, quæ modò limbi loco ad purgatorium tranſeunt, ibi à ſuis Angelis conſolationem accipiunt, etiam ipſorum interdum precibus liberantur, & in æternam gloriam finaliter deducuntur, Deoque præſentantur; ibique tum ceſſat eorum erga illas officium.

Quouſque ſe extendat Angeli cuſtodis obſequium.

Luc. 16.

Fortè abſurdum non ſit, dicere, Angelum cuſtodem hoc quoque in hac vita homini impendere officij, vt eum etiam terreat corripiatque, eique quaſi obſiſtat in malo, quod alioqui eſſet patraturus; tametſi non aſſeram. Exemplum huius videtur in Balaam vtcunque deſignari, qui vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio, poſtquam per os aſinæ ab eodem Angelo terrefactæ ſtupendo modo correptus non acquieuerat. Ita videntur & Angeli noſtri, vt in bona via deducere, recta conſulere, à malis tueri, in omni aduerſitate defendere; ita etiam, ſi rectis conſiliis aurem non præbemus, neque blandis monitis à malo nos abſtrahi ſinimus, aliquando etiam nos terrere, vel cœptis noſtris malis obſiſtere.

Angeli boni obſiſtũt malis conatibus.

Num. 22.

Reſtat nunc, præmiſſis omnibus benè conſideratis, docere quid noſtri erga bonos Angelos ſit muneris, vt eos tanto magis in nos habeamus addictos & affectos. Honorem in primis magnum eis debemus ac reuerentiam: vt vel ſolo ipſorum intuitu quocunque in loco ſumus, hoc attentare vereamur, quod etiam homine quolibet communi vulgari've præſente nolimus præſumere: vt benè monet D. Hieronymus. Deinde gratos nos eſſe oportet erga Angelum cuſtodem, pro tot tantiſque beneficiis, quibus nos quotidie afficit: debetque hæc gratitudo per obediẽtiam, boniq. eius conſilij & ductus exſecutionem demonſtrari. Hinc nobis dictum putare debemus, quod Moyſi Dominus de Angelo, Iſraelis per deſerta duce, dicebat: *Obſerua eum: & audi vocem eius. Nec contemnendum putes. Quia non dimittet, cùm peccaueris. Eſt nomen meum cum illo.* Fieri namque ſolet, vt quod non

Triplex noſtrum erga Angelum cuſtodem officium.

1. Honor.

2. Gratitudo.

3 Obedientia.

Exod. 23.

videmus, non magni etiam faciamus facileque contemnamus: ideò fide diuinæ assertionis hæc iudicij nostri debilitas est solidanda. Neq. alienum est à sentẽtia paulo superiùs posita, de Angelica correptione, dum non acquiescimus, quod hîc quoque audimus: *Non dimittet, cùm peccaueris.* Non te ideò sua custodia destituet; nec etiam incorreptum sinet si contemseris. *Sin audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor*; (ipso vobis hæc suggerente) *inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetq́ te Angelus meus, & introducet te.* Loquamur igitur & nos gratanter, sicut D. Bernardus de hoc Angelorum ministerio variis locis locutus est: Benignus es Domine, qui non es contentus nostra fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodibus Angelicam quoque custodiam supponis. Vnde meritò eiusdem verbis ita excitemur: Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere; inuoca custodem tuum, directorem tuum, adiutorem tuum, in opportunitatibus. Non enim dormit, nec dormitat quidem, qui custodit Israel, etiamsi interdum ad tempus te deserere videatur. Quantam igitur reuerentiam erga Angelum tuum, quantamque dignitatem animis nostris verba illa infundere atque imprimere deberent: *Angelis suis Deus mandauit de te!* Quocirca in omni loco, non in templo tantùm, sed etiam in secretissima cubiculi parte, Angeli nostri præsentiam, assistentiam, custodiam, & directionem cordi habere, & ante oculos quasi statuere deberemus: vt optimè idem: In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe.

Bern. de Angelis.

Psal. 90.

Simus deuoti, inquit, simus grati tantis Custodibus; redamemus eos quantum possumus: ipsi enim amant nos, quia nos Christus amauit. Angelo autem nostro debemus reuerentiam pro præsentia; deuotionem pro beneuolentia; fiduciam pro custodia. Et verè, etiam prẹter has omnes præstantissimas rationes, maxima nobis est ratio, de tantis præsidibus comitibus & salutis nostræ administris gloriandi & congratulandi; cum quibus, si ductum eorum sequimur, cælestibus ciuibus & gaudiis æternis sumus aliquando perfruituri. Heu quàm raro id multi perpendunt! immò quàm multi & dies & menses & annos præterlabi sinunt plurimos, Angelo custode ne quidem semel salutato, neque vllam ei vnquam gratiam pro tanto ministerio habentes! Timeo quoque ne sint non pauci Christiani ita rerum salutarium ignari, tamque hac in parte ignaui, vt vix tota vita sua semel cogitent vel sciant, tantum sibi in misera hac vitæ valle concessum præsidium. O quàm iucundum quamque eis in mortis articulo atque adeò in iudicio futurum esset salutare & opportunum, si bonorum Angelorum secuti fuissent consilium; atque ita eorundem tunc frui possent solatio, patrocinio, atque adiutorio, in extrema illa atque deso-

Bernardus super Psal. Qui habitat in adiut. &c.

desolatissima peccatoris constitutione! Alioqui quisque apud se expendat quanta sit illa futura animæ miserrimæ anxietas, quando se non solùm ab omnibus hominibus & ab omnibus Angelis ac Sanctis videbit destitutam, verùm etiam Angelum proprium à Deo sibi in custodem deputatum, aduocatum, patronum, protectorem que vnicum, sibi iam videbit aduersantem; eoque ampliùs, iustæ seueri iudicis sententiæ subscribentem, eam iustam, dignam, confirmantem; & tali modo, eum quem custodiendum ab initio receperat, iam finaliter iudicantem & condemnantem! Quàm durum, quàm triste, quàm horrendum est hoc futurum! Iustum tamen, quia qui hîc neglexerit adiutorem, talem meritò tunc passurus est desertorem ac repulsorem. Hîc igitur Angelum nostrum honoremus, oremus, & audiamus; vt in tempore desolationis extremæ amicum ac protectorem sentiamus.

Anxietas morientium qui Angelorum suorum curam neglexerint.

Alioquin (vt cum Diuo Bernardo loquamur) vę nobis, siquando prouocati sancti Angeli peccatis & negligentiis, indignos nos iudicauerint præsentia & visitatione sua, quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum. Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ; cauenda est nobis eorum offensa; & in his maximè se exercere oportet, quibus eos nouimus oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis inuenta delectant; vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cælum gemitus; & super hæc omnia veritatem & pacem à nobis exigunt. Præmissis exemplum illud examussim quadrat, quod de Paulo simplici legimus. Cùm etenim die quodam pro foribus templi sederet, atque ingredientes, diuina quadam interius luce collustratus, obseruaret; vidit multos splendida facie lætoque vultu accedentes, Angelo cuiusque custode comitante & collætante: vnum verò considerauit tetro nigroque vultu venientem, duobus comitatum dæmonibus, de malo eius statu gaudẽtibus, Angelo autem ipsius custode tristi facie procul sequente. Sed in templo verbi diuini efficacia motus, & pœnitentia peccatorum mediante in alium mutatus, ab eodem sancto lætus & cãdidus, Angelo iam bono sociatus, ex templo regredi visus est.

Bern. sermon de Angel.

Paulus simplex.

Oratio ad Angelum nostrum custodem.

O Sancte atque Angelice spiritus, qui in mei custodiam à Deo deputatus es, ita me in via vitæ huius deduc, & protege, precesq; meas & actus Deo commenda: vt emenso peregrinationis huius curriculo, te duce, in cælesti Hierusalem tecum gaudere promerear. Amen.

CAP. XLI.

Præcipe alexicacon præſens, mala vt obuia pellam.
Crux formota manu: Precis igneũ, ac miſſile telum.

Chriſtianum nunquam inermen eſſe conuenit.

CVM quamplurimi ſint nobis hoſtes, & inopinatos non rarò A
inſultus ſuſtinere neceſſe ſit, inſtar militum nũquam inermes nos eſſe conuenit. Et tametſi non omnia ſemper penes ſe arma miles habeat, gladium tamẽ & pugionem aut ſimile quid paratæ armaturæ circumfert aſſiduè; tum cui ſtatim manum applicet, ſi quis eum ex improuiſo fors adoriatur; tum etiam ob id tantùm, quia miles eſt.

Duo ad manum, tutelæ gratiâ: 1. Signum Crucis. 2. Breuis oratio.

Quia igitur homo Chriſtianus miles eſt, & vita noſtra militia; quęritur, quod ei contra omnia aduerſa, pręſertim inopinato occurrentia, præſentiſſimum remedium ſit, & quaſi arma promptiſſima, ad quę ſine mora proſiliat. Duo eiuſmodi in Reſponſione deſcribuntur: Si- B
gnum Crucis: & breuis atque efficax Oratio. Vſus enim ipſe atque C
ipſa neceſſitas nos id docet. dum ſiquidem horrendum repentè into- D
nat tonitru, vel crebra ruunt fulmina, fragor ſubitus, vel ventus ob- E
oritur; dum improuido lapſu ruimus, vel ſimile quid terret, percellit, ac repentè nos concutit, ſignum crucis obiicimus, & breuem eiaculamur orationem; quod etiam homines timorati, in graui oborta tentatione, animæve periculo ingruente, piè ſolent vſurpare. Hoc etiam vſuuenit, quando quis oſcitat, ſternutat, vel ſyncopen patitur, ſe ilico crucis ſignaculo munit; quique ei adſtant, benè precantes dicunt, Seruet te Deus, Deus te adiuuet, vel, benedicat.

Beda. Durandus li. 6. ca. 103.

Apud Eccleſiaſticos enim ſcriptores legimus, tam repentina aliquando lue correptos fuiſſe homines, vt vel ſcreando, vel ſternutando conciderent. Quin & ſupplicationes diei S. Marci, quæ Litaniæ maiores nuncupantur, ob hanc ſimilemque calamitatem primùm inſtitutę creduntur. Ex tali ſe cruce ſignandi pia Chriſtianorum conſuetudine, etiam accidit, vt Iulianus Apoſtata Chriſticolarum ſanguinem dæmoni deuoturus, cum magicis ſatanæ cultoribus ſpeluncam tartareis eiuſmodi myſteriis aptiſſima adyta ingreſſus, dum iam cœpto incantationum tenebricoſo negotio, maligni ſpiritus cõparêre inciperent, rei nouitati & horrore perculſus, de more ſe ſigno ſalutari, etiam neſciens, & ex mera tantùm conſuetudine muniens, omnem mox dęmonum cateruam abſterruerit, & quidem cum fanaticorum illorum infernaliumque miniſtrorum indignatione.

Theodor. Hiſt. Eccl. li. 3. cap. 3.

Signum Crucis, Signaculũ.

Signum Crucis, ſignum Filij hominis eſt, hoc eſt Chriſti Ieſu, atque ita ſignum Chriſtianorum, nobis ad multa ſeruiens. Signaculum

eſt





Præcipe alexicacon præſens, mala vt obuia pellam.
Crux formata manu: Precis ignêum ac miſſile telum.

Wats ons ter handt, en thuys, teghen al dat ons let?
Voor ſchildt, het heylich Cruys; voor ſweerdt, een vort ghebedt.

Contre ces alarmes, De quel baſton d'armes, Me doy-ie ſeruir?
La Croix ſalutaire, Auec la priere, T'en peut garantir.

est in primis, quo Christus velut magnus Dominus vasa sua omnia, instrumenta, & quicquid ad ipsum pertinet, signat. Pro munime etiam atque armis est eo vtentibus. Hoc præterea fidem nostram profitemur, vt breui symbolo: siue mysterium sanctissimæ atque indiuiduæ Trinitatis adspicias, siue Christi incarnationis, passionis & salutis nostræ secreta consideres. Vis & efficacia huius signi ex ipsa Christi cruce & primariè ex ipso Domino Saluatore nostro, qui in cruce pependit, deriuatur. Hinc antiquus ille serpens signum eius quo semel victus fuit ita formidat, sicut canis baculum immò vmbram baculi timet, quo semel luculenter vapulauit. Vsus se cruce signandi ab ipso Ecclesiæ exordio Apostolorumque temporibus fuit notissimus: vt S. Dionysius, Clemens, Apostolorum coætanei & discipuli, Tertullianus, Irenæus, Iustinus, & plures alij constantissimè attestantur. Quin & tradũt, quomodo primi illi Christiani se suaque omnia crucis signo muniebant; cibum, potum, vestes, opus, cubile, exitum, ingressum, frontem, pectus, libros, epistolas, & demum vniuersa, actusq. omnes; præsertim dum aliquid aggrediebantur, siue iter, siue orationem, siue confessionem, verbi diuini auditionem, ceteraque sicuti pios adhuc Catholicos videmus obseruare, omnesque meritò in vsu habere consultum est.

Armatura. Eius mysterium. Vis eius. Vsus vetus.

Quòd autem hæretici id nihil morantur, multo minùs & nos ipsorum cauillos sannasque morari debemus. Dicant centies si velint, per nos licet, ad nihil hoc signum conducere, quàm ad muscas à facie vel cibo abigendas. Fatemur ad hoc valere, meliori quàm ipsi existimant sensu & efficacia, sed etiam ad plura. Beelzebub Principem vel Regem aut dominum muscarum sonat: illarum scilicet, quæ suauitatem vnguenti Christianitatis exterminant, vbi desidere permittuntur. Illis infernalibus muscis abigendis aptissimum flabrum ventilabrumque est Crucis signaculum, Christianorum in manibus semper præstò: quod ipsi spiritus nequam sæpè fatentur; quia experiuntur quàm crux illa illos discruciet, proindeq; oderunt vt malam crucem.

Hæreticorum cauilli recutiũtur. Beelzebub, Princeps muscarum.

Tempus interim aliquando veniet, quo signum hoc in cælo sole splendidius refulgebit, quando Dominus ad iudicium venturus est. Tunc omnes isti irrisores, contemtores, & inimici Crucis Christi, videbunt in quem, sub crucis titulo, linguarum suarum iacula confixerunt: quodq. illis confusioni & tormento vel adspectu solo futurum est, hoc piis Crucifixi cultoribus admirando erit solatio. Attendendum potiùs quid tunc futurum, quàm quid dicatur modò; debetque eò magis hæc deuotio se signandi in bonis augeri, quò eam Crucis osoribus magis improbari videmus. Statim itaque ad crucis clypeum confugiẽdum est, quando exteriùs vel interiùs aduersi quidpiam nos inuaserit. Audiamus D. Hieronymum id confirmantem: Si ingressi

Signũ hoc in iudicio apparebit. *Hieron. in epist.*

fuerint

fuerint ad te latrunculi per oculos; per adſpectum crucis perime eos. Ac ſi diceret: Sicuti filij Iſrael in deſerto, quando ab igniti s ſerpentibus inuadebantur, adſpectu ſerpentis ænei in ligno pendentis curabantur; ita tu in omni tentatione ad Chriſtum crucifixum confugito, cuius æneus ſerpens ille figura fuit; quemadmodum id ipſemet poſtmodum declarare dignatus eſt. S. Auguſtinus huic benè conſonat: Crux, inquit, Chriſti, contra fluuium horrendæ nequitiæ adiutorium ſingulare. D. Ioannes Chryſoſtomus rem adhuc magis amplificat, dum ſic ait: In cruce omnes inueniunt virtutem. D. Ioannes Damaſcenus non illiberaliùs de tanto præſidio loquitur: Crux Chriſti, inquit, eſt ſcutum & arma, & trophæum aduerſus diabolum: infirmorum baculus, paſtorum virga, conuertentium manudictio, proficientium perfectio, animæ ſalus & corporis; omnium malorum auerſio, omnium bonorum cauſa. Breuiter, vis omnis admirandæ illius Crucis Dominicæ in ſigno eiuſdem renouatur, dum piè illo vtitur Chriſtianus. Quod præſtantius ſignum, iuxta exemplum ſigni *Tau* apud Ezechielem, quàm ſignum Crucis; quo in fronte muniti, tanquam ibi ſigno *Tau* in fronte virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt, ab internecione per Angelos Dei iuſſu facta euadunt immunes? Sic & à percutiente Angelo in Ægypto intacti relicti ſunt, quorum poſtes & ſuperliminaria agni ſanguine ſignata fuerunt: quod in figura ſanctiſſimæ Crucis, & agni immaculati Chriſti accidiſſe cognouimus. Attendat ſibi quiſquis ſapit, ne ſignum hoc ei deſit in vita, omni actione, in morte, in iudicio: & gaudebit ridebitque in die nouiſſimo, aliis ſine vllo ſolatio lacrymis irremediabilibus complorantibus. Sit illi igitur ſignum crucis inſtar baculi Dauidis, quem ſemper habebat in manibus, vt ſcriptura teſtatur.

Num. 21. *Ioan. 3.* *Auguſt. epiſt. 5.* *Chryſoſt.* *Damaſcen. lib. 4.* *Ezech. 9.* *Exod. 12.* *1. Reg. 17.*

Orationis breuis efficacia.

Alterum armaturæ genus, quod ſemper ad manum eſſe debet, eſt breuis oratio; vt ſuprà dicere cœperam: quales ſunt iſtæ: Deus adiuua me, Salua me Domine, Ieſu bone conſerua me, Deus propitius eſto mihi peccatori; Sancta Maria, ora pro nobis; O mater Dei, memento mei: vel ſimiles. Non ita hîc breuis oratio commendatur, vt prolixa vel etiam breuis crebrò repetita improbetur; aut vnius ad alteram odioſa aliqua fiat comparatio: verùm hoc tantùm nunc in breuis orationis gratiam profertur, quòd ſicuti in omni ſubitâ animi vel corporis trepidatione & periculo, præſentiſſimum eſt homini Chriſtiano refugium ſe ſigno Crucis ſignare; ita etiam corde ad Deum eleuato, breui ac quaſi eiaculatoria oratiuncula ſe armare. De hac dicit Sapiens: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit: & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.* Eiuſmodi in primis eſt Oratio Dominica; vel illius pars aliqua neceſſitati conuenientior. B

Eccli. 35.

Iam, ſicuti Crux Chriſti clypeo, ita gladio poſſet Oratio comparari. C

præſertim illi gladio quo Ioab ferè ſemper accinctus incedebat: nam ſi ęquè ſemper eo benè fuiſſet vſus, artificium erat laudabile. De illo ſic legimus: *Qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere.* Sic in promptu arma hæc ſpiritualia eſſe homini Chriſtiano deſiderandum eſt, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, & contra omnes mundi huius aduerſitates. Ita teſte D. Auguſtino Sancti in Ægypto facere conſueuerunt. Ita ſanctus Petrus cùm mergi inciperet: *Domine, adiuua me*, Item aliàs: *Domine ſalua nos, perimus*; cùm nauis operiretur fluctibus. Ita & nos faciamus: mirabimurque vicinam planè ac præſtò eſſe Domini præſentiam (ſicuti D. Antonius ab hoſtibus repentè liberatus) quem fortè procul abſentem arbitrabamur.

2.Reg.20. *D. Auguſt. ad Probam. cap. 10.* *Marci 14.* *Matth.8.*

Sic namque de D. Antonio legimus: dum verbera terroreſque perferret, lucem diuinitus apparuiſſe, qua expauefacti dæmones diffugêre; Antonium verò eo ſplendore recreatum erexiſſe ſe, & quaſi præſentem Dominum adſpiceret, dixiſſe; Vbi eras? reſponſumque accepiſſe: Aderam, Antoni; ſed euentum pugnæ præſtolabar: quam quoniam imperterritus immotuſque viriliter ſuſtinuiſti, manet te victoriæ tuæ indeficiens in cælo triumphus.

Athanaſ. in vita S. Ant.

Valdè conforme eſt quod S. Catharinæ Senenſi legimus accidiſſe. Cùm enim dudum immundis admodum ſuggeſtionibus tentaretur, totumque cor eius fœdiſſimis phantaſijs videretur impletum; in Domino confidens, eiuſque ſubnixa præſidio, ab eo tamen quaſi deſolata, tandem conſolationem accepit. Cumque Chriſtus læta facie apparens blandis admodum verbis de obtento iam triumpho ei gratularetur: Vbi (inquit illa) fuiſti mi Domine, cùm eſſet cor meum tot ſpurcitijs diuexatum? Et ille, in corde, inquit tuo. Rurſus illa: Et qui fieri potuit bone Ieſu? Dolorem, inquit Dominus, quem tum in corde ſenſiſti ego mea præſentia efficiebam, ne in ſordium illarum delectationem incideres.

S. Cathar. Senenſis. *Surius in vita eius, 29. April.*

Ita & S. Elizabeth vidua aliquando deſolata Domini implorans opem, ei conſpecto dixit; O Domine vbi eras? Reſpondit Dominus; bono animo eſto filia: Ego tecum ſum: quibus illa ſubiunxit, & verbis illis Chriſti ſe quaſi ipſi conſtringens, dixit; Ita Domine, Tu mecum, & ego tecum.

S. Elizabeth vidua. Conrad. conc.

Oratio in omni anxietate & periculo.

INfinita ſunt animæ corporiſq; pericula, malorumq; ingruentium miſeranda ſurreptio: Eripe me Domine ex hac neceſſitate; ac per ſignum crucis ab omnibus malis me defende; vt omni perturbatione ſemota, libera tibi valeam mente ſeruire. Amen.

CAP. XLII.

Da quinos Sensus, animum in prærupta trahentes. Vis Oculi: Tactus: Gustus: Vis Naris: & Auris.

Quinque Sensus.



MIRANDA verè Quinque Sensuum conditio, & hinc etiam admirandi quidpiam innuit ipse interrogandi modus, dũ ait: animum in prærupta trahentes: quia re vera ita est. Sic enim à lapsu primi nostri parentis sensus nostri omnes immutati & inuersi sunt, vt, qui nobis ad id à Deo concessi fuerant, vt ipsorum adminiculo Conditorem nostrum & faciliùs agnoscere, & perfectiùs amare eique meliùs seruire possimus; nunc vice versa negotium facessant pelliceantque in contrariũ. Adeò vt vix aut rarissimè peccet homo, aut Deum in aliquo offendat, quin sensuum quispiam, vel etiam plures in culpa esse, & prima quasi peccati occasio deprehendantur. Vt non immeritò Quinque Sensus quinque illis A probaticę piscinæ porticibus, in quibus omne genus languidorum iacebat, possint comparari. Quisquis enim aliquo peccati morbo correptus est, in aliqua harum porticuum, vel visus, vel auditus, vel tactus, vel ceterarum aliqua reperietur. Quinque sunt item portæ ciuitatis B nostræ, quam à Deo custodiendam regendamque accepimus: quacunque illarum hostis ingressus fuerit, actum est: animam trucidat, C & spoliat ciuitatem. Sunt & iuga boum quinque, qui iterùm ite- D rúmque probandi sunt, & nunquam dicunt, Sufficit. adeóq; quamplurimos occupant & distinent, vt horum occasione & prætextu se à cæna cælestibusque nuptiis excusent. Quinque item sunt satrapę E Philistinorum, quos Deus Israëlitico populo in prę lij exercitationem superstites reliquerat: sicut Scriptura dicit: *Vt erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum: & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Chananæi diabolum figurant, qui nobis inuidet nobisque semper infestus est, idque potissimùm per quinque has nationes Sensuum nostrorũ adnatorum. Vt propterea magnam Deo debeamus gratiam, quòd tam bonam nobis consignarit custodiam, tamque fidele vt diximus præsidium, in portarum harum totiúsque ciuitatis conseruationem.

Ioan. 5. Quinque porticus.

Quinque portæ.

Luc. 14. Iuga quinque.

Iudic. 3. Quinque Satrapæ.

Non sine causa neque citra mysterium, elegit sibi Dauid quinque limpidissimos lapides de torrente, quibus superbum blasphemumq; gigantem erat prostraturus; cùm nostra hęc caro, ipsaque Sensualitas tanquam proteruiens Goliath quispiam nos per quinque sensus mirificè conterreat & fatiget. Neque absque diuino consilio factum est, quod Christus Saluator noster, vt verus Dauid, quinque pręcipua

1. Reg. 17. Quinque lapides Dauidis.



Da quinos Senſus, animum in prærupta trahentes.
Vis Oculi; Tactus: Guſtus: vis Naris; et Auris.

Noempt der Vyf ſinnen voor, die ons ſoo veel ſpels maecken
Sien, Riecken, en Ghehoor, Ghevoelen, ende Smaecken.

Dites moy par ordre, Qui font tel deſordre, Les ſens vicieux.
L'ouye, et la touche, Le gouſt de la bouche, Le fler, et les yeux.

vulnera in suum sacratissimum corpus admittere voluerit. Horum enim illi quinque lapides figura præcesserāt; & pera Dauidis in quam illos mittebat, mortalem Christi carnem velut mortalitatis nostræ saccum figurabat. Quinque hęc limpidissima Christi stigmata diaboli caput comminuerunt, vires ipsius attriuerunt, & nos effecerunt fortes: vt ipsorum efficaciâ ac virtute, per sancta Sacramenta præsertim ad nos emanante, & quinque sensus nostros ab omni offensione seruemus, & illis ad Dei gloriam nostramque salutem rectè vti valeamus. *Quinque Christi vulnera.*

Adeò vt si quando illi insurgant, ad peccatum conentur illicere, mortémque animæ nostrę hoste intromisso moliantur, supra rationem, intellectum, totamque animę gubernationem studeant dominari; & omnia ad suam voluptatem atque arbitrium aperta perfidia per- *Quinque Reges rebelles.*
F trahere præsumant: tunc tanquam veri Iosue, Christi Iesu discipuli & *Iosue 10.*
G fratres, quinque hos sensus vt rebelles reges in speluncas suas se abdere compellamus, terga vertere, se continere, & à cœpto desistere. Sic Iosue victore quinque Reges fugientes se in spelunca abscondebant: quod cùm ei nunciaretur, ait: *Voluite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant.* Dúmque hostes suos, (stante ad id per diem integrum iussu ipsius sole) deuicisset, præcepit Iosue dicens: *Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque Reges, qui in ea latitant. Ponite pedes vestros super colla eorum: nolite timere. Percussitque Iosue, & interfecit eos; & suspendit super quinque stipites, fuéruntque suspensi vsque ad vesperum.* Ita facimus, quando per virtutem quinque vulnerum Iesu Christi, quinque sensus nostros vt Reges dominari volentes, per continentiam restringimus, & quasi in suis antris latitare compellimus; donec data meliori opportunitate, eosdem per iustum examen excutimus, & quasi ex latebris prodire cogimus, ac per bonam confessionem eductos foras, Principibus nostris, hoc est, Rationi, Voluntati, Fidei, Spei, & Charitati præcipimus, vt pedibus suis substernant; sibi vt æquum est subijciant, & cogant parêre rebellantes. Immò etiam per veram mortificationem quasi morti tradant, vt deinceps non ampliùs sibi suæque sensualitati neque peccato viuant; sed (quoad hęc omnia) sint merè mortui: & vsque ad vitę vesperā Christo confixi cruci; quę per quinque stipites illos rectè fuit figurata. At nunc de singulis Sensibus, paucis in particulari disseramus. *Continentia. Examen consciētiæ. Confessio peccatorū. Mortificatio.*

Quoad Visum, qui Sensuum Princeps est: præter communem satisque notum illius vsum, meritò nos eius auxilio, tot mirabilium scilicet creaturarum operúmque Dei consideratione, permoueri debemus, ad maiorem sapientiæ, bonitatis, potentiæque diuinæ admirationem: & ita vicissim ad maiorem nostri confusionem, humilitatem, debitamque submissionem; ad abundantiorem eius laudem, gratitudinem erga illum, & dilectionem. Nunc verò, quæ nostra est infe- *Visus.*

Eius corruptio. infelicitas, contrarium potiùs agimus. Oculi namque noſtri, in Eua fructum vetitum curioſiùs contemplante corrupti, qui nobis vt lucerna vel fax quæ præfertur euntibus, ad hoc ſeruire debebant, ne vſquam offenderemus vel impingeremus; hi demum ipſi ſunt, qui nos, vt latentes exploratores, decipiunt fraudantque maximè. quique hoſtis noſtri obſequuntnr inſidijs, vt ea ex parte prodamur, qua maximè ipſorum præſidio ſecuros nos eſſe oportebat.

Remediũ eiuſdem. De oculorum cuſtodia, periculo, & damno, ex profeſſo Cap. LXVI. tractabitur; vt & de remedio. Hîc obiter remedium attingemus, ne malum tantum immedicatum prætereamus. In tam malefidi miniſterij oculorum antidotum (ſi tempori applicemus) multa horrenda & triſtia oculis haurire dignatus eſt Chriſtus, & in viſu multa pati; tandemque innocua illa lumina, in quæ Angeli deſiderant conſpicere, fœdè obligari paſſus eſt. His contra indebitum oculorum noſtrorum vſum toleratis, rectum eorundem docens vſum, ſępiſſimè in vita ſua oculos in cælum ſuſtulit; vt nos, ſurſum dum viuimus aſpiciendo, eum imitati, etiam in morte oculos ſecurè demittendo, & in pace quieſcendo eundem imitemur; ſpiritu noſtro feliciter in manus Patris commendato.

Auditus. Auditus quoque nobis ad hoc auxilio eſſe deberet; vt per omnia quæ audimus, ad maiorem Dei cultum & obedientiam prouocemur & excitemur. In Auditus commendationem valdè facit quod dicit Rom. 10. Apoſtolus: *Fides ex auditu.* Ecce, id ſine quo impoſſibile eſt placere Deo, aurium miniſterio percipitur. Organum ſine dubio magnæ Auditus corruptio. æſtimationis per quod ſalus infunditur Eheu, quàm ſunt aures noſtræ per peſtilentem illum ſerpentis anhelitũ mendacia nobis ſuggerentis deprauatæ! Ex eo tempore ſagaces ad malum audiendum re- *Matth.* 11. tinendumque facti ſumus, & ſurdi ad bonum. Non habemus aures ad audiendum, vt Chriſtus Dominus clamabat, quia obaudire neſci- *Exod.* 32. mus. Omnes, proh dolor! inaures noſtras aureas, cum Hebræis mulieribus, in vſum diaboli contulimus; diabolo quàm Deo potiùs au- *Geneſ.* 3. res præbentes. Hinc etiam fit vt dum corripimur, cum Adamo latebras quæramus, & ficulneis nos foliis obumbremus. Aures lęſę & debiles talem non ferunt auditum; vt lippientes oculi non ferunt ſolem.

Remediũ Auditus. Ad ſenſus huius alexipharmacon ſpirituale, multa in auditu pati voluit Dominus: tot agnomina, irriſiones, calumnias, blaſphemias, ac innumeras truculentarum vocum inclamationes; quæ aures eius puriſſimas dirè crudeliterque flagellabant. Oremus eum, vt digitum *Marci* 7. ſuum dextrum, Spiritus ſancti gratiam, auribus noſtris inſerat, eaſque ſanet. Immò, quandoquidem dextram cum Malcho auriculam amiſimus miſeri, ſeruata ſiniſtra ad malum patula; oremus eum, vt amiſſam nobis de nouo reſtituat.

Gustus etiam in Adamo & Eua corruptus est, vt rectè D. Bernardus: Saporem boni perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Et interim palati semper vitio laborauimus; malè discernentes in cibis spiritualibus, & in corporalibus gustu abutentes. Sicut enim in his nihil ferè placet quàm quod sensus titillet; ita & in illis non salutaria, sed suauia ac cupita delectant. Hinc accidit, vt mortem, quæ in olla carnis huius est, non gustemus, nec euitemus: quod filij tamen Prophetarum tam luculento nobis exemplo præfigurarunt. Hinc tam multi mortem animæ per gulam deglutiunt: & non nisi serò sapiunt sentiúntque, quid plenis faucibus hauserint. Percontatur Iob admirabundus: An poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? *Gustus.* *Bern. super Cant. Serm. 85.* *4. Reg. 4.* *Iob 6.*

In huius vitij remedium voluit Christus amarum passionis bibere calicem; vino myrrhato cum felle mixto, atque acetō potari, & quidem in ardentissima siti extremóque vitæ spiritu. Recordemur absinthij eius & fellis; nostrumque cibum & potum amaritudine passionis eius temperemus, nec facilè excedemus. Sobrij simus: & saporem in spiritali ponamus edulio præcipuum. Sermo Dei, oratio, admonitio fraterna, Sacramentorum vsus, nostrum delectent palatum cordis, & oris palatum ex his emendabitur. De his etiam Cap. LXVII. differetur. *Remediū Gustus.*

Odoratu diuites & nobiles plus peccare solent quàm vulgares: dū illi curiosis, suaueolentibus, & delicatis odoramentis se oblectare satagunt & in illis gloriantur. E diuerso autem abhorrere solent à pauperum infirmorumque domiciliis, & hospitalia ac pia interdum loca ob id studiosè defugere. *Odoratus.*

In antipharmacon, etiam in Odoratu pati voluit medicus animarum nostrarum; præsertim in monte Caluarię: vt nobis magis cordi & curę esset bonus odor virtutum coram Domino, quàm fragrantia vestium rerumque aliarum mundanarum. Nam certum putatur, eos qui hîc semper benè redolere desiderant, à morte tetriùs olituros; & in inferno, nisi pœnitentiam egerint, arsuros acerbiùs. Exemplo solus esse potest Antiochus, qui postquam nimis accuratam sui in omnibus curam habuerat, nihilque quod ad mundi oblectationes faceret in se desiderari passus esset; non tantùm à vermibus viuus consumptus est, sed tanta fuit fœtoris ipsius intolerantia, vt nō solùm exercitus totus illo grauaretur, sed nec ipsę eum in se ferre vltrà posset. *Remediū Odoratus.* *2. Mach. 9.*

Nunc ad postremum Sensuum, Tactum dico, veniendum est; qui, quemadmodum non vnum tantùm corporis membrum vel partem occupat, sed per totum corpus extenditur; ita etiam longè plura sunt peccata, quæ per hunc sensum quàm per quemuis alium committuntur. Primum tactu peccatum fuit, quando primi Parentes ad lignum *Tactus.* *Origo mali Tactus.*

vetitum manus suas extenderunt. De quo ligno ita Adam vxori suæ Domini pręceptum erat interpretatus (quia ante eam conditam datum fuerat) vt inde tentanti ad esum serpenti responderet: *De fructu ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus; & ne tangeremus illud.*

Genes. 3.

Per Tactũ multipliciter peccatur: *Leuit.* 13.

Quàm frequenter quamq́ue multiplici modo nos interea tactu fœdauerimus, quotidiéque nos hoc sensu inquinemus, abundè nobis id frequentes illæ veteris Testamenti lotiones & iterata toties baptismata demonstrarunt: vt enim mille modis statim immundi censebantur; ita multoties iis & corpora & vestes, & vasa mundanda erant. Hinc non ineptè toties quis in anima maculari iudicatur, quoties peccat; quia peccatum fœda animæ labes est, quam quasi ex attactu rei vetitæ peccando contrahit: sicut qui carbones vel picem tetigerit, ab illis inquinatur.

Circa tria præcipuè.

Tactu præcipuè circa tria ista peccatur: circa impudicitiam, quocunque modo illa in actum corporalem deducitur; circa iniustitiam, qua quis rem alienam furto aut vi tollit; vel quoquo modo inuito vel inscio domino iniquè retinet: tum etiam in percussione, & quacunque eiusmodi iniuria: addo, in vestium vel cubilis nimia mollitie. Denique innumera sunt ferè, nisi ita circumscribantur, quæ per tactum vitia committuntur.

Multiplex remedium Tactus.

Iam, vt multiplex est Sensus huius offensio & peccatum; ita multiplici illud remedio Christus Dominus noster curandum iudicauit. Hinc in omnibus sacratissimi corporis sui membris membrorumq́ue articulis singularem quandam pœnam sustinuit. Inter quas istę præcipuè notandæ sunt: Vehemens illa totius corporis in ingressu horti concussio, agonia sudorem vndique sanguineum exprimens, dura apprehensio, ligatio, vellicatio, maxillæ percussio, & colaphi infiniti, capillorum & barbæ conuulsio, consputatio, flagellatio, coronatio, gestatio crucis, frequens vestium cum vulnerum renouatione detractio, crucifixio, & post mortem pretiosi lateris perfossio. Adeò vt benè Probatica piscina, Christus passus dici mereatur, & factus sit: in qua iuxta Græcum vocabulum velut oues in sacrificiũ omnes abluimur; & prout in speciem Latinè Probatica sonat, in qua, vt omni ex parte probata & approbata, sanamur à quacunque detineamur infirmitate. Habet, vt antea dixi, nostra Piscina quinque sensus, vt porticus quinque, in quibus iacet omnis multitudo languentium peccatorum. Habet è contrà hæc salutaris nostri Redemtoris piscina eminentes porticus quinque: hoc est quinque præcipua vulnera ad nostram salutem. Hìc omnes nostrorum quinque Sensuũ infirmos, cęcos, claudos, aridos, & quotquot peccatis obstricti sunt, deponamus. Aquæ motæ sunt. nihil est quòd Angelũ aliquem exspectemus; omni tempore

Quinque porticus piscinæ, etiam spiritualis in Christo.

tempore feruet admirandæ huius piſcinæ ſalubritas. In hanc ſenſus noſtros totos demergamus, vt illis iam ſanis receptis, ita ad noſtram ſalutem, eiusq́ue qui illos nobis dedit deinceps vtamur gloriam, vt vbi redierit rationem nobiſcum initurus, dicere ei poſſimus: *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi: ecce, alia quinque ſuperlucratus ſum.* Quod fit potiſſimùm, quãdo ſalutari ſenſuum externorum vſu, etiam quinque internos ſeu ſpirituales adipiſcimur; vt iam in anima etiam verè videamus, audiamus, ſentiamusq́ue. Tunc dicturus viciſſim eſt Dominus: *Euge ſerue bone & fidelis; intra in gaudium meum. Eris poteſtatem habens ſupra quinque ciuitates*: per quod regia Regni cæleſtis gloria declaratur & datur.

Matth. 25. Quinque talenta.

Quinque ciuitates. *Luc.19.*

Quid oberit, ſi hunc de quinque ſenſibus tractatum cum myſtica quinque filiorum Mathathiæ interpretatione concluſerimus? Hîc enim hominis & quinque ſenſuum vt filiorũ debitã conſtitutionem cõtemplabimur. Mathathias, donatus à Domino (ſic enim ſonat hoc nomen) quinque filios habuit, qui populi Dei duces eſſent contra hoſtes ſuos. Sic dedit nobis Dominus quinos ſenſus, quorum præſidio animam noſtram contra eius inimicos tutaremur. Nomina ſiquidem filiorum Mathathiæ non malè Senſibus conueniunt. Primus erat Ioannes, in quo eſt gratia; per quem, Viſum cui plurimum gratiæ ineſt, poſſumus intelligere. Addo, toties in Scripturis legi; Inueniam gratiam in oculis tuis. Secundus Simon, obedientia vel auditor mœroris, apertè Auditum deſignat, qui obedientię fidus eſt præcurſor; vnde obedire dicimus, quaſi obaudire. Tertius Iudas, confitens vel glorificans, Guſtum poteſt denotare: ex quo confeſſio ſequitur & laus dulcedinis Saluatoris: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Qui quidpiam guſtat, ſtatim iudicium ſuũ declarat. Quartus erat Eleazar, Deus meus adiutor, Tactum ſignificans: quia Deus pater filium tangendo, & vt paſtor percuteretur permittendo, adiuuit nos ne in æternum periremus. Eius liuore ſiquidem ſanati ſumus: liuor autem ex tactu. Quintus Ionathas, columbæ donum, per quem Odoratum accipere poſſumus. Quia vnde bonus odor Chriſto in eius Eccleſia, niſi ex dono columbæ, hoc eſt Spiritus ſancti? Ipſe eſt enim vnctio & pretioſum vnguentum replens totam domum fragrantiſſimo odore.

1.Mach.2.

Oratio pro bona quinque Senſuum directione.

Quinque mei Senſus, Domine, quos in ſalutis meæ ſubſidium mihi cõtuliſti, magno meo malo infidi mihi rebellant, & in certam, ſi ſequar, perniciem ducunt: ſpiritu tuo bono illos quæſo reforma, vt illis ad tui nominis gloriam, & animæ meæ ſalutem vti valeam, & eorũ ductu vitam inueniã ſempiternam. Amen.

CAP.

CAP. XLIII.

Vimq́; animæ triplicem, cæleſtia munera, pandas.
Vis memorans: Intellectus: ſua cuique Voluntas.

Tres potentię animæ.

Auguſtin. Confeſſ. li.10.cap.8.

TRES iſtæ potentiæ animę, Memoria, Intellectus, & Volun-
tas, earumq́ue officium, tribus Nymphis animæ obſe- A
quentibus poſſint comparari, quemadmodum etiam in
imagine figurantur. Memoria in primis, velut theſaurum B
animæ abſconditum & clauſum tenet in ſinu, tanquam archiuum à
Deo factum eiusq́ue curæ commiſſum. Intellectus, tamquam vis ali- C
qua ſpiritualis, theſaurum illum aperit, resq́ue in eo reconditas ma-
nifeſtat. Et Voluntas ex eo depromit, quodcunque pro rei temporíſve D
opportunitate, animæ arbitrio ſederit placuerítve: relictis interim ibi
aliis variis rebus benè cuſtoditis, quæ ſuo etiam tempore, dum vſus
feret vel neceſſitas poſtulabit, expromentur. Depromta è Memorię
ſcrinio (Intellectu priùs recluſa pandente) Voluntas animæ tradit, in
eius ad quodcunque voluerit obſequium: nunc virtutem hanc, nunc
illam: aliquando miſericordiæ diuinę recordationē, quandoque verò
Iuſtitiæ: interdum mortis meditationem ob oculos ſtatuens, ſubinde
iudicium, aut gloriam cæleſtem, aut etiam ęternam damnationem.

Deſcriptio trium potentiarum.

Poſſunt etiam tres animæ facultates hac ratione deſcribi. Diabolus
certò ſciens, non aliter quàm voluntate hominis conſentiente pecca-
tum committi poſſe, vt quæ inter animę potentias intimum palatij re-
ceſſum regat, & à qua tota animæ gubernatio dependeat, ſicut à Rege
in ſuo regno; vt ad Voluntatem pertingat eamq́ue ad conſcenſum in
malum pelliceat, ab aliquo ſenſuum exteriorum communiter inci- 1
pit, qui, vt videmus, quaſi portæ, vel etiam ianitores ſunt, in extre- 2
mitatibus corporis ſuas habentes ſtationes: cuiuſmodi ſunt viſus, au- 3
ditus, tactus, reliqui. Per ſenſus autem (quando non ſtatim excludi- 4
tur) tranſit cum mala ſua tentatione & ſuggeſtione ad phantaſiā ſiue 5
imaginationem, tanquam per aulam aut atrium, vſque ad longum
periſtylium velut ambulacrum, vbi non tam exacta habetur ratio
euntium & redeuntium, præſertim in magnis ædibus & aulis. Verùm
ſi inoffenſè & impunè vlteriùs ad memoriā vſque pertingere poteſt,
ibiq́ue quaſi certam formare cogitationem; eoq́ue ampliùs ita pene-
trare vſque ad intellectum, velut vſque ad interius intimo proximum
cubiculum, vbi ratio reddi & certa notitia dari debet, priùs quàm
ad intima acceſſus & audientia obtineatur: tunc ei nihil ampliùs ſu-
pereſt, quàm vt in intimum penetrale concedat, vbi voluntas præſi-
det; à cuius arbitrio totum dependet: ſiue vt propoſitis aſſenſum
præbeat,



Vimq; animæ triplicem cæleſtia munera pandas.
Vis Memorans; Intellectus; ſua cuiq; Voluntas.

Welck is der crachten bandt, onſer ſielen, dryvoedich?
Memorie; en Verſtandt; en den Wille vrymoedich.

Quel eſt ce ternaire, Par qui l'ame opere, En moins dun moment?
C'eſt la Souuenance, La toute-Veullance, Et L'entendement.

præbeat, fierique determinet quod petitur; siue vt cum auctoritate repellat, aut vt minimum, eò vnde venerat remittat. Eiusmodi namque proditoriæ suggestiones, ac diaboli ad peccatum tentationes, sunt instar exploratorum, hostiumque subornatorum, qui subintrant, vt mactent, & spolient; quique deprehensi, iure suspendi, vel alio mortis genere affici consueuerunt. Hoc facimus, dum per arbitrij libertatem, & voluntatis imperium, eiusmodi irrepentes latrunculos emissariosque non admittimus, sed in crucem arreptos sustollimus, prauam nostram inclinationem, & diaboli suggestioné, per Christi passionem & crucem in nobis supprimentes & exstinguentes. *Gal. 5.*

A Tres istæ facultates igitur seu potentiæ animæ appellantur Memo-
B ria, Intellectus, & Voluntas. Sunt namque etiam velut tria propugna-
C cula & castella quædã, quibus ciuitas hæc nostra, quę ex anima con-
D stat & corpore, communitur. His saluis, benè custoditur ciuitas, hoc est, homo totus, & regitur benè: vt rectè Ecclesiasticus: ***Funiculus triplex difficilè rumpitur.*** Quamdiu enim hæ arces sibi benè subseruiunt, & saltem Voluntas inuicta manet, nihil homini nocere potest: quia Deus cum ipso est. *Eccli. 4.*

Potest & alio modo trium harum virium describi conditio. Memoria Scriba est intus residens. Illa siquidem regestum, aut vt ita dicam, registrum tenet omnium quæ transiguntur, instar Secretarij. Vt dicit Cicero: Memoria est signatarum rerum in mente vestigium. Idem: Rerum omnium thesaurus, Memoria. Ex quo thesauro, vt Capitis huius initio dixi, quæ vel vsus, vel necessitas, vel temporis ratio postularit, ad Voluntatis arbitrium, in obsequium animę depromuntur. S. Bernardus, vt Christianus, nostro proposito accommodatiùs hac de œconomia proloquitur. Ostiarius, inquit, Voluntatis sit recordatio cælestis patriæ; & ad thalamum rationis custos adhibendus, recordatio gehennæ. Excellens haud dubiè vis est & thesaurus memoriæ, ad hoc homini à Deo concessæ, vt in ea salutaria quęque recondat, tempore opportuno velut è loculo depromenda, & in vsum deducenda. Sed, quod dolendum est, quàm inanes bonorum sunt sæpè istæ cellulę tanti thesauri; & quàm plenæ interim omnium vanitatum, omnis stultitiæ, insaniæ, turpitudinis, & malitiæ! vt mitissimè cum Elegiographo dicam, Plenus sacculus est aranearum. Eiusmodi sunt istorum hominum memorię, qui neque è concionibus, vel librorum piorum lectione; neque ex bonis colloquiis, diuinisue inspirationibus boni quidpiam retinent. His enim, quibus memoria prauis abundat rebus, instar infundibuli est ad bonum: in quo nihil hæret, sed quidquid infunditur defluit. Vt vulgò de his, qui memoriæ defectu laborant, dici solet, aurium vnâ hauriunt, alterâ effundunt. Fœdas verò cantiunculas, dicteria, scurrilitates, detractiones, & id genus virulen- *Memoria. Stobæus. Cicero 1. Tusc. Quæst. & l. de Orat. Bernard in paru. serm. Catull.*

tias,& celerrimè capiunt,& retinent mordicus, etiamsi tantùm obiter semel occinantur. His pleni, hęc & regurgitant. Quid enim ex vase aliud exspectes quàm quo repletum est? Tales memoriæ nidi sunt aptissimi, in quibus maligni dęmones pessima quęque fomenta reponant, vanitatem maximè & impudicitiam.

Beati igitur & prudentes sunt, qui Memoriam suam instar gazophylacij custodiunt; in quod nihil præter res pulchras, bonas, pretiosas, honestas, & diuinas recondant; tum ad illas ibi accuratè conseruandas, tum ad suo tempore depromendas, & opportunis vsibus applicandas. Hunc in modum Christus ipse loquebatur: *Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* iuxta rei scilicet vtilitatem. *Matth. 13.*

Intellectus. Intellectus vis est animæ, per quam homo velut per lumen res inspicit & cognoscit, quæ ipsi per aliquem sensuum offeruntur. Ita de hoc Aristoteles: Intellectus est lumen quod Deus Animæ infundit. *Aristot.* Sanctus verò Ambrosius sanctiùs & spiritualiùs, hoc pacto: Intellectus spirituale donum. *Ambros.* Quod & pro effectu Intellectus accipi potest; quando scilicet per vim istam animæ (quam Intellectum vocamus) aliquid intellectu difficile perspicimus & intelligimus. Hoc donum humilibus, iuxta Psalmistæ testimonium, conceditur; sic enim ait: *Intellectum dat paruulis.* Et alibi: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Quod & Saluator noster ipse testatur, & Patri cælesti confitetur: *Confiteor tibi Pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus* (scilicet in oculis suis) *& reuelasti ea paruulis.* *Psal. 118. Psal. 110. Matth. 10.*

Voluntas. Voluntas principalis est animę potentia, sine qua neque peccatum, vt sic dicam, est peccatum; neque virtus virtus est. Sic D. Augustinus: Voluntas est qua peccatur, & qua rectè viuitur. *Aug. lib. 1. Retract. cap. 9.* Tamque illa est libera, vt cogi compellive ad id quod nolit nequeat. In hanc sententiam D. Bernardus: Voluntas nostra non cogitur: & propterea sola meretur vel demeretur. *Bernard. de gratia & libero Arbit.* Efficit namque vt coram Deo mereamur, per id quod rectè voluntariéque agimus, & ab illo pro merito coronemur. E contrà demeremur, & punitioni sumus obnoxij, quando per liberam nostram voluntatem in malum consentimus. Sin autem ad aliquid compellimur inuiti & nolentes, per meram vim & violentiam, voluntate non consentiente, tunc nec in bono opere meritum, neque vllum est demeritum in malo. Præclarè, vt omnia, idem Aurelius, Voluntatis asseuerans libertatem: Nihil tam in nostra est potestate, quàm ipsa Voluntas. *Aug. lib. 3. de lib. Arb.* Verè mirabile, si attendamus. Nulla eam externa vis aut potētia potest inflectere. Hinc excellentissima est Voluntatis oblatio, inter omnia quæ nos rerum nostrarum Deo offerre queamus sacrificia. Voluntatis oblatio. Hanc Religiosi omnes offerunt, dum non solùm vota Castitatis & Paupertatis emittūt, sed etiam Obedientiæ.

tiæ. Quo facto ſuam voluntatem exuunt, & alterius, Superioris ſcilicet (quem Dei loco habere debent) induunt: propriam cum ipſius voluntate commutantes: ſeque in præcipua ſui parte. Voluntate inquam, in holocauſtum immolantes,& igne Charitatis quaſi in nihilum, vt omnia in Deo lucrentur, redigentes;quę vera eſt holocauſti natura. Per voluntatem etiam,ſe totum homo alterius poteſtati ſubiicit gubernandumque tradit,plena ſui facta alteri poteſtate; quemadmodum ciuitas aliqua, clauium traditione, Principis alicuius dominio ſubiicitur & conſignatur. Abſque enim hac Voluntatis ſubmiſſione ac plena traditione, neque vera poteſt eſſe ſubmiſſio, neque recta gubernatio. Vnde conſtat quàm grauiter errent ſeque ipſi fallant, qui ſplendido obedientiæ titulo gloriantur, ac ſe Religioſos eſſe exiſtimant, quando nihil minùs quàm voluntatem ſuam Superioris voluntati ſubiiciunt: ſed potiùs Superioris voluntatem ad ſuam quoquo modo inflectunt.

In voluntatis liberæ (qualis eſt in primis bonorum Religioſorum hominumque verè Chriſtianorum) commendationem, hunc in modum Doctor mellifluus: Voluntati nec leges imperant, nec Principes dominantur: libera eſt; & maximè, ſi ſpiritu ducitur: quia vbi ſpiritus, ibi libertas. Veruntamen, veternoſi ſerpentis inuidiâ, quemadmodum memoria noſtra peruerſa eſt, & facta velut vas fractum & perditum, quod nullis ferè aliis vſibus aptum eſt quàm ſordibus,vanitatibus, & nequitiis coaceruandis: Intellectus verò inſtar fuliginoſę laternæ ita obfuſcatus & detortus,vt ad nihil valere videatur quàm ad ſcelera, fraudes,& mille malas artes adinueniendas; ad bona verò & ſancta, neſcio qua laborat inopia lucis, & caligine: ita Voluntas præcipuè eſt deprauata atque Adæ lapſu lęſa,vt ab ineunte hominis ętate ad malum potiùs prona ſit quàm ad bonum.Ad bonum ſiquidem tam tarda tamque inepta facta videtur, vt magni ſit laboris multique conſilij ac negotij, priuſquam ad rectam normam redigi queat. Vnde fit, vt ita omnia ad ſuum nutum inflectat, ſuiſque ſubiiciat legibus, vt promittere auſit D. Bernardus: Ceſſet voluntas propria,& non erit infernus.In quid enim exerceat infernus & ignis gehennæ ſuam ſæuitiam, quàm in malam voluntatem? Peccatum namque flammæ infernalis eſt pabulum; immò, vt rectiùs dixerim, fundamentum: Si peccatum tollis; nil eſt quod infernus exurat, nec eſt quod ipſemet exiſtat quidem: peccatum autem non eſt, ſi mala voluntas tollitur.Mala voluntas Deum impugnat,& in eum inſurgit: Paradiſum ſpoliat, & ditat infernum. Noſtram igitur voluntatem in Dei voluntate conſtituamus,ne mala ſit: dicamuſque ore,& opere; Fiat voluntas tua & non mea. Poſſide bone Domine meã memoriam; intellectum illumina; & dirige voluntatem: alioqui potentiæ

Bernard. Voluntas inuicta.

Malæ voluntatis mala. *Bernard. ſerm. 1. in Septuag.*

Matth. 26.

tentiæ animæ meæ potentem in me exercebunt tyrannidem, & mei dominabuntur. Tibi, ô Deus, trado omnia possidenda & gubernanda, vt ita ad maiorem tuam gloriam, & meam salutem, animæ meæ deseruiant; cui in præsidium & subsidium cuncta largitus es.

Non erit abs re, si quasi corollarij loco in figuræ ac typi Voluntatis explicationem pauca prędictis adiecero.

Voluntatis potentia.

Voluntas optimè grandi illi ferreo & trabali malleo comparatur, E quo Fabri ligna seu tigna ac trabes ictu violento compingunt; & omnia, ad quęcunque adhibuerint, eius vehementiæ cogunt cedere & obsequi ad nutum: vnde rectè à tundendo tudes dicitur: & apud fabros ipsos nostrâ linguâ (Willeken) Voluntas, malleus ille appellatur; quòd quæcunque vult faciat, nihilque ei obsistat. Quantæ sit potentiæ & efficaciæ voluntas, non solùm in illis elucet, qui stante voluntate, ad id quod nollent cogi nequiuerunt, etiam tota mundi potestate concurrente; verùm etiam in illis, qui è contrà, res maximè arduas & quasi impossibiles effecerunt, voluntatem suam sub alterius voluntatem obedientiæ vi redigentes.

Martyrum inuicta voluntas.

Priorum exempla in martyribus omnibus fulgêre cernuntur. Torqueri, vri, mergi, dilaniari potuerunt; sed, vti quidpiam quod Dei legi repugnaret admitterent, cogi nequiuerunt. Ceruix mucrone præscindi potuit: at ne minimùm inflecti vel conniuere, ad profanam idolorum adorationem. Tus eis in manus obtrudi potuit, & supra ignem dextræ teneri, atque ex eis tus in ignem decuti; sed compelli nequiuerunt, vt ipsimet sponte sua turis vel tantillum idolis adolerent. Vtque vnum pro omnibus nominatim adducam, cuius hodie 12. Martij festum in Ecclesia celebratur: S. Petrus Martyr, Diocletiani Imperatoris cubicularius, dictum nostrum facto comprobet. Is, cùm de martyrum suppliciis conquereretur, martyr effectus est. Suspendi, cædi, extendi, vnguibus excarnificari, sale & aceto conscissis in vulnera membris perfricari, lentoque igne torreri potuit, sed à proposito ac fide auelli non potuit, voluntate contra omnia diaboli machinamenta rupis instar immotâ & inconcussâ perstante.

S. Petrus martyr.

Effectrix mirabiliũ voluntas obediens.

Exempla alterius generis efficaciæ, per voluntatem obedientiæ iugo submissam exhibitæ; infinita commemorem, ex quibus nihil voluntatis libertati per obedientiam constat decedere; sed potiùs augeri ad bonum, reddique efficatiorem. Adeò vt impossibilia naturæ perficiat: vt sunt, leænam arripere, & ad Superiorem id iubentem adducere: super aquam ambulare: saxa & rupes loco mouere, & eiusmodi sexcenta. Omnia Voluntas potest, vt ita dicam; & ad nihil cogi potest.

Gregor. 2. Dia. 7.

Egregiè profectò nos Deus ornauit, qui triplici hac facultate, velut tribus robustissimis ducibus, militiæ nostræ præsidium auxit & communiuit. Dũ etenim nobis in vita hac hostilibus armis vndique

cincta gratię fluentis incessanter est opus, quo sitim nostram restinguamus, ardorem temperemus, & irrigemus innatam terræ salsuginis ariditatem; vt ita tandem per mille malorum ingruentium agmina perrumpentes, ad cælestis gloriæ coronam triumphantes conuolemus; haud dubiè magna est trium talium robustorum præstantia, qui non obstantibus vndique periculis, optata nos potiri faciunt felicitate. In Dauide id non obscurè adumbratum videre est: de quo sic legimus: *Dauid erat in præsidio: porrò statio Philisthinorum tunc erat in Beth-lehem. Desiderauit ergo Dauid aquam de lacu, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Beth-lehem iuxta portam! Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Beth-lehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.* Magni itaque faciendum triplicis facultatis animæ munimentum & auxilium ad salutem consequendam.

2. Reg. 23.

Quis, trium harum facultatum intuitu, non admiretur diuinam animæ nostræ conditionem, gratiasque ob id immortales immortali Deo agat? Nam iuxta Innocentij sententiam, Animus humanus sic factus est, vt sit capax Dei, qui vt vnus est in substantia, ita trinus est in personis. Eapropter nunquam ille plenus est, nisi Deum habeat, ad cuius imaginem est creatus. Sicut namque cera, si illi sigillum imprimatur, nunquam adæquatè ex omni parte adimpleri potest si eidem quod vis aliud sigillum applicetur, nisi primo à quo impressam accepit effigiem; ita anima humana nulla re alia adimpletur quàm Deo, cuius gestat imaginem. His assentiuntur quæ à D. Bernardo hunc in modum dicuntur: Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest. Capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Vt meritò maiestatem hanc animæ admirantes, triplici hoc præsidio præfulgentem cum Isidoro exclamemus; O homo! quid miraris siderum altitudines, & profunditatem maris? Animi tui abyssum intra; & mirare, si potes.

Innoc. de vilit. condit. human.

Bern. Serm. dedicat.

Isidor. lib. 1. de sum. bon.

Oratio pro recto trium potentiarum animæ vsu.

D*ator optimorum datorum, Dominé, tribus animam meam ditasti muneribus ac potentiis; sed mihi non rarò recusant obsequium: Ostende potentiam tuam, & munda Memoriam, Intellectum illumina, & corrige Voluntatem: vt anima mea, tantis adiuta præsidiis, alacriùs salutem suam valeat operari. Amen.*

CAP. XLIV.

Quid ſigna octo volunt Vitæ præſaga Beatæ?
Teſſera ſunt, quibus æthereas Deus aſſerit arces.

Vera Beatitudo.

NON vt omnes beati eſſe deſiderant, ita veræ beatitudinis viam ſeruant. Multi de Beatitudine & ſummo bono diſputarunt; ſed omnes præter Chriſtianos à ſcopo aberrarunt. Quod vnus Crœſus non tam à Solone verbis, quàm ab euentu rebus ipſis edoctus abundè teſtatus eſt; cùm ſe beatiſſimum aliquando arbitratus, à Cyro captus, & pyræ impoſitus, verum eſſe didicit, quod ei antè dixerat Solon: Neminem ante mortem beatum dici debere.

Herodot. lib. 1.

Chriſtiani autem octo recenſent Beatitudines, quas Chriſtus primùm diſcipulos ſuos in monte docuit: *Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.* & ita de aliis. Harum explicationem (vt de reliquis ſimilibus quæ ad Catechiſmum pertinent hactenus obſeruamus) non intendimus; cùm ex aliis quamplurimis ad manum ſit: ſed tantùm iuxta Interrogationis formulam, in genere, quid de illis ſit ſentiendum oſtendemus. Sunt autem iſtæ velut certæ rationes & conditiones, quas qui haberent, beatos Dominus ipſe pronunciauit. Modo illo loquendi indicans, per illas, vt certas quaſdam vias, ad æternam beatitudinem peruenturos. Hîc enim nemo aliter, quàm ſpe æternæ felicitatis, & mediis eò pertingendi beatus dici verè vel eſſe poteſt.

Matth. 5. Octo Beatitudines.

Reſponſio ſatis hoc ipſum quod doceo manifeſtè demonſtrat. Qui has conditiones in octo Beatitudinibus propoſitas habent, velut teſſeram ferunt, qua freti in cælum intromittantur, & ſint in æternum beati. Quis hinc nôn videat quàm ſit propterea gnauiter illis vita hac durante incumbendum?

Doctrinæ cæleſtis nouitas.

At nouæ huius & nunquam antea auditæ doctrinæ admirandum ſecretum paulo accuratiùs introſpiciamus. Quid enim abſtruſius minuſque ſimile vero humanis ſenſibus, quàm in paupertate, deiectione ſui, luctu, & perſecutione ſummam beatitudinem, immò vel felicitatem tantillam conſtitui? Ideoque rem paulo altiùs petentes, admirandam hanc Chriſtiani hominis Philoſophiam tandem excutiamus. Meminiſſe oportet, nos, dum Dei obedientiâ & gratiâ per peccatum excidimus, culpâ noſtrâ ex Paradiſo exturbatos, quaſi pullos auium è noſtro nido, vbi optimè nobis erat, noſtro merito excidiſſe. *Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes*; inquit Propheta. Nunc verò quemadmodum pulli ita nido delapſi in mille periculis ſunt, & quaſi

Iſaiæ 16. Simile ab auibus è nido delapſis.

A B C D



Quid ſigna octo volunt Vitæ præſaga beatæ?
Teſſera sunt, quibus æthereas Deus annuit arces.

Waerom ſyn ſoo ghenoemt, die goed' acht Salicheden?
Om datmen door die roemt, ter glorieuſer vreden.

Des ſaintes eſtudes, Des beatitudes, Qu'en aprennons nous?
Le chemin qui l'Ame, Conduit au thalame, Du Celeſte eſpoux.

quaſi certo diſcrimini expoſiti, vt vel fame intereant, vel deuorentur à beſtiis, vel ab hominibus conculcentur: ita nobiſcum agebatur; vt in medio hoſtium noſtrorum, in tantis miſeriis & infirmitatibus degentes, certum æternumque in dies expectaremus interitum, quamdiu nec via nec ratio ſuppeteret ad nidum vnde excideramus remeãdi. E Quocirca, ſicut pullorum talium mater, de ramo in ramum, de tecto in tectum volitat & ſaltat, certum ſolicitumque edendo cantum, quo illos alliceat & paulatim reducat incolumes: ita Chriſtus Dominus noſter varios & mirandos ſaltus fecit, nos quæritans, & voce blanda cecinit, quò meliùs ſequeremur inuenti. Sic D. Gregorius: Ecce, vt nos poſt ſe currere faceret, quoſdam pro nobis ſaltus dedit. E cælo in terram, ex ſinu Patris in ſinum Matris, inde in præſepe, inde, per varios alios ſaltus quibus & montes & colles tranſiliit, ſaltauit in crucem; de cruce in ſepulchrum, inde in infernum, inde & è ſepulchro iterum in terram, ex terra denique in cælum, vnde vt gigas exiuerat ad currendam viam. Vtque nos eò eundem ſequeremur, vbi æterna ſumus beatitudine perfruituri; non ſaltus tantùm, ſed & cantus miros dedit: octo nimirum iſtas Beatitudines, inter alia infinita. Vtque naturaliſſima, ac planè propria matris pullorum perditorum vox eſſe debet, vt intelligant, moueantur, & ſequantur: ita propriiſſima, vt ita dixerim, hæc Chriſti Saluatoris noſtri eſt cantio, ac propterea mundi cantilenæ contraria. Adeò vt tutò ipſum ſuper hac voce ſequi poſſimus, & ob eam rem etiam præ tanta felicitate ac ſecuritate, vocari ex hoc tempore beati. De huiuſmodi vocis ductu & ſequela ſic ipſe Dominus: *Oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.* Sciunt Chriſti fideles dictum à Domino: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Sed Chriſti vox Beatitudines iſtas præcinentis nota, grata, & fidelis. Qui igitur æterna beatitudine in cælis ✠ frui deſiderat, hæc ſeruet, quæ vię inſtar eum ad beatitudinem ducent. Nam vt dicit D. Gregorius: Quærenda eſt gloria Dei per vias eius. Quocirca, cùm homini Chriſtiano duplex in hac vita ſe ſtatim offert via, vna virtutis ad gloriam, altera voluptatis ad interitum; debet vt verus Hercules hac contemtâ alteram licet arduam amplexari.

Gregor. Homil. 29. Saltus Chriſti varij. Cantus Chriſti efficax. *Ioan. 10.* *Iſaiæ 3.* *Gregor.*

Oratio pro octo Beatitudinum fructu obtinendo.

O Miſericordiſſime Ieſu, ſalus vnica, & Saluator mundi, tua nos gratia & benedictione rigare dignare, vt ita hîc octo Beatitudinum fructum carpamus, vt in Regno tuo beatitudine perfruamur æterna. Amen.

CAP-

CAP. XLV.

At, nónne hos Mundus, mera ceu ludibria, ſpernit?
Delirat, nec vera videt, nec iudicat æqua.

Erroriudiciorum de vera beatitudine.

SICVT iſtud Caput præcedenti ſubſeruit, ita mirum videri non debet, ſi iiſdem initio veſtigiis, quæ tunc poſui, nunc proſequar. Omnes, vt dixi, beati eſſe deſiderant, ſed non æquè omnes in quo vera beatitudo conſiſtat, intelligunt. Hinc Gentiles omnes excutiebant angulos, ſummum bonum ac beatitudinem ſcrutantes. Aliqui in diuitiis eam conſiſtere arbitrabantur. Vnde Crœſus Soloni diuitiarum ſuarum copiam oſtentans, eum rogabat, vt cœpi dicere, an ſe quiſquam beatior eſſet? cumque Solon reſpondiſſet, neminem ante mortem beatum dici debere; Solonem tanquam ſtultum hominem, qui præſentem felicitatem parui faceret, à ſe dimiſit. Mox expeditione contra Cyrum Perſarum Regem ſuſcepta, captus regnoque exutus, rogoque vt cremaretur impoſitus, clamare cœpit: O Solon, Solon, Solon! Cyrus admiratus ignotum vocabulum, poſtquam cauſam remque omnem didicit, Crœſum ab incendio liberauit, & apud ſe toto vitæ tempore honorificentiſſimè habuit, humanę inconſtantiæ ac miſeriæ documentum. Alij ſummam felicitatem in voluptatibus, luxu, crapula & ebrietate conſtituunt. Sicut Epicurus tenuiſſe & docuiſſe putatur. Vnde, licet ipſe ſummum bonum in animi voluptate reponeret, vitæ alioqui continentiſſimę, (non autem, vt Ariſtippus, in voluptate & ſagina corporis) quotquot tamen interea ventri & gulæ ſeruierunt, Epicurei, ſeu Epicuri de grege porci vocati ſunt. Tales ſunt Venerei, Bacchici, Epulones, Lurcones, ac tricongij nepotes, quorum Deus venter eſt; & qui in terra ſuauiter viuentium commorantur.

Herodot. lib. 1. Solon & Crœſus.

Epicurei.

Horat. li. 1. Epiſt. 4.

Talium, iuxta ſtultam mundi opinionem, deſcribit Pſalmographus beatitudinem, vt quæ in proſperitate, rerum terrenarum affluentia, bonorum honorumque cumulis, cateruis amicorum, filiorum, famulorumque frequentia conſtituta credatur. Ita Pſaltes: *Filiæ eorum compoſitæ; circumornatæ vt ſimilitudo templi. Promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſsibus ſuis; boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Sed perinde atque ſi ſuum ipſe ſuper hac re dicat iudicium; *Beatus*, inquit, *populus, cuius Dominus Deus eius* Ille enim populus, qui Deum verum colit, & patrem ac Dominum habet, omnibus modis longè beatior eſt. ipſe enim ſuos longè aliter quàm mundus docet. Chriſtus namque non tranſitoriam feli-

Pſal. 143.



At nonne hos Mundus, mera ceu ludibria, ſpernit?
Delirat: nec vera videt: nec iudicat æqua.

De Weerelt houdt den ſpot, met ſulck; als ſnoo, en ſlecht.
De Weerelt die is ſot: ſ'en weet niet wat ſy ſecht.

Toutefois la race, Du mondain rechaſſe, Et hait ceſte voix.
Le Monde radotte, Et ſon humeur ſotte, N'entend pas ces loix.

felicitatem, ſed æternam ſpectat beatitudinem. Hinc dicit: *Beati pauperes*: & è contrario: *Væ vobis diuitibus: quia habetis conſolationem veſtram. Beati qui eſuriunt & ſitiunt.* Contrà: *Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Beati qui lugetis.* Contrà: *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Beati qui perſecutionem patiuntur.* Contrà verò: *Væ vobis cùm benedixerint vobis omnes homines.* Hinc benè per Prophetam tam vanis hominibus clamauit, & nunciauit: *Popule meus, qui te beatum dicunt,* non ſolùm *te decipiunt* (quod dixi) verùm etiam, *ipſi viam greſſuum tuorum diſſipant.* adeò vt talibus inſiſtentes veſtigiis, nunquam ad cæleſtem ſitis beatitudinem peruenturi. Quod D. Auguſtinus apertè profatur, in tam ſtultorum hominum confuſionem; dum ait: Mundus inimicus eſt iis, quos beatos facere videtur. Quid igitur dicemus de iis, quos beatos tantùm dicit & iactitat? *Luc. 6.* *Iſaiæ 3.* *Auguſtin. Quæſt. 115.*

A Quare optimè dicit Reſponſio: Mundus delirat. Dum octo iſtas Beatitudines ridet, immò vt infelicitates deteſtatur: neſcit verè quid dicat; quia malè iudicat. Dicit namque malum bonum, & bonum malum; tenebras lucem, & lucem tenebras; amarum dulce, & dulce B amarum. Voluptatem virtutum nihili facit, immò vt triſtitiam & amarulentiam refugit; acerbam interim & laborioſam mundi oblectationem amœnitatem vocat, & mirè commendat; ſuoſque ita ſectatores miſerè decipit. Mundus delirat. *Iſaiæ 5.*

Ideoque inſtar ſtultæ mulieris depingi poteſt mundi vanitas; quæ C bilancem habeat, cuius partem vnam (in qua, quæ virtutum & piorum operum ſunt, continentur) admota manu eleuat vt nullius mo-D menti, partem verò oppoſitam, vbi vanitates, voluptates, & illecebræ mundi repoſitæ, tanquam grauia, magnique ponderis deorſum premit; vt hęc prioribus illis maioris eſſe præmij ſtultis perſuadeat. Et interim ſtulta non animaduertit, ſe bona eleuando, cælo propinquiora facere; vana verò & praua deprimendo, tanquam quæ magni mo-E menti ſint, inferno reddere viciniora, vt verè ſunt. Nō recogitat enim F mundus, Deum contrariæ eſſe ſententiæ, aliuſque naturæ; vt qui humiles exaltet, & ſe exaltantes humiliet. O mundi ſtultitiam! quàm parum quid dicas attendis! At quid mirum? per opacam enim craſſæ tuæ ignorantię caliginem, per lutulentam ſpiſſitudinem tuarum ſordium, & per cęcam noctem tuę vanitatis, ac immedicabilem amoris tui ſtultitiam, non remotiùs vides, vt dicitur, quàm naſus tuus protenditur: hoc eſt, quàm ſenſualis illa appetitus tui ſagacitas, quâ creaturas velut olfacis appetiſque, ſe extendit. Quod extra carnalis tuæ ſapientiæ limites eſt poſitum, quodque ſupra te eſt, id eſt, vltra narium tuarum peripheriam vel horizontem, non id ſapis, neque id vllo tibi modo probatur: immò etiam quoad eiuſmodi quæ virtutem & ſpiritum redolent, in propria cauſa oculis, olfactu, ac guſtu laboras, vſque ad Mundi delineatio. *Simile quid apud D. Gregor. moral. li. 32. cap. 7.*

ad imum cordis tui fundum. Quid mirum igitur, si de sublimi hac, cęlesti, ac diuina doctrina atque octo Beatitudinum Philosophia, tam temerè, tam stultè, & tam contrario planè modo iudicas & loqueris? Quamobrem i, & tuo more, vt voles, non illos beatos sed miseros dicito, quos ipsa Veritas & Sapientia diuina ex certo decreto beatos asserit.

Terreni cælestia nõ capiunt. *Matth.* 5. *Amb.lib.* 5. *in Lucam.*

Verùm vnde, obsecro, in re tantâ tam distorta mundi sententia? vnde ista nox, hebetudo, & tam dolenda cæcitas? Hinc scilicet malum, quòd, quando Christus sublimem istam sapientiam suis tradebat Apostolis, promiscuum vulgus ipsum in montem cum Apostolis non sequebatur. Vt benè S. Ambrosius notat: Turba non sequitur ad excelsa: non ascendit ad sublimia. Non enim quærunt mundani homines, tametsi à longè Christum sequantur, & Christiani nomine gaudeant, ea quæ verè spiritualia ac cælestia sunt. In inferioribus infirmiores, Christo in altiora ascendente, remanebant. Ita communiter, fęx hominum vulgarium, ex quorum colluuie mundi persona conflatur, planis, facilibus, commodis, terrenis, cœnosis, & corporeis gaudent. Illa sola afficiunt, illa eos humi defixos tenent. Atque vti nec altiora capiunt, ita nec faciunt. Hinc peruersum de melioribus altioribusque iudicium. Istud scitè Iob testatur: *Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Mirari igitur nemo debet, sæculi huius homines improbare & irridere quod non capiunt, cuiusque pretium ignorant. Sic enim & barbari, extremæque mundi plagæ homines pretiosissima quæque vilipenderent, quorum nullam prorsus haberent notitiam: crepundiis interim aliisque reculis in cælum sublatis. Ideoque, vt peregrinam hanc doctrinam nobis Christus Iesus ęterna Dei Sapientia reuelaret, è summo cælo descendit; & in terra constitutus, è turbarum strepitu in montem cum electis Discipulis secessit: eamque sedens, maioris auctoritatis indicio, tradidit; & quidem non sine præuia magna maturaque deliberatione, vt inquit Euangelista: *Aperiens os suum*: vt qui antea Prophetarum ora resoluerat, nunc tanquam rem ipsam ipse coràm proferens, os proprium aperiret: ac veluti ex diuino alabastro totius mundi medicamentũ depromeret. Oleo atque vnguento hoc celæstium beatitudinum effuso, mirum quàm eius fragrantia mundum replerit vniuersum, quamque multorũ corda permouerit. Adeò vt innumeri adolescentuli & adolescentulæ, quibus adhuc integer erat, & à mundi voluptate ac vanitate liber atque immunis affectus, tam nouo afflati odore, statim quò se tam suauiter trahi sentiebant, secuti sint. In his horumque similibus hoc adimpleri visum est, quod sponsa Canticorum sponso suo dilecto ex dilectis Christo, huius fœcundæ doctrinæ magistro, gratulabunda præcinebat, dicens: *Oleum effusum nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te.* Pro-

Iob 28. Christi vis attractiua. Cant. 1.

te. Propterea mecum per te tractæ, & quasi diuino artificio incantatæ, post te currunt in odorem tuorum vnguentorum.

Quàm est iucundum per Sanctorum Vitas discurrere, & videre quanto cum ardore Christum dulciter trahentem secuti sint! Quid hîc D. Dominicum, D. Thomam, D. Bernardum, & quamplurimos alios magni stemmatis adolescentes commemorem, qui spreto secularium honorum, totiusque mundanę altitudinis culmine, Christum humilia ac despecta docentem elegerunt? Reges & Reginæ hac sancta illecebra capti, se beatos in eius inuentione confessi sunt. Videte S. Agnetem, S. Cæciliam, S Catharinam, & multas alias, Regiæ stirpis adolescentulas, quæ pro Christo omnia regna mundi, omnemque eorum ornatum, regales nuptias contemserunt, mortem potiùs quàm à proposito cederent, subeuntes. Paulam Romanam illam nobilem matronam cum filia Eustochio aliisque pluribus considerate, quæ D. Hieronymi temporibus hac dulcedine captę totum mundum cum omnibus suis delectamentis nauseabundæ repudiarunt. Id testantur hodieque quotquot re ipsa percipiunt & experientia docti agnoscunt, summam esse etiam in terris beatitudinem, æternam illam quantum hîc licet prægustare & assequi. Stulti interim mundi amatores aliter loquuntur & iudicant, quia veræ beatitudinis gustu carent.

Ridicula meritò mundi insipientia, vt qui vmbraticis animum deliciis pascat, spretis interim quæ ad veram solidamque hominis voluptatem ac beatitudinem pertinent. Sic ridiculus ille Rom. Imp. Heliogabalus principibus suis ad opiparum scilicet conuiuium inuitatis fictas pictasque proposuit epulas. Sic insano illi & præ nimio fastu *Ælianus var. Hist. lib. 12.* deliro Menecrati medico diuinitatem affectanti, Philippus Macedonum Rex soli ad mensam separatam adhibito acerram & suffitum apposuit: reliquis cum Rege splendidè epulantibus & Iouem famelicum ridentibus. Hæc est, inquam, inanis illa ac vana mundanorum beatitudo modis omnibus miseranda.

Oratio ad stultum mundi iudicium contemnendum.

Domine Iesu, sponse animæ meæ, ita cor meum salutaris tuæ doctrinæ inesca dulcedine, vt mihi mundi deliciæ fastidio sint: vtq; velut tui dilectione inebriatus, post te incessanter currere, & contemto mundo cælestem beatitudinem valeam obtinere. Amen.

CAP. XLVI.

Prætextam pueri quid bullâ suauiùs ornet?
Pareat: Ora premat: castus Pudor imbuat ora.

Iuuentutis habenda ratio.



ADOLESCENTIA instar plantulæ vel teneræ arbusculę est, A quæ dum flexilis est, in eam quam voles partem duci debet: alioqui quando in grandiorem arborem excreuerit, quod incuruum fuerit nequibit corrigi. Frangas tum potiùs quàm flectas. Et quoniam Christianorum liberi non solùm sicut
Psal. 143. & Gentilium filij, nouellæ plantationes in iuuentute sua sunt; verùm
Psal. 127. etiam sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ paternæ; & velut pal- B mites in lateribus domus, quorum mater, pręsertim mater Ecclesia, vt vitis abundans est; ideò tanto maius damnum & dedecus est, si illi à prima ætate non diligenter exculti, bona disciplina instructi, bonisque exemplis vt stipitibus fulti fuerint. Videas enim alioqui generosos illos ramusculos in terram dependêre, & cum omni spe fructuum in luto volutari, pedibusque transeuntium conculcari; neque vnquam
Prou. 22. ad meliora assurgere. *Prouerbium est; Adolescens iuxta viam suam, etiam*
Horat. lib. 1. epist. 2. *cùm senuerit non recedet ab ea.* Quod Poëta eleganter: Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Debent propterea pueris optima quæque à teneris instillari. Difficile est enim veterem canem assuescere loris: sed dum tenellus catellus est, buccella panis quodcunque volueris etiam cum voluptate docebis. Discretione tamen magna est opus in pueritia informanda; quod ratio quoque ipsa naturalis ostendit. Sunt namque pueri instar laguncula, cuius angusto C orificio non nisi pauca simul licet instillare; alioqui, quod osculum illud non capit, in terram delapsum perit.

Discretio in pueris formâdis.

Inter multa quibus mollis illa ætas imbui debet rogatur hoc Capi- D te quæ pręcipua sint, quibus præditus puer euadat ornatior, quàm si prætextâ, & quidem bullis ornatâ, refulgeat. Responsio dicit, tria hæc esse: Obedientiam, Taciturnitatem, & Pudicitiam seu Verecundiam. E Sumtum istud est ex tractatu S. Bernardi, quo adolescentes informat F & ad morum probitatem exercet. Tres, inquit, virtutes sunt, quæ pue- G ris adolescentibus magis congruunt: Verecundia, taciturnitas, & obedientia. In his adolescens, iuxta nominis significationem, debet indies crescere, adolescere, & proficere, sicut idem Sanctus ibidem fusiùs docet.

Tria decent pueros.
Bern. de ord. vit.

Vt rem istam meliùs iuuentuti inculcaremus, sub trium virginum typo tres istas virtutes in imagine expressimus; quæ puerum magno datis muneribus afficiunt ornamento. In primis, Obedientia ei par E pulchro-

1. Obedientia.



Prætextam pueri quid Bullâ ſuauius ornet?
Pareat: Ora premat: caſtus Pudor imbuat ora.

Welck ſyn dry Seden ſyn, die de Jonckheyt betamen?
Swyghen: Ghehoorſaem ſyn: en ſedelyck hun Schamen.

Quelle modeſtie, Sied mieux a la vie, Des ieunes enfans?
Honte, auec Silence, Soupple Obeiſſance, Qu'on doibt a tout temps.

pulchrorum calceorum offert, vt promtus sit ad ambulandū dum iubebitur, & ad viam mandatorum Dei currendam: addit chirothecas benè ornatas, in signum voluntariæ operationis virtutū, & obsequij præcipiendorū, quibus manus magis cohonestantur, quàm pretiosis chirotecis & annulis aureis; atq; ideò munera hæc corona ornantur, vt quæ sint laude & præmio digna. Obedientia magno est iuuentuti ornamento, eique planè necessaria, quia instructione indigēt, quod sine obedientia fieri nequit: Discentem enim credere & obedire oportet. *Arist.* Solent pueri tabulæ rasæ cōparari, in qua aliquid sit pingendum; seu libro nouo, cui quis multa pulchra cupit inscribere: velut etiam ligno aut lapidi, aut alteri materiæ, ex qua imago aliqua pulchra sculpi debeat. Quæ vt fiant, debent illa omnia obedientiæ speciem in pueris formandis necessariam exprimere, vt certè faciunt. Sinunt namque se illa tractari, disponi, verti, reuerti, apponi, deponi, prout operis necessitas & artificis voluntas exegerit. Alioqui oleum & operam perderet, si illa eius nutui non obtemperarent. Rectè propterea Aristoteles: *Aristot.* Quanto quis diligentiùs obsequitur, tanto maiorem gratiam obtinebit. Vt in imagine, ita in iuuentute, dum formatur. D. Bernardus *Bernard.* propiùs ad Christianæ institutionis finem collimans, inquit: Obedientia amica salutis. satis hoc dicto innuens, fieri non posse vt alicui cum salute conueniat, qui cum obedientia non inierit gratiam. Quâ enim viâ ad salutem perueniat, qui citra obedientiam incesserit?

F Taciturnitas, vt altera decora virgo, iuuentuti librum tribus clausum signaculis coronâ decoratum offert; hoc indicio, silentium atque oris (vt libri clausi) custodiam, laudem magnam promereri. *2. Taciturnitas.* Digitum ori admouet taciturnitatem signo exprimens, iuxta notum hemistichium: Digito compesce labellum. *Iuuenalis. Sat. 1.* De taciturnitate, præsertim quàm illa iuuentutem deceat, ita Sapiens: *Audi tacens; & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescens, loquere in tua caussa vix. Si bis interrogatus fueris; habeat caput responsum tuum.* *Eccli. 32.* Taciturnitatem, & si quando loquendum est, breuitatem commendat. Ex quibus constat, maximè hoc iuuentuti obseruandum, quod omnibus in genere præscribit Apostolus: *Sit omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum.* *Iac. 1.* Vnde imitandum meritò pueris proponi solet Samuelis exemplum: qui cùm adhuc puer ter Domino appellante ignoraret, quid esset; totiesque ad Heli sacerdotem promtè recurreret, tandem ab illo instructus, iterùm vocante eum Domino, respondit: *Loquere Domine; quia audit seruus tuus.* *1. Reg. 3.* Ac si dicat: Ego, vt puerum bonum atque obsequentem seruum decet, tacens audiam; & quodcunque mandaris expediā. Diuus Bernardus inquit: Multos noui, quos locutos fuisse, sed non quos tacuisse pœniteat. *Bernard.* Quod & versu morali Cato Dionysius affirmat: *Nam nulli tacuisse nocet: nocet esse locutum.* *Cato lib. 1. Distich. 12.*

5. Verecundia. Verecundia non de bono, sed de malo intelligenda est: quæ quouis loco & tempore, atque in omnibus rebus modestiam, decentem pudorem, atque honestatem præ se ferat. Sic enim comparatus esse debet, qui huic ornamento acquirendo dat operam, vt D. Pauli sententiam semper præ oculis habeat, qua dicit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Rationem bonam addit: *Dominus enim propè est.* Non solùm ita accipiendo, vt de incerto & singulis momentis expectando aduentu, in morte & ad iudicium intelligatur; verùm etiam de eius præsentia, atque oculo, nos & nostra omnia, vsque ad cordis imum, intuitiuè contemplante. *Philip. 4.*

Plato. *Apud Diog. Laërt. lib. 6.* In Verecundiæ commendationem audiamus quid Plato sentiat. Pudor, inquit, adolescentiam decet Et Diogenes, videns adolescentem rubore perfusum. Confide ait fili; hic enim est virtutis color. Et verè miranda res, magnaque virtus erubescentiæ, vt, cùm quis alicui irascitur, si eum rubore suffundi considerarit, ignoscat. Sic D. Augustinus: Mitigat iudicem pudor reorum. Non ita dum quis pallescit. Hinc Cato senior: Magis mihi placent iuuenes, qui erubescunt, quàm qui pallescunt. Quomodo dictum hoc Christianos adolescentes mouere, & animo ipsis sedere deberet; vt qui penitiùs lumine fidei collustrati introspiciant, quàm Ethnici! Nam pudor fidelium (si ex fide, vt debent, procedunt) cælum, non tantùm hominum obtutum, ante oculos habet: & non solùm quid pulchrum & decens sit, sed quid diuinæ maiestati placeat, animæque saluti prosit, attendit. Nam si Plato dixit: Inter homines pudentes versatur Deus: quid Christianus dicturus & cogitaturus est, & iuxta id facturus? Pudor, vt inquit Chrysostomus, frænum vitiorum est. Pudore igitur, vt freno, à vitiis homo abstrahitur, & eodem ad Deum adducitur, eique coniungitur. *Augustin.* *Cato senior apud Plutarch.* *Chrysost.*

Obedientię exempla. Nunc singula exemplis pauculis adornemus. Quoad obedientiam, pręter innumera tot Sanctorum Sanctarumque obedientię specula, sine qua nihil fuisset omnis vitę sanctitas ac virtutum præstantia, omnium exemplorum, & Sanctorum Solem, solum Iesum Christum in medium proferamus, qui se in paruulo illo ob id in medio Discipulorum, & omnium nostrûm, collocauit. Obediens is fuit Patri vsque ad mortem & matri, patrique putatitio per omnia, quæ subditum ac morigerum filium decent; testante id Euangelista. *Erat subditus illis.* Mariæ & Ioseph scilicet. *Luc. 2.*

Taciturnitatis exempla. *Laërtius lib. 8.* Quoad Taciturnitatem, notatu dignum quod de Pythagora legitur. Is quinquennij silentio discipulos suos obstringebat, priusquam in schola loqui vel disserere possent: ne sibi mutuo præmaturis disceptationibus caput obtunderent. Toto hoc tempore, audiendis auditisque retinendis dabant operam: vt sapientiam inciperent, non præsumtuosa & temeraria garrulitate; sed decenti & modesta taciturnitate.

tate. Immeritò ſiquidem è vaſe hauriatur, priuſquam ferè quidquam infundi cœptum ſit. Eiuſmodi præcoces ſermocinatores cloacis vel canalibus, non autem conchis ſolent comparari. Canalis enim ſtatim quod accipit reddit, concha verò nihil emittit, donec plena ipſa fuerit.

Papyrium prætextatum adiiciam; qui de more in curiam à patre ductus, rem ibidem tractatam, ſilentioque creditam, ita & precanti & minanti matri occultauit, vt à Senatu publicè ob id laudatus fuerit; datumque vt vni puerorum omnium curiam ingredi poſthac liceret. D. Thomas Aquinas ſtudiis adhuc dans operam, naturâ taciturnior, bos mutus à ſodalibus per riſum vocabatur. Bos iſte mutus, inquit magiſter eius Albertus Magnus, talem mox edet mugitum, vt ſonum ipſius totus admiraturus ſit mundus.

Sabellicus li. 1. cap. 3.

Sur. tom. 2.

Pro pudoris exemplo, hoc tantùm breuitatis ſtudio proferam; Perſas ſeueriſſimis legibus cauiſſe & obſeruaſſe, ne adoleſcentiores vel verbis, vel geſtibus manuum, vel oculorum nutibus, aut alio quopiam modo quidquam committerent, in quo pudor deſiderari videretur, eſſetque contra honeſtatem. Adeò, vt capite lueretur, ſi hominem nudũ aliquis conſpexiſſet; ac ſi immane ſcelus eſſet perpetratum.

Verecũdiæ exempla. *Alexander ab Alexãd. li. 2. cap. 25.*

Vtinam parentes Chriſtiani liberos ſuos tribus hiſce monilibus atque ornamentis animi præſtantiſſimis ſtudeant exornare: imitenturq; vel Octau. Auguſtum, qui filios quidem non genuit ſed adoptauit, quos ita inſtrui & exerceri fecit vt proprios ad omne bonũ. Quin & filias legitur in lanificio curaſſe inſtitui; proculdubio etiam in tribus hiſce virtutibus, ſine quibus nulla recta poteſt eſſe Iuuẽtutis educatio.

Polyb.

Exſibilanda quorundam hominum & deteſtanda ſtupiditas; qui, cùm ad cetera omnia, iactantiæ lucríve ſpem quandam ſpirantia, ſint auidiſſimi & effuſiſſimi, nihil interim minus quàm de prolibus rectè educandis inſtituendiſque recogitant. Eiuſmodi farinæ hominibus illud Ariſtippi non ineptè conueniat; qui, collocante quodam apud eum filium, popoſcit quingentas drachmas; eodemque dicente; tanti poſſum mancipium emere; Eme, inquit, & duo habebis: mancipia nimirum; tuum nempe filium, & illum quem emeris.

Ariſtip.

Oratio pro Iuuenibus, ad pudoris cuſtodiam.

Tanquam ouis coram tondente ſe obmutuiſti, pijſſime Domine; vſque ad mortem fuiſti obediens; & in cruce magnam pro nobis paſſus es confuſionem: Da mihi triplicem hanc in flore iuuentæ meæ virtutem, vt me pariter gaudiis inſerant ſempiternis. Amen.

CAP. XLVII.

Impia quid meruit ſoboles, oneroſa parenti?
Ipſis vt rapidi populent caua lumina corui.

Honor parentibus debitus.



VT oſtenderet Deus quanto in honore habendi eſſent parentes, poſtquam tribus primis Decalogi pręceptis de honore ſibi ſuoque nomini & cultui debito conſtituiſſet; ſtatim præcepit Parentes honorari; idque nõ tantùm externa reuerentię exhibitione, ſed potiſſimùm interna quadam animi æſtimatione, obedientia, & dum opus eſt, ſuſtentatione. Hos enim præcepti ordine, & præcipiendi modo, vt etiam naturâ magiſtrâ docemur nobis Dei loco habendos eſſe parentes, præſertim ſpirituales Superiores, in omnibus quæ Dei ordinatione ad ipſorũ erga nos officium pertinent: adeò vt in Dei cedere conſtet iniuriam, ſiquando debitus honor parentibus non defertur: quod ex iſtis Eccleſiaſtici verbis ſatis clarè cognoſcitur: *Qui timet Dominum, honorat parentes: & quaſi dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt.* Vnde ſequitur, non timere Dominum, qui parentes non honorat eisque non obedit. Decius Imperator cùm filium Imperiali diademate proponeret inſigniri, renuit filius dicens: Vereor, ne ſi id fiat, dediſcam eſſe filius: malo non eſſe Imperator, ſed humilis filius, quàm Imperator, & filius indeuotus. Imperet pater meus, meum imperium ſit, parere humiliter imperanti.

Eccli. 3.

Parentibus graues quid mereantur. *Alexand. lib. 3. cap. 5.*

Intoleranda ſine dubio res eſt, ita naturalem affectum, immò vt A
veriùs dicam, Naturam ipſam exuere, vt quis proprios parentes auer- B
ſetur, faſtidiat, & indignè contriſtet. Rogatus Solon, cur nullas leges aduerſus eos qui parentes verberaſſent conſtituiſſet: Quòd nullos, inquit, tales exſtituros exiſtimabam. Quæritur igitur hac Interrogatione, (quandoquidem qui parẽtibus oneroſi ſunt reperiuntur) quid tales mereantur? In veteri Teſtamento, quando filius parentibus inobe- C
diens erat & contumax, ab iiſdem accuſatus lapidibus obruebatur.
Reſponſio dicit, quod Salomon inquit: *Oculum, qui ſubſannat patrem, &* D
qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus: & comedant eum filij aquilæ. hoc eſt, meretur ſuſpendium. Talis namque communiter eſt eſca, quę eiuſmodi volucribus, talibus ſtipitibus exponitur. Et licet non ſemper eò perueniant, digni erant tamen; neque ipſorum virtuti tribuendum eſt, ſi euadant. Immane namque eſt, durum eſſe erga eos, quibus poſt Deum debemus quòd ſumus: neque maternorum in partu dolorum recordari, crudele eſt. Ciconiæ, ſi attendimus, maiorem nos docent humanitatem: dicuntur enim iuniores parentes ſuos effœtæ iam ſenectæ & pẽnis propriis fouere, & tergo inter

Deut. 21.

Prou. 30.

Ciconiæ. *Ambroſ. Hexam lib. 5. cap. 16.*



Impia quid meruit ſoboles onerosa parenti?
Ipſis vt rapidi populent caua lumina corui.

Wat plaegh verdienen sy, die haer ouders bedrucken?
Dat haer de rauen vry, hun ooghen beyd' vutplucken.

Qui de Pere et Mere, Les yeux ne reuere, Quel ſera ſon fouet?
Qu'un corbeau arrache, Les ſiens et dehache, Son corps au gibet.

inter volandum gestare, ac eosdem pascere. Hic meminisse licet filiarum illarum quæ aliquando parentes suos in carcere lacte suo pauerunt: vt alterius, quæ matrem inedia condemnatam ita sustentauit. Quæ quidem pietas iudices flexit, vitamque parentibus impetrauit. Digni sunt profectò vecordes, degeneres, & ingrati in parentes filij, non tantùm vt coruos in cruce pascant, verùm etiam vt tartarei corui, dæmones scilicet, illos in Cocytum infernalemque æternorum cruciatuum torrentem abripiant; vbi discant quid sit parentes contemnere & contristare. *Solinus li. 1. Valerius Max. lib. 5. cap. 4.*

E His in exemplum Absolon esto: qui postquam patri suo Dauidi rebellis domi belli que fuisset; cumque solio regiaque vrbe expulsum, etiam toto Regni corpore eum ad mortem persequeretur; & in fugam actus, mulo cui insederat subtus perfugiente, à densa quercu penderet imbellis, à Ioab tribus lanceis perfossus interiit, lapidibusque in tumuli speciem congestis obrutus, omnibus sui similibus proteruis filiis de se exemplũ meritę castigationis reliquit. Vt autem istud etiam de omnibus Senioribus & Superioribus intelligendum sciatur, aliud *2. Reg. 18. Absolon.*

F ęquè horrendum & spectabile. Cùm ascenderet Eliseus in Bethel per viam, *pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, Ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis, in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Documento illi fuerunt, tales hìc mereri à bestiis discerpi, & à tartareis postea vrsis ac leonibus deuorari. *4. Reg. 2.* Pueri puniti diuinitus.

Huiusce tam iustæ ac meritæ maledictionis exemplar datur in pessimo illo Cham Noe filio dyscolis omnibus pueris contemplandum. Cùm enim nudatus casu iaceret in tabernaculo pater dormiretq;, vidit nequam ille Cham velanda patris sui esse nudata. Neque ipse tantùm quasi per risum contemtumque infandum irreuerenter adspexit; sed & fratribus suis id nunciauit, non sine paterni honoris iniuria. Ipsi verò pro pia tuendi pudoris industria à patre benedictionem acceperunt: scelestus autem ille Cham à patre experrecto fuit maledictus. *Genes. 9.*

Oratio ad debitũ parentibus honorem præstandum.

DEus, qui post debitam tibi reuerentiam & obedientiam parentes nostros honorare præcepisti, da mihi gratiam ita corporales ac spirituales parentes venerandi, vt promissam talibus patriam & terram viuentium, longæuus & æternum promerear possidere. Amen.

CAP. XLVIII.

Maiores quid agũt,quibus haud cenſoria virga eſt?
Tartareis alimenta parant ſua pignora flammis.

Geneſ.8. Educatio naturam corrigit.



TAMETSI ſenſus & cogitatio humani cordis, vt ipſe Dominus teſtatus eſt, in malum prona ſint ab adoleſcentia ſua, magnoperè tamen à parentum pendet induſtria & cura, naturæ deprauatæ malitiam corrigere ; & vitium per bonam educationem in virtutem commutare. Hinc veridicus Salomon: *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ effugabit eam.* Verè mirabile eſt, qua corporis parte Natura docuerit pueros virgâ cędendos, vt ſapientiores euadant & meliores. Non ſuper pectus & cor; vbi ſtultitia (teſte Sapiente) requieſcit in pueris ; nec ſuper caput, nec ſuper ventrem ; ſed planè oppoſita corporis plaga, procul à corde ſita, vt cuique notũ eſt; perinde ac ſi poſteriori illa microcoſmi regione moraretur ſapientia : factoque illac per virgarum ſtrepitum inſultu, ſapientia inde emigrans, ſurſumque verſus cor aſcendens, illinc ſtultitiam pelleret, & cor vt propriam ſapientię ſedem occuparet; atque ita pueri per ætatem inſenſati, ſapientes fierent per diſciplinam. Noui ego ante complures annos puerũ, cui neque morum probitas, neque litterarum ſtudiũ cordi erant. Rogatus ab eius auunculo; quid remedij? conſilium quod iam dixi dedi; prolatâ illâ pueroque perſuaſâ (vt ingenioſus alioqui erat) ſuprà citatâ Salomonis ſententiâ. Credidit puer, ſi ſtultitia in corde, vbi ſapientię ſedes eſt; haud dubiè ſapientiam alibi eſſe oportere. Ibi virga adhibeatur, & ſapientia loco cedens aſcendet : illa autem aſcendente fugabitur ex corde ſtultitia, & ſolio ſuo ſapientia potietur. Primâ datâ poſt dies aliquot occaſione, factum eſt periculũ; rogatus ab auunculo ſub virgarum ictibus puer, quidnam affulgeret ſpei : iam incipere ſapientiam loco moueri, & adſcendere, reſpõdit. Tam felici auſpicio re illa aliquoties repetita, tandem accreſcentibus annis ita in probum doctumq; euaſit adoleſcentem ; vt nihil niſi ſummam & ab eius auunculo & à preceptoribus laudem de illo audiuerim, iamque adeò in virum egregium ſit euectus. Hæc alluſione quadam, & animi gratia dixerim de loco, vbi natura docente puerorum caſtigatio fieri conſueuit, ſacrâ etiam Scripturâ ſatis ſuffragante. Rectè propterea idem Sapiens : *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum : qui autem diligit eum, inſtanter erudit illum.* Inſtanter, hoc eſt, continua pro rei temporiſque opportunitate, ſolicitudine & curâ. Magnâ ſiquidem eſt opus in regenda adoleſcentia diſcretione; magno in diſcernendis ingeniis aptiſque cuique remediis iudicio.

Prou.22. Vbi pueri caſtigandi. Exemplũ lepidum & efficax. Prou.13.

Sicut



Maiores quid agunt, quibus haud Cenſoria virga eſt?
Tartareis alimenta parant ſua pignora flammis.

Welck is d'ouwers beſtier, die ſoo de roeden ſparen?
Dat hun kinders van hier, al voor den duyvel varen.

Trop de conniuence, Nuit elle a l'enfance, Du ieune poupin?
La main par trop douce, Du pere le pouſſe, A mauuaiſe fin.

Sicut enim ligna quædam lenta sunt, & ad flectendum obsequentia, quædam verò duriora rigidioraque; ita ingenia puerorum diuersa sunt. *Præuaricatores quasi spinæ*, inquit Scriptura, *quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato.* 2.Reg.23.

A Interrogatio rogat quid agant parentes, qui suos non castigant, dum merentur scilicet. Neque frustra id ita queritur. Quia tam stultos interdum reperias, qui se bonos parentes existiment, quòd mites, quòd blandi, quòd indulgentes sint. Sicut communiter pueri perditi, tales bonos parentes, è contrà qui castigant, malos censere consueuerunt: sed id puerili insipientię tribuitur: parentes autem ipsi rectiùs iudicare deberent. Parentes nimis indulgentes.

Responsio dicit, tales filiorum suorum damnationi dare operam; efficereque, vt pignora, quæ genuerunt, aptissima fiant æternæ flammę materia. Et verè ita est. Audite Sapientem, id pulchrè declarantem:

B tem: *Noli subtrahere à puero disciplinam.* Rectiùs enim aliquando panem quàm virgam puero subtrahas: nec minùs quàm cibi distributio, necessaria est ad educationem opportuna correctio. Hinc addit Sapiens: *Si enim percusseris eum virga, non morietur.* Ergo si non percusseris, morietur: quia quod ad vitam erat necessarium subtraxisti. Perinde ac si dicat: Percute audacter virga dum peccat puer; non inde morietur: deinde per hoc efficies, ne in Iustitiæ sæcularis manus incidat, & pro meritis mortem luat; si tu à teneris eum rectè castigâris: & (quod est caput) etiam à morte ęterna eum es protecturus. Hinc ibidem subdi- Prou.24. Impunitas ad infernũ sternit viam.

C tur: *Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis.* Nónne verè magnæ virtutis ac potentiæ est, nobili hoc virgarum germine animas ab inferno liberari? Maioris certè miraculi est, si benè consideretur, quàm dum Moyses suæ virgę potestate filios Israël per mare rubrum perduxit incolumes. Nam virga ista ex inferno animas liberat. Quid enim, qui te præseruat ne in gehennam venias minùs facit, quàm si te ex inferno manu eductum eripiat? Immò maioris beneficij loco habendum est, vt quis præcaueat ne in abyssum illam incidas, quàm si illapsum educere posset: quia fuisse in inferno, etiã minimo temporis spacio inexplicabilis est tormenti: qui te ergo tempori priusquã patereris eripuit, à tantis pœnis præseruauit. Qui autem eriperet postquã iam aliquamdiu tormenta perpessus es, etiamsi ne sequentia toleres efficiat, à perpessis tamen eximere non valet. Maioris est admirationis quidem, ex inferno quempiam eripere postquam iam incidisset, sed maioris est beneficij, impediuisse ab initio ne eò veniret: quod Salomone attestante per maturam puerorum castigationem efficitur. Parentes igitur, qui defectu necessariæ correctionis filios suos ab inferno nõ liberant, perinde faciunt, atque si ad infernũ ducant. Sinunt namque eos impunè perpetrare, quò illuc perueniant. Virgę castigatoriæ maius miraculum, quàm virgæ Moysis & Aaron.

1.Reg 4. Heli pro indulgentia punitus.

Talibus parentibus Heli sacerdotis punita à Deo conniuentia exemplo esse debet. Dum enim post tot tamque manifestas de Ophni & Phinees filiorum suorum impia & impura vita querelas, nihil nisi blanda verba adhiberet; ipse cum illis vno die horrendas pro tanta disciplinę remissione luit pœnas. Illi ambo in prœlio cæsi sunt: Arca Dei quam portabant, à Philisthæis capta est: & ipse Heli hæc audiens *cecidit de sella retrorsum iuxta ostium; & fractis ceruicibus mortuus est.*

Gregor. li. 4. Dial. ca. 18.

Primarium huius tractatus exemplum in imagine expressum, habet D. Gregorius; de puero quinquenni, indulgenter à parentibus educato: qui quandocunque aliquid aliter quàm vellet accideret, maiestatem Dei blasphemare consueuerat. Tandem in sinu blandi patris, dęmones instar Æthiopum vidit ad se rapiendum accedere: & clamans blasphemansque expirauit. D

Agrippina Neronis mater. *Sabellicus li. 4. cap. 9.*

At exemplo vno atque altero etiam ex profanis prolato rem dilucidemus. Agrippina Domitij Neronis mater, dum ambitiosè nimis imperium illi adstruit, Chaldæos sciscitata an imperaturus esset filius; futurum comperit vt is demum imperaret; verùm ita vt matrem interficeret: Interficiat, inquit, modò imperet. Quid aliud eiusmodi factitant parentes, qui & suam & suorum filiorum perniciem ac damnationem ante oculos, quasi certò contemplantur; nec quidquam mouentur, modò illos videant diuitiis ac honoribus affluere?

Matrum stultus amor.

Sabellicus li. 3. cap. 4.

Cùm tertio bello Punico ex omni Carthaginensi nobilitate lectissimi adolescentes obsides in Siciliam mitterentur, eos matres fletu & lamentatione querula sunt ad naues vsque prosecutæ. Tunc ex his quædam à filiorum complexibus auulsę, vbi oram solutam viderunt, nauimque portu egredi; dolore stimulante in subiectos fluctus desiluerunt. Ita videas non paucos parentes, tam stultè ac perditè suas proles amantes; vt se viuentes videntesque in certum animæ discrimen coniiciant, ob suam in eos nimiam indulgentiam. Vitia enim filiorum amore excæcati vel non vident, vel si tã crassa sint vt nequeant conniuere, blandè agentes viam ad maiora pee impunitatẽ sternunt: & se vnà cum illis in mare malorum æternorum præcipitant.

4. Reg. 23. Idolo Moloch immolantur frugiperdæ.

Eò à vera Dei lege desciuerant Iudæi plerique; vt filios suos & filias idolo Moloch per ignem consecrarent. Vtque gemitus clamorque puerorum in igne pereuntium non perciperetur, magnus tympanorum strepitus excitabatur. Locus autem ipse à tympanis Tophet nominabatur, quod tympanum significat. Dicebatur etiam Conuallis filij Ennom, vel Gehennom, vnde & Gehennę vocabulum, à loci fœditate, horrore, strepitu, & incendio, pro inferno desumptum est. Ita Parentes illi omnes, filios & filias suas idolo Moloch & incendio gehennæ tradunt in sacrificium; qui illos suæ voluntati & libertati in malum permittunt, neque dum peccant corrigunt.

Aliud

Aliud Spartæ pro more habebant, qui pueros ſuos ante aram ad ſanguinem vſque flagris cædbeant; non vt occiderent, ſed vt probos robuſtoſque efficerent, qui non leuiter ob pericula & verbera in bello cederent; ſed aduerſa omnia forti animo contemnerent. Id aſſerit ipſe Cicero, qui ſe adſtitiſſe & ne vel vnũ ingemuiſſe teſtatur. Ita enim edocebantur, inquit. Immò aſſuefiebant, ſcapulas & latera conſtanter obtendere ingruentibus & crebreſcentibus ictibus, donec qui cæderent fatigarentur. Iſtud & Seneca de iiſdem ſub Lacedæmoniorum nomine non citra laudem refert. *Cic. Tuſc. Quæſt. li. 2.* Spartarum filij laudati.

Magis admirandum exhibuit Rhacones ille Mardus genere exemplum; de quo ſic Ælianus. Septem habebat filios; ſed ex his omnium minimus natu, nomine Cartomes, malè moratus, quem pater inſtituere, erudire, & verbis in viam reducere tentabat. Verùm, cùm ille non admitteret diſciplinam, manibus in terga reuinctis, ad iudices abduxit. Ibi quæcumque vnquam per audaciam deliquiſſet commemorauit, & à iudicibus poſtulauit, vt adoleſcentem ad mortem raperent. At illi animis conſternati, ſuis ſententiis eum cõdemnare noluerunt, ſed vtrumque ad Artaxerxem adduxerunt. Mardo verò ſemper inſtante, excipiens Rex ait: Potíſne etiam es, ferre, vt filius in tuo conſpectu vita priuetur? Reſpondit; maximè. Quoniam cùm in horto naſcentium lactucarum ſurculos amaros defringo & amputo, tantùm abeſt vt dolorem ex eo mater ipſorum lactuca patiatur, vt etiam magis effloreſcat. Ad eundem modum ego, ô Rex! cùm videro eum, qui meam familiam lædit & vitæ fratrum officit, vitã amittere, etiam ipſe amplificabor, & reliquos mei generis mecum proſperè agere conſpiciam. Quibus auditis Artaxerxes Rhaconem collaudauit, & in Collegium regiorum iudicum cooptauit. Adoleſcentem verò præſenti culpâ liberauit, grauiſſimam mortem interminatus, ſi in poſterum ſimili in crimine deprehenſus fuiſſet. *Ælianus Var. hiſt. lib. 1.*

Opportunè hîc & illud de Cornelia Gracchorum matre ſubiiciam: quæ, cùm Campana quædam matrona apud illam hoſpitaretur, & ornamenta ſua pulcherrima ſęculi illius illi oſtenderet; traxit eam ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi: Et, hæc, inquit, ornamenta mea ſunt. Oſtendens, benè educatos proboſque pueros magno eſſe theſauro & ornamento parentibus. *Val. Max. li. 4. cap. 4.*

Oratio parentum pro filiorum ſalute.

Dixiſti Domine clementiſsime; ſinite paruulos venire ad me: Da mihi cor & ſapientiã, ita pueros mihiq́; cõmiſſos dirigendi; vt & illos ad te adducam; & ego interim foris non permaneam: ſed ſimul tecum in cæleſti gloria collætemur. Amen.

CAP. XLIX.

Quid bona diſcingens teneros Matercula natos?
His laqueum molli perituris ſtamine ducit.

Ariſtot. Ethic. 8.



QVIA matres naturâ teneriori affectu proles proſequuntur A quàm patres, teſte Philoſopho: ideò etiã eas perdere magis conſueuerunt; &, vt rectè dicam, ſtulto amore odiſſe plus quàm patres. Ita ſimia ſolet; quæ præ amore fœtus B ſuos tam arctis conſtringit amplexibus, vt enecet interdum. Eam ob cauſam hîc peculiaris de matrum indulgentia mouetur quęſtio. Vtilitatem caſtigationis, & ſubtractæ virgæ diſpendium, vnâ eademque ſententiâ innuit Sapiens, dum ait: *Virga atque correptio tribuit ſapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.* Eâdem operâ ſatis ſubindicat, matres vt plurimum in culpa eſſe, ſi quando C pueri malæ frugis ſint, & in malo adoleſcant: partim quòd ipſæmet rarò illos caſtigent, partim quòd nec à patre caſtigari permittant, ſed puerorum impunitatem etiam acriter aliquando propugnent.

Simia præ amore pręfocat prolem.

Prou. 29.

Matrum ſtultus amor.

Quin, quod amplius eſt, tam ſtultæ interdum matres reperiantur, D quæ non ſolùm ipſæ nihil adhibent, neque à marito quippiam adhiberi patiuntur, verùm etiam, quæ non ferant vt pueri à Pręceptoribus in ſcholis, etiam æquiſſimè meriti, caſtigentur. Quòd ſi præter illarum opinionem, bonum eam in partem præſtetur officium, indignantur ſcilicet, amouent à ſcholis illis pueros, mitioribusque tradunt ludimagiſtris, qui eos palpent, & cauda vulpina, ſi opus eſt, virgarum loco demulceant. Audiamus, quæſo, quàm ſecus animati in ſuos fuerint liberos Lacedæmonij. Magno erat apud illos dedecori, dum puer in ſcholis caſtigatus domum reuerſus conquereretur, ſi parens eundem non iterùm domi corrigeret. Quin immò quiſquis vſquam puerum etiam externus peccantem cerneret & non puniret, eiuſdem culpæ reus iudicabatur. Atque ita dum ætas illa tenera & domi & foris, & à parentibus & à Præceptoribus, & à quocunque qui eos in facto offenderet, quotieſcunque peccabat, pœnas dabat; fiebat vt ſemper apud Lacedæmonios & proba eſſet iuuentus, & viris pollerent egregiis, ad priuata & publica gerenda munia aptiſſimis. Sic enim videmus pomaria pulchris & frugiferis abundare arboribus, dum ſurculorum benè inſerendorum diligens habetur ratio, dumque quamdiu flexiles ſunt diriguntur.

Lacedæmonij in ſuos filios rigidi obſeruatores diſciplinę.

Inopia probæ Iuuentutis inopiam proborum virorum parit.

Et vnde hoc noſtro tam deplorato ſæculo iuuentus tam dyſcola & peruicax, & hinc tam exigua præclarorum virorum exſpectatio, niſi quia parentes nimis ſuis prolibus indulgẽt? nec caſtigant eos ipſi, nec permit-



Quid bona discingens teneros Matercula natos?
His laqueum molli perituris stamine ducit .

Wat doen die moeders op, die haer kinders bederven?
Sy spinnen strick en strop, daer sy aen sullen sterven.

Que fait la main molle, D'une mere folle, A son ieune fol ?
Pire qu'un Barbare, Elle luy prepare, Vn triste licol .

permittunt castigari. non dico iam ab ignotis aut vicinis, sed neque à Præceptoribus, qui in educando non exiguam parentum partem sustinent. Vnde alioquin illud tritum vulgi dictum, dum quis vel digitulo cuiusquam attingit pueros: Cæde quos alis? Et inter triuiales Ludimagistros: Si cædo, perdo. Vident enim se nullos tandem in schola sua retenturos discipulos, nisi disciplinę vigor & iustus rigor remittatur. Sicut enim vermiculi in capite acutum fugiunt pectinem, eoque se vt in asylum recipiunt, vbi scabiosa pars capitis à pectine libera est; ita ad eas confugiunt scholas delicatuli illi, vbi vix quid virga fit, notum est. Quę igitur spes restaurandæ aliquando per viros doctos & virtute præstantes Reipublicæ, tam Ecclesiasticæ quà ciuilis? Meritò omnes huic negotio intendant. Etenim si semen, vel etiã herba corrumpitur, quæ spes segetis erit? **Iuuentutis pernicies, impunitas.**

E Responsio dicit, eiusmodi stultam matrem laqueum filiis suis nere **Mater stulta laqueũ filio nectit.**
F & nectere, quo aliquando miserè pereant. Dum nimirum ante oculos videt omnibus se vitiis à pueritia deuouentẽm filiolum; tempus, ingenium, occasionem, & omnia denique ad scientiam ac virtutem præsidia dissipantem; & non impedit: adblanditur, in malo fauet, sibi in iis complacet. Non facilè eò inhumanitatis credo veniat mater, vt filij collo laqueum adaptet: id tamen faciunt quę ita vt dixi perdunt.
G Boëtius de quodam Lucretio narrat, cui filius Sanguineus nomine: is propter sæpè indulta, sapeque patre intercedente remissa delicta, suspendendus, patri extremum dicturus vale, nasum dentibus præscidit, dicens: si me à teneris castigasses, non huc denique deuenissem. De matre idem narrari solitum: sed perinde est, cùm vtriusque parentis intoleranda blanditia æquè reprehendatur. En quàm leue est huius comparatione id quod canit Poëta: Blanda patrum segnes facit indulgentia natos. Quando verò iam ad Græcum Π. perducti & euecti sunt, tunc denique & parentes & filij sapiunt: tunc è scala circumstantibus prædicant, hoc ferè semper assumpto themate: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Sed sapientes & prudẽtes sunt, qui tempestiuè potiùs quàm serò sapiunt, & virgula tantilla tantum auertunt malum. ***Boëtius de disciplina Scholarium.*** ***Bapt.* Mãt.** ***Rauis. Dialog. Epicur.***

Oratio pro parentibus & filiis.

O Dulcissime Iesu, qui vt nos omnes Dei filios faceres, filius hominis fieri dignatus es: Da gratiam tuam parentibus omnibus, vt ita filios suos diligant, vt ipsorum animas suasq́ custodiant.

CAP.

CAP. L.

Quem mihi ceu Pyladẽ aut fidũ cõplectar Achatẽ? Libera te cuius perstringit lingua merentem.

Amicorũ necessitas; & Delectus.



QVAM sit bonum atque optabile amicos habere, optimè dum illis carendum est cognoscitur: adeò vt nemo sit, qui non libenter habeat amicos; sed in bonis ac fidis amicis à fictis & vmbraticis discernendis difficultas non est exigua. Quia verò homines plerumque tam stupidè hac in parte errant, vt fidissimis amicis reiectis hostes animarum suarum capitales pro amicis deligant: eapropter hîc quęritur, quis optimi amici loco habendus censeatur, instar Pyladis alicuius aut Achatis. Dicit namque Sapiens, prudenter in tam ambiguo negotio consulens: *Multi pacifici sint tibi; & consiliarius sit tibi vnus de mille.* Idcirco is ipsus in eodem capite, postquam multa amicorum genera produxit in medium, quorũ parua aut nulla habenda sit ratio, tandem ostendit, quis bonus amicus censeri debeat, quantique sit faciendus. *Amicus fidelis,* inquit, *protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum.* Pergit in eiusdem descriptione & commendatione, dum addit: *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Et tametsi hæc etiam de amicorum fide & sinceritate in rebus temporalibus & politicis dicta accipiantur, iuxta dictum illud notissimum; Amicus certus in re incerta cernitur. & vt Poeta;

Eccli.6. — Amicus verus. — *Mimographus.* — *Ouid. Trist. li. 1. Eleg. 8.*

Cùm fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris:

Præcipuè tamen Sapiens primariam illam atque optimam inter amicos fidem describit, quæ in eo elucet, vt alter alterius salutem atque animæ incolumitatem diligat: quod consequentibus ibidem sententiis satis manifestum facit.

Verus amicus vitia in amico odit.

Quantum verò tam fidus amicus te diligit, tantùm odit quidquid tibi incommodat & nocet; præsertim quod saluti animę tuæ plurimùm norit officere, quod quidem est peccatũ. Hinc rectè subdit prudens animorum medicus, Sapiens iam citatus: *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Ac si dicat: Nosse desideras, quis optimi amici loco & nomine mihi dignus æstimetur? Is fidelis amicus est, qui tibi medicinæ loco seruit, si quãdo aliquid in actionibus tuis vitæque sit moribus, quod nec rectum nec sanum fuerit, sed saluti animæ tuæ cùm primis noxium: quique te per tam fidam amicitiam ad animæ salutem & vitæ beatæ immortalitatem conatur adducere. Nunc videamus quàm appositè cum hoc loquendi sacræ Scripturæ modo D. Augustini sententia congruat. Ita is inquit: Amicus est similis me- A

dico:



Quem mihi ceu Pyladem aut fidum complectar Achatem?
Libera te cuius perstringit lingua merentem.

Wien moet ick hoen, nae vaedt, voor mynen besten vriendt?
Die v berispt van quaet; en straft, als ghyt verdient.

Qui m'est plus fidele, En amour, en zele, De tous mes amis?
Celuy qui te tanse, En blammant l'offence, Que tu as commis

dico: medicus non amat ęgrotum, si non odit ægritudinem. Atque ideò, vt ægrotum liberet, morbum persequitur, seque tota sua industria illi opponit. Amicus fidus non est, qui amici vitia palpat, idque amat ac probat, quod ei quem se amare dicit, nocentissimum est. His conforme est quod D. Gregorius dicit, amici vocabulum explicans; Amicus, inquit, animi custos dicitur. Non autem custoditur, qui in medio vitiorum tanquam certorum discriminum & hostium tranquillè dimittitur, nec vel semel periculi in quo versatur admonetur. Amicus pro amici incolumitate & salute precatur, idque magni beneficij loco haberi consueuit. At, corripere peccantem, plus esse quàm orare, testatur Chrysostomus. Si igitur orantem pro te, amicum habes, vt meritò debes; multo magis eum, qui te dum peccas corripit, amicum oportet iudicare. Nam quid tibi oratio alterius proderit, si in malis perseueraris? At si quis te reprehendit, arctiùs te stringit vt corrigaris. Quique hoc officij erga te exhibet, idem amoris tibi symbolum ostendit, quo Deus erga charissimos filios vtitur: vt testatur Sapiens: *Quem diligit Deus corripit.* Quod & Apostolus similibus ferè verbis; quibus & addit: *Quis enim filius, quem non corripit Pater?*

August. in serm. *Gregor. lib. Moral. 27. cap. 8.* *Chrysost. super Act. Apost. Homil. 24.* *Prou 3.* *Heb. 12.*

B Et quódnam clarius efficaciusque testimonium optari possit, optimum illum censendum amicum qui te corripit, quàm quod Christus ipse suppeditat, dum ait: *Corripe illum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quid hoc est (inquit D. August.) Lucratus eris fratrem tuum si te audierit? ergo perierat, si non corripuisses. Quis melior maiorque amicus possit effingi, quàm qui animam tuam lucratur, hoc est, ab æterna perditione pręseruat, & cælestis beatitudinis facit hæredem?

Matth. 18. *August.* Optimus amicus qui corripit delinquentem.

Respondetur igitur, fidissimi illum amici loco habendum tibi, qui C te merentem monuerit, & liberè quod dedecet reprehenderit. Dauid rex à Propheta Nathan correptus eo modo fuit, quando in apertum peccatum fuerat lapsus; eumque propterea pluris fecit, habuitque vt suæ salutis amantem longè chariorem. E contrà verò, velut hostem auersando eum qui peccanti adularetur, & loco correptionis, laudis verba proferret, ita aiebat: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum.* Ita patri consentit filius: *Argue*, inquit, *sapientem, & diliget te.* In signum, inter beneficia reponi correptionem; sapientem item esse qui corripientem amicorum albo inscripserit; stultum verò qui talem oderit & grauatè tulerit. Sicut D. Paulo accidebat apud Galatas: *Ego*, inquit, *inimicus vobis factus sum verum dicens vobis? Testimonium tamen perhibeo vobis, quia si* D *fieri potuisset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Ita & Herodes capitalis Ioannis Baptistæ fiebat hostis, quia eum adulterij reprehendebat; cùm tamẽ alioqui eum dilexisset sicut D. Marcus testatur: *Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & audito eo multa*

2. Reg 12. Nathan. *Psal. 140.* *Prou. 19.* *Gal. 4.* S. Paulus. *Marci 6.*

Ioannes Baptista. Christus.

faciebat. Sic & Christus à Scribis & Pharisęis aspera odia magnasque inimicitias sustinebat, quia eos redarguebat. Qui tamen corripientem se persequitur, persequitur amicum suum: eoque ostendit, neque se sibi amicum esse, sed hostem, atque ita malè sanum. Proinde, nónne mirùm est, nos tanta in rebus salutis hebetudine laborare, cùm in temporalibus ceteroqui in negotio minimè dissimili simus sapientes? Si aberranti à via quisquam in campis occurrerit, erroris que admonito rectam viam ostenderit; gratiam ei est habiturus magnam, tantum abest, vt iniquo animo id laturus sit. At si quis nos admonuerit, quòd malè ambulemus vt in cælum perueniamus, aliamque esse viam ingrediendā docuerit, nisi in tartaream specum errabundi ruere velimus: æquanimiter id ferre nequimus, eius conspectum fugimus, & quasi odisse incipimus tam fideliter amantem. Pari modo, accipimus æquissimo animo, si quis admonuerit, quòd nigrâ fortè maculâ infecta sit facies; aut quòd inuerso modo vestem induerimus; aliúdve sit quod nobis pudorem pariat, si eo modo in hominum conspectum prodierimus: moniti gratanter audimus, domum recurrimus, quodque deuenustabat illico tollimus atque emendamus. Suggerat autem nobis quisquam, quod in anima, vita, moribusque culpæ alicui & iustæ reprehensioni obnoxium est; ocyùs excandescimus, ex amico admonitor inimicus efficitur, & beneficium in iniuriam vertimus: certissimo, dum ita accidit, argumento, nos optimos nostros amicos minimè nosse; & instar puerorum insensatorum illos nobis amicorum loco haberi, qui nobis, etiam cùm malè fecerimus, applaudant. Rationem huius in nobis varietatis quęrenti alia non succurrit, quàm Superbia scilicet. Vt enim propriæ ęstimationis & excellentiæ amantes, illos amamus, qui ad superbiæ nostræ cumulum aliquid videntur adiicere: (vti agunt, qui nos eorum admonent, quæ coram hominibus verecundiam aliquam erant allatura, vt in publicum denigrata procedere facie; veste malè cōposita, vel lacinia nescio qua incōcinnè dependente) ita illos è contrà odimus, qui superbię nostræ cristas amputare atque imminuere videntur: quales (tametsi perperam) censentur omnino hi, qui nos imprudentiæ, malæ vitæ, luxus, & similium accusant & monent, per quę fastus ali videbatur, & elatus in malis animus confoueri. Vide, vt sapimus.

Nemo ferè fert æquanimiter corripientem.

A dissimili.

Denuò à dissimili.

August. super Ioannē.

Laërtius li. 6. cap. 2.

Secus D. Augustinus loquebatur: Si me possis docere quod nescio; non solùm te verbis, sed & pugnis cædentem deberem patientissimè sustinere. Simile quid Diogenes dixisse narratur. Is Athenas ad Antisthenem profectus, ab eo frequenter repulsus est (nullum enim discipulum recipiebat) adhærente tamen ei Diogene, baculo tandem se eum percussurum & à se repulsurum minatus est: vltrò ille baculo subiecit caput, dicens: Cæde si vis; at nullum inuenies baculum tam durum,

durum,quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris. Viderimus igitur nos,qui ne quidem verba, nedum verbera ferimus. Quantum gratiæ amici correptio mereatur, ſuo nos exemplo doceat licet Philippus Macedonum rex. Cùm enim ille in publica captiuorum auctione ſederet, ſublata veſte parùm decorè: quidam eorum qui vendebantur exclamauit: Parce mihi Philippe, paternus enim tibi ſum amicus. Philippo verò interrogante: Quî vel vnde,mi homo,conflata hęc eſt amicitia?Tum ille: Volo,inquit,propiùs accedens dicere.Quum admiſſus eſſet, quaſi arcani quippiam dicturus, Demitte, inquit,chlamydem aliquantulum: nam ad iſtum modum indecenter ſedes.Tum Philippus:Hunc,inquit,ſinite abire liberum: neſciebam enim illum tam mihi beneuolum & verè amicum eſſe.Non offenſus eſt rex tantus admonitione ignoti hominis & captiui: beneficium in correptione non amarulentiã attendit,& ideò amicũ agnouit & libertatis prę-mio ornauit. Quanto rectiùs id fiat erga ſalutis noſtrę ſtudioſos?

Plutarchus. Philippus Macedo.

Faceſſant igitur procul adulatores; qui tantùm abeſt vt officio veri amici fungantur, vt etiam à D. Auguſtino apertis perſecutoribus nocentiores cenſeantur. Hinc aptam facit Plutarchus inter Patroclum & adulatores comparationem.Sicut Patroclus,inquit, in bellum proditurus reliqua quidem Achillis arma ſibi ſumſit, ſolam haſtam vt grauem ac pręualidam non attigit:ita adulator omnia veri amici ſymbola imitatur, præter ſolam admonendi libertatem.

Aug.ſuper Pſalm. *Plutarch. in Moral.*

Hinc & in Menandri comœdia falſus inducitur Hercules, clauam geſtans,non robuſtam,ſed inanem ac leuem. ſic namque & adulatoris libertas mollis eſt & blanda. Exemplo opus? Tiberio ſenatum aliquando ingrediente, ſurgens adulator quidam exclamauit,eſſe liberè loquendum,nec reticenda quæ ad Remp. attinerent. Erectis ad hanc vocem omnibus, ipſo etiam Tiberio attento, Audi(inquit)ô Cæſar, in quo te reprehendimus omnes,licet nullus audeat palam fateri.Impendis te ipſum nobis,corpus tuum diurnis nocturniſque laboribus & curis pro Repub. conficiens. Huiuſmodi multa cùm diceret, ſub libertatis prætextu turpiter adulans, Caius Seuerus ſubiecifſe fertur; Iſta tanta libertas hunc hominem dabit exitio.

Bruſ li.5. cap.16.

Oratio pro iis qui nos ad meliora cohortantur.

VItæ noſtræ decurſus,pijſſime Domine, in aſsiduo ferè lapſu & reſurrectione conſiſtit, tum ob noſtram infirmitatem, tum viæ lubricitatem, & latentes inimici noſtri inſidias: Da precor nobis eam ſemper animi ſinceritatem, vt pium nos cohortantium ſtudiũ gratanter accipiamus,ipſiq; ob id mercede fruantur æterna. Amen.

CAP. LI.

Num fas est rebus mendacî obtrudere fucum?
Os mendax animam linguæ mucrone trucidat.

Mendacem esse, parui fit; at dici mendacem, intolerabile videtur.

ADMIRATIONE verè dignum, tam parui æstimari, mendacium confingere, & tanti è contrà fieri, cuiquam mendacium impingere. Mentiri enim commune quamplurimis: sed æquanimiter ferre, vt cuiquam dicatur; Mentiris; inauditum. Ac si maioris culpæ foret, hoc audire dici quod facimus, quàm idipsum committere. Perinde ac si peiùs nos habeat; quòd quis dicat, Cadis: quàm quòd verè cadimus; atque adeò lapsus ipse.

Furis & mendacis affinitas.

Chrysost.

Quanti constet, Mendacem vocitari, vel hinc constat, quòd nesciãt homines honoris scilicet sui cupidiores, quo pacto quóve malo id sint vindicaturi. Imò tam grauatè id ferunt, tantæque est ignominię, vt trito dicatur adagio: Exhibe mendacem, exhibeo furem: quo A significatur, vtrumque idem ferè esse, & se mutuò vt plurimum con- B sequi. Nam sicut qui furatur, mentiri non rarò consueuit: ita qui mentitur, proximus est vt & fur fiat. Dicit D. Chrysostomus: Mentiri furantem necessarium est. Et aliàs idem sic inquit: Fur mentitur, ac peierat. Furtum sine mendacio vix consistit. Adeò vt furari & mentiri cõiugata sint, ac velut sorores; tamque propinquè sibi mutuò coniunctæ; vt qui cum vna contraxerit, ab altera remotus esse nequeat.

Iosue. cap. 7.

Quàm coniunctim hæc duo se mutuò consequantur, ex illa libri Iosue historia potest intelligi, immò quasi coràm videri. Cùm namq; Iosue mira Dei prouidentia, eiusque opitulante dextera ciuitatem Iericho muris sponte ruentibus intercepisset; *Filij Israël præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Rebusque iam tam prosperè cœptis aduersam in partem relabentibus, obstupefactoque Iosue & in terram prostrato clamantique ad Dominum; dixit Dominus; *Peccauit Israël, & præuaricatus est pactum meum: tuleruntq; de anathemate, & furati sunt atque mentiti.*

Eccli. 20.

Non licet mentiri.

Nunc igitur, quandoquidem tam intolerabile videtur, furem mendacémve dici; immò & mendax interdũ deterior fure censeatur; vt inquit Ecclesiasticus: *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis*; nónne mirum est, tam parui fieri, mentiri & verè mendacem esse? Interrogatio idcirco satis innuit, tam exiguam esse apud homines fœdissimi nocentissimique huius mali notitiam; vt etiam dubitare multi videantur, an fas nefásne sit mentiri, & vtrum sit consultiùs, verum an falsum dicere. Quod tanto vtiliùs mouetur, quia hodie aliqui ex professo ita mẽdacijs omnia sua inuoluunt, vt glorientur, se toti mundo palpum ob-



Num fas est, rebus Mendacî obtendere fucum?
Os mendax animam linguæ mucrone trucidat.

Waert goet dat ick al vondt, van lieghen my ont-hielt?
Jaet: Want voorwaer de mondt, die lieght, die doodt de siele.

Que fait, qui ne songe, Iamais qu'à mensonge, Sans en faire cas?
Sa malheureuse ame, De sa propre lame, S'enuoye au trespas.

trudere & fumos vendere. Iuxta illud quod apud Prophetã iactitant: *Posuimus mendacium spem nostram: & mendacio protecti sumus.* Qui enim praua agunt, restat vt illa mentiendi studio tueantur. In quo se adeò exercent, vt dicat de hisce alter eodem spiritu: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium.* Isaiæ 28. Hier. 9.

C Propterea etiam & Responsio maximum quod illa ex plaga oritur malum promulgat. nimirum quod dicit Sapiens: *Os quod mentitur occidit animam.* Quàm penetrabile telum lingua mendax, quæ non vulnerato corpore instar fulguris animam trucidat! At inter mendacia distinctione est opus. Tria siquidem sunt mendaciorum genera. Est mendacium *iocosum*, quod nulli nocet, sed delectandi causa profertur; estque semper peccatum veniale, neque minimum. Alterum est *officiosum*, quod non solùm absque alterius iniuria dicitur, sed etiam alicui prodest. Et hoc semper veniale peccatum est: priore tamen leuiùs. Tertium est mendacium *perniciosum*, quod cum alicuius iniuria & nocumento profertur: & hoc est peccatum mortale, ex suo genere. Efficitur autem istud veniale, ex subreptione, qua quis inopinatò in illud prolabitur: vel propter imperfectionem actus; siue propter nocumenti illati exiguitatem. Mendacium quod contra Religionem & Fidei veritatem fit, grauissimum est & perniciosissimum; vt quod contra diuinam veritatem committitur. Hoc est hæreticorum falsorumque doctorum mendacium; etiam malitia sua mendacium illud superans, quod in quouis contractu, testimonio, iudicio, iuramento, & etiam in votis Religiosorum committi possit: quod tamen in singulis illis iam recensitis, peccatum mortiferum efficere in confesso est. Sap. 1. Arist. Tria mendaciorum genera. Mendaciũ Fidei, pessimum omnium.

At quid dicemus de peccati illius genere, quod Flandricè; (**om een beter**) Gallicè; *(pour vng mieulx)* hoc est, vt ita vertam, pro maiori bono, vel maioris boni gratiâ admittitur? Non sunt alia mendaciorum genera, quàm tria illa superiùs distincta: illudque de quo iam quæritur, mendacium officiosum est; estque, vt dixi, peccatum; tametsi minimum illorum. Sed in eo consistit error puerorum, seruorum, ancillarum, & aliorum, ita penè mentientium vt iurgia litesque euadant aliasque molestias, quas, si rem vt est faterentur, oborituras præsentiunt; quòd oculos in molestias illas, vel etiam in iram alteriùs inde secuturam coniiciant, non autem in peccatum, quod ipsi mentiendo committunt: quòd si vice versa facerent, viderent maiori bono sibi fore, si veritatem dicant vitentque peccatum, & in molestias incurrant; quàm, si læsâ conscientiâ suâ aliquid importunitatis, & molestiæ alterius euitent. Nam etiamsi alius propter prolatã veritatem irasceretur peccaretque mortiferè, hoc veritatem dicenti vitio non vertitur nec in peccatum: neque ipse debebat peccato veniali mendacij officiosi alterius peccatum mortale impedire. Nullum mẽdacium peccato excusatur.

Augustin. in Enchir. D. Thom. Dicendum itaque cum D. Augustino & cum D. Thoma, omne mendacium peccatum esse: etiam officiosum, & quocunque maioris boni prætextu commissum: saltem peccatum veniale. Quanti momenti sit peccatum veniale, in XXIV. Capite tractatum est. In genere omne mendacij genus complectens, sic dicit Ecclesiasticus: *Noli velle mentiri omne mendacium. Assiduitas enim illius non est bona.* Hoc est: perniciosum est assuescere etiam minimo mentiédi modo: quia qui contemnit modica, paulatim ad maiora delabitur. *Neque etiam* (vt dicit Apostolus) *sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Immò id vehementiùs attollit D. Augustinus, dicens, Mentiri non licere, nec pro Dei laude. Multo igitur minùs pro rebus aliquibus homines tantùm atque humana concernentibus. Damnum proximi & quodcunque aliud incommodum, præsertim animarum atque honoris diuini detrimentum, quibus fieri potest modis mediisque, maturè cauendum & declinandum est: non malum aliud faciendo, vel mentiendo, sed licitâ quâ dabitur ratione. Quia non indiget Deus nostris mendaciis. Neque à quoquam exigitur, vt suam conscientiam vel in minimo lædat, ad alterius conscientiæ etiam in maximo preseruationem. Qui igitur venialiter mentitur, animam suam ledit: at, qui peccat mentiendo letaliter, eam occidit.

Eccli. 7. — Rom. 3. — Aug. Epist. 8. & 9.

Ex his nimirum videmus quanto sit studio deuitandum mendacium; cùm etiam dicat Philosophus, mendacium per se prauum, & inordinatum esse, atque ob id fugiendum: & vt verum fateamur: Mendacium improprium est homini. Sicut enim latrare, mugire, mordere, rostro atque vnguibus more volucrum ferarumq; aliquem petere, homini impropria sunt; ita mentiri. Per mendacium insuper serpenti antiquo similes efficimur: qui primum omnium mendacium in mundum inuexit; inquiens: *Nequaquam moriemini.* & *Eritis sicut dij.* Nam veritas ipsa contrarium fuerat protestata: *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Ethic. 4. — Genes. 3. — Genes. 2.

Diabolus mendacij pater.

Hic est igitur inuentor paterque mendacij Diabolus, qui primum illud in cælo finxit, magnamque Angelorum partem hac impostura in æternam extremamque pertraxit caliginem; & in mundo miserandum genus humanum in tam fœdum lapsum præcipitauit. Ab hoc insidiatore ac spiritu mendacij nobis cauentes, meritò salutarem D. Pauli admonitionem suscipimus & obseruamus; qua dicit: *Induimini nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod, deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed, si quis bonus, ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.*

Ephes. 4.

Quid

Quid vetat, quin in mendacij etiam minimi maiorem deteſtationem paucula alia ex profanis adiiciam? Ariſtoteles rogatus, quid lucrifacerent mendaces: Vt vera, inquit, loquentibus non credatur. *Ariſtot.* Cùm autem ad hoc data ſit loquela hominibus, iuxta Philoſophum, vt mutua fiat conceptuum manifeſtatio; videte quomodo mendax omnem in loquendo peruertat ordinem; vt iam nec ipſi verum dicenti credatur.

Chius quidam ſenex in Lacedæmonem peruênit; quem cùm ſenectutis ſuæ puderet, canos tinctura obliterare conabatur. *Theophr.* Senex canos tingẽs. Progreſſus igitur in publicum, de rebus quarum gratiâ venerat orationẽ habuit: tum ſurgens Archidamus, dixit: Quid ille tandem rectum diceret, qui mendacium non in anima ſolùm, ſed capite quoque circumfert? Ecce vel vmbra mendacij odibilis & ſuſpecta eſt.

Iulia, Cæſaris Auguſti filia, cùm maturè canos haberet, comtricum *Suetonius.* induſtria illos ſublegebat. Iulia canos euellens. Auguſtus clàm ſubintrans, canosque ſuper veſte filiæ euulſos videns, vt mentiendi ociaſionem prudens præſcinderet; rogauit, vtrum poſt aliquot annos cana eſſe mallet, an calua. Cumque reſpondiſſet, ſe canam eſſe malle: cur ergo, inquit, tuo iuſſu iſtæ ante tempus te calnam faciunt? Ita periculoſiſſimæ mendacij inſidiæ omni ſtudio præcauendæ ſunt.

Quoniam verò tenera ætas & ad mendacia & ad furta procliuior eſt; ſi cum D. Auguſtino pueri peccant, etiam cum D. Auguſtino capeſſant meliora. *Auguſtin. Conf. lib. 1. cap. 19.* Sic ipſe de ſe fatetur: Horum ego puer morum in limine iacebam miſer. Fallebam innumerabilibus mendaciis & pædagogum, & magiſtros, & parentes, amore ludendi, ſtudio ſpectandi nugatoria, & imitandi ludicram inquietudinem. Furta etiam faciebam de cellario parentum & de menſa; vel gula imperitante, vel vt haberem quod darem pueris. At qui doctrinæ eius ſinceritatem ac ſanctimoniam vitæ perpenderit, habebit, ſi volet, quod in hoc ſingulari viro imitetur: qui de tam admiranda ſua conuerſione Deo gratias agens, *Conf lib. 9. cap. 4.* ſic inquit: Eruiſti linguam meam vnde iam erueras cor meum: & benedicebam tibi gaudens.

Oratio contra mendacium.

O *Domine Ieſu Chriſte, qui verax, & veritas ipſa es, & omnis homo mendax: pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis; vt neque mendacium neque dolus in eo reperiatur, ſed vt te corde & ore laudare valeam, hîc & in æternum. Amen.*

CAP. LII.

Ecquid lingua procax & amaro perlita felle?
Acta Acherontæis facibus rota: Martis Enyo.

Aristot. de Off. Aulic. Lingua optima & pessima.



QVIDQVID in vtramuis partem de lingua dici potest, hoc breui sententia complectitur Aristoteles, dum ait: Lingua eadem optima & pessima. Istud Æsopus fertur lepido facto insinuasse. Dum enim ipsius herus optimum quod reperire posset, eum opsonare & coquere mandasset; linguas apposuit, neque aliud præterea. Deinde pessimum iussus apparare, iterùm præter linguas nihil intulit. Rogatus causam, respondit; linguam optimum & pessimum esse. Sicut enim tam malum nihil, quod lingua laudando non ita attollat, vt videatur bonum esse; ita nihil tam bonum, quod non valeat lingua, vt malum, exosum efficere. Optimè hæc cum Salomonis sententia conueniunt: *Mors & vita in manu linguæ.* (*Prou. 18.*) Nō enim sibi solùm homo vitæ vel mortis animę occasio per linguam existit, bona seu mala loquendo: verùm etiam aliis, in anima & corpore. Multos, credo equidem, lingua à morte dicendo eripuit; sed certum est, linguam etiam quamplurimos, tum per falsa testimonia, tum per iniustas accusationes & calumnias in mortem adegisse.

Linguæ instrumētum.

Mirabile verè instrumentum, dum benè expenditur, homini à Deo concessum vt mentis suæ conceptum & cogitatum alteri dum luberet loquendo detegeret: tum etiam vt cibum potumque inter mandendum deglutiendumque dirigeret. Quoad primarium linguæ vsum, dicit D. Bernardus (*Bernard.*): Lingua aptissimum instrumentum euacuandis cordibus. Quidquid enim voluitur animo, id lingua profunditur quando opus est; sicut situlâ vas exhauritur, vel quocunque instrumento aliquid euacuatur. Istud in bonum fit, quando per veram peccatorum confessionem, quicquid in corde latebat, Sacerdoti detegitur: in malum verò, dum, vt quidam rimarum pleni consueuerunt, linguæ volubilitate & loquacitate aliis aures obtundunt, & ipsi sibi cerebrum & cor euacuant, & quasi inane caput efficiunt, dum vndiquaque effluunt.

Linguę cōstructio; Agilitas;

Operæpretium autem fuerit considerare, quàm Natura hoc instrumentum ad legitimum vsum aptum accomodumque reddiderit: & vicissim, quàm variis munierit modis, ne in abusū erumperet. Quod ad vsum, non tantùm versatilem, & in quamuis partem celerrimè flexilem, vt conueniebat, effecit: verùm etiam ei de assidua humiditate ad volubilitatem in loquendo necessariâ prouidit; sine quā torperet & palato prę ariditate adhærescens inepta proferendo sermoni fieret.

quod



Ecquid Lingua procax, et amaro perlita felle?
Acta Acherontæis facibus rota: Martis Enyo.

Seght vns het boos bestier, en des quaet tonghens treken.
Het is een vat vol vier, deur Vyandts blas ontsteken.

A quoy faire est née, La langue acharnée, Au blasmeur iazer?
A seruir de roue, Dont Sathan se ioue, Pour tout embrazer.

quod omnes eo casu experimur: tunc enim instar currus malè iuncti non procedit eloquium. Ne tamen naturalis ista linguæ propensio atque agilitas vitio & abusui subseruiret; sed vt tardi nihilominus, hoc est benè præmeditati & circumspecti, etiam in bono essemus, à malè verò dicendo, prorsus alieni & quasi elingues, admirãdos posuit huic incommodo obices prouida Naturæ determinatio. Quod ad maturitatem in loquendo, dicendorumque prę ponderationem attinet, iuxta Apostoli monitum: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram*: considerare oportet, non frustra binos oculos & aures binas à natura homini concessas, linguam verò vnicam. Deinde aures semper patulas esse, tanquam ad audiendum & ad obediendum paratas: os verò non solùm vt claudi queat, sed quòd communiter clausum sit, opusque sit aperire ad loquendum, spatio interim deliberandi non absurdè concesso. Quantum verò ad ineptam, turpem, vel quoquo modo culpabilem prolocutionem; vix sufficiat humanum ingenium, ad disquirenda latentia & patentia omnia media & remedia à natura huic incommodo obiecta; vt quæ præsciuerit, quantam stragem fera hæc belua edere soleat sitque editura, si fractis repagulis contingat erumpere. In primis in faucibus vt in antro profundo recondita hęret, subtilibus frequentibusque neruulis, sursum, deorsum, sed præsertim ad latera porrectis, quasi retinaculis vincta coarctatur: neque illis tantùm vt frænis, equorum more, ad maxillarum latera deductis constringitur; verùm etiam vt ferociores quidam caballi os in altum nimis attollentes subligaculo quodam peculiari ab ore ad pectus tendente vinciuntur: ita adeò lingua humana subtus alligata ori adstringitur, vt interdum necesse sit, in pueris, si rectè eos loqui velimus, neruulum illum vt vinculum nimis arctum, valut hypoglottidem descindere; & quasi frænum relaxare.

Retinacula.

Iac. I.

Refrænatio linguę à malo.

Linguę latibulum.

Non incongruè idcirco Valla Linguam à ligando dictam testatur. Vesalius in sua arte expertissimus, hanc linguæ coustitutionem attendens, dicit Linguæ cõstructionem hactenus à nemine adhuc ex ęquo vt par est intellectam, nedum explicatam. Mirabile hoc vnum, neruulorum illorum copiam ac subtilitatem ad agilitatem tantam quæ in lingua necessaria erat conducere, vt & cum serpentium linguis celeritate contendat; & frænorum loco seruire, vt eam coërceat: sicut & malus in naui distentis vndique funibus constringitur; & simul ad velociùs velificandum conducit.

Valla. Lingua à ligando.

Cetera nunc à Deo in tam periculosi membri concessa custodiam consideremus. Præter abditum illũ faucium recessum vbi linguæ sedes est, pręterq; iam dicta retinacula, osseã modò triginta plus minùs dentium sepem, qua cingitur, attendito. Vsum quidem suum dentes habent proprium, vt dicturi sumus; sed interim pro crate ferrea quasi

Duplex dentium ordo.

in linguæ munitionem, & ni ſe contineat, in comminationem ſeruire videmus. Dentes (inquit D. Baſilius) mihi expēde: vt organa ſint quidem exponendæ voci accommoda: tuendæ linguæ ſeptum opponunt ſanè quàm validum. adde, quòd adminiſtri alimoniæ ſunt, dum hi fruſtillatim illam concidunt, iſti conciſam & diſſectam minutim deterunt: ita ipſe. Caſtigari linguam quoque non rarò à dentibus experimur, dum inter mandendum ſibi non ſatis cauet; vt mollicula eſt & verſatilis: & ad quemlibet quidem vſum ſermonis depromēdi multiuaria mouendi agitatione, vt idem auctor inquit, ſufficiens: ſed ſæpè eadē incitante agilitate ſepem ſuā ac ſeptum in loquēdo, tranſſiliens.

Baſilius Homilia, Attende tibi ipſi.

Pro extremo munimine, duobus labris quaſi valuis ſeu pontibus ductilibus immò & vallo concluditur. Iuxta Dauidis noſtro omnium nomine orantis poſtulationem: *Pone Domine custodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ.* Vſum, ecce, rectum, verumque horum munimentorum fructum ratum ac certum exoptabat. Verùm, quę noſtra confuſio eſt & miſeria, quàm parùm hęc omnia proſint ad peſtem linguæ reprimendā nouit Deus, teſtatur noſtra nobis cōſcientia, & mundus videt vniuerſus. Vt etiam dum quis eò felicitatis pertingit, vt ſe ab aliis contineat, in linguæ tamen vitium adhuc impingat. Vt audacter ob id dicat D. Iacobus: *In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir.* Rationem addit: *Poteſt etiam fræno circumducere totum corpus.* Dum ſcilicet linguam valet refrænare, vt ex qua dependeāt reliqua: quod pulchris ſimilibus explicat; dum ſubdit: *Si autem equis fræna in ora mittimus, ad conſentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus. Et ecce, naues cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.* Ecce lingua in homine, teſte Apoſtolo, eſt quod frænum in equo, clauus in naui, ſic & cauda in piſcibus & auibus; à cuius directione reliquorum omnium pendet gubernatio. Verùm, vt ait: *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & ceterorum domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt.*

Labra valuarum loco. *Pſal. 140.* Difficultas refrænationis linguæ. *Iac. 3.* Simile ab equis. Simile à nauibus. Simile ab omni genere animalium.

Linguæ effrænatæ nequitiam proſequens Apoſtolus, ſic inquit: *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus* (hoc eſt quātillus) *ignis quàm magnā ſiluam incēdit! Et lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris; quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.* Rota natiuitatis eſt corpus iſtud cū quo nati ſumus, quod ab ortu vſque ad mortis occaſum, rotæ inſtar, per continuam inconſtantiæ ac varietatum volubilitatem verſatur. Id autem eſt quod Reſponſio dicit, linguam ipſam rotam eſſe, quæ infernalibus ignibus accenſa, non ceſſat mille modis maledicta congerere, mentiri, calumniari, lites mouere, cædes ſtruere, & quaſi

Linguæ malæ nocumenta. A B Rota ignita.

C & quasi incendio suo inuoluere quæcunque contigerit. Ac si rotam pice ac sulphure perlitam incensamque circumagas, quæ ædes, horrea, villas, siluas, & oppida integra flammis voracibus absumat. Hanc D mala suggestione Satan incendit teste Iob, qui sic habet: *Halitus eius prunas ardere facit: & flamma de ore eius egreditur. De ore eius lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis.* Quique ignitam hanc prauæ suggestionis faculam corde admittunt, etiam ilico flammiuomis buccis conceptum dissidij litiumque ignem eiaculantur, & inextinguibile, nisi frigida superfundatur, aut alter saltem prudentior se reprimat, excitur incendium. Ita Aman totam propęmodum, nisi prudens obstitisset Hester, Iudæorum gentem internecioni linguę virulentiâ tradidisset. Sicut candelæ immò scintillæ vnius malè custoditæ occasione, domus integra, platea, immò & ciuitas tota deflagrare potest, ita linguę incuriâ. Sic ferè illud Annibalis dictum incendiarium erat; dum, quanto inter se odio dissiderent Roma & Carthago, significare cuperet, pede puluerem excitando, dixit: Tunc inter eas belli finem fore, cùm illarum altera in puluerem redigeretur.

Iob 41.

Esther 3. Aman.

Hannibalis dictum.

Vocat malam linguam Apostolus, præter suprà dicta: *Inquietum malum, plenam veneno mortifero.* Merito inquietudinis notatur lingua sic exstimulata, quia naturali celeritate abutens, dum ipsa à loquacitate & dicacitate mordaci non quiescit; & suum inquietat hospitem ac dominum & alios quos fatigat. Plena mortifero veneno, quia prętor pestem domesticam qua laborat, tot verè inficit, quotquot venenata per aurem dicta in animum assentientes admittunt. *In ipsa*, inquit idem Sanctus, *benedicimus Deum, & Patrem: & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione sua.*

Iac. 3.

Meritò sibi igitur quisque attendat videatque, vt linguam suam compescat, neque in malum permittat erumpere: sed illa vtatur ad hæc quorum gratia à Deo concessa est: vt Deum laudet, ei gratias agat, oret, peccata sua humiliter confiteatur, vt eorum remissionem accipiat; denique vt cum proximo suo, & quę ad vitæ huius commercia loqui necesse est, & præcipuè quæ ad solatium, consilium, ędificationem, omnimodamque animę salutem pertinent colloquatur. Procul absit ab ore omnium Christianorum, quod dicit Propheta Regius: *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.* Item alibi: *Exacuerunt vt gladium linguas suas.* At illi, filij hominum, prauam humanæ naturæ procliuitatem spectãtes, ita naturalibus præsidiis in mutuam perniciem abutuntur: at Christiani, filij Dei, lumen

Legitimus linguæ vsus.

Psal. 56.

Psal. 63.

fidei, rationem ducem, ac Spiritum sanctum Patris sui sequentes, saniora capessunt; & ea quæ pacis sunt, loquuntur ad inuicem. Ecquis enim sanus sit, & pro tantilli membri licentia ac voluptate, totum velit corpus, ipsamque adeò animam æternæ damnationis periculo exponere? Quis non diuitis illius epulonis exhorrescat exemplo, qui non tantùm pro totius corporis refrigeratione solatij quippiā nequiuit accipere, sed ne guttam quidem aquæ, in ardentis linguæ solatiolum obtinuit. Vtque lingua eius pro gula, crapula, & lautitiis cruciabatur, ita & linguam suæ pro maledicentia manent pœnæ: quę tantæ etiam erunt, vt reliqua totius corporis tormenta licet grauissima vix earum comparatione percipi videantur. Recogitent itaque quibus tanta linguæ leuitas & licentia est, an tanti meritò facienda sit ea voluptas, quam vel ex mēdacio, vel ex irrisione, vel scurrilitatibus, aliisque eiusmodi ineptiis capiunt, vt propterea æterna gehennæ supplicia, sempiternam confusionem, acerrima improperia, mutuas execrationes, & dæmonum intolerandam assiduitatem ac diuexationem sustinere parati sint. Certè dicat nunc meritò quilibet qui sapiat: Tanti non emero pœnitere. Vt in gratiam voluptatulæ tam paruæ corporis particulæ, totum me, corpore & anima, in nunquam morituros proijciam cruciatus, certè iniqua nimis foret illa conditio. Dicam igitur, quoties eam ad dicendum quod nō oporteat sensero prurientem: Lingua, quò vadis? Nimis magno mihi constarent tuæ excursiones. Te itaque intra tuos limites contine. Dicam, quod Dominus vento marique tumultuanti: Tace; obmutesce.

Linguæ effrænatæ punitio.

Luc. 16.

In rotæ huius ita incensæ maiorem detestationem hîc ex sacra Scriptura Rapsacis ardentes virulentæ linguæ globos adiiciam. Dux iste militiæ Regis Assyriorū cum toto exercitu mœnibus ciuitatis Hierosolymitanæ imminēs, populo in muris sedenti locutus est, nunc multa exprobrans, nunc promittens plurima, Regem Ezechiam calumnians & irridens, Deum & sancta blasphemans. Cumque à magnatibus nomine Regis rogaretur; ne Iudaicè sed Syriacè loqueretur, vt populus eius maledicentiam non intelligeret: è contrà multò vehementiùs vociferatus est, omni populo audiente: *Audite verba regis magni Assyriorum. Hæc dicit Rex: Non vos seducat Ezechias: non enim poterit vos eruere de manu mea. Neque fiduciam vobis tribuat super Dominum. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit. dicens: Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dij Gentium terram suam de manu regis Assyriorum? Tacuit itaque populus; & non respondit ei quicquam: siquidem præceptum regis acceperant, vt non responderent ei.* Ecce, hoc remedium desiderabatur, vt silentio (velut infusâ frigidâ) flamma illa desæuiens sopiretur, & à Deo tandem tota opprimeretur; vti euenit, Isaia Propheta ad Regis petitionem Deo pro populo supplicante, ac dicente: *Hæc dicit Dominus; Noli timere.*

4. Reg. 18. Rapsacis maledicentia.

mere. Ecce, ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuncium; & reuertetur in terram ſuam; & deijciam eum gladio in terra ſua. Reuerſus eſt ergo Rapſaces. 4.Reg.19.

Non malè Rapſaci Eunum & Barchochabam adiunxerimus; qui, dum magni quippiam præ manibus eſſet, ad quod populum etiam ſeditione commota vellent dictis efficacibus pertrahere, nucem ſulphure & igne repletam in ore geſtabant, & inter loquendum ignita verba profundebant ad terrorem. Quæ omnia huc ſpectant, vt ſciat Christianus, cuius ſit ſpiritus, Chriſti ſcilicet mitis, manſueti, ac pacifici, cui cum Belial nihil commune eſt. *Fulgoſius lib.7 cap.3.* Barchochabas & Eunus, ignem ore profundebant.

Dolendum ſanè tam indignis modis hoc vtiliſſimo alioqui inſtruméto abuti Chriſtianos. Meritò tales acribus illis verbis poſſint compellari, quibus Ioſeph fratres ſuos per diſpenſatorem aggrediebatur: *Quare reddidiſtis malum pro bono? Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet: peſſimam rem feciſtis.* Lingua enim noſtra quaſi ſcyphus Domini eſt, quem poſuit in ore ſacculi noſtræ mortalitatis: ex quo & ipſe bibit, dum laudes ei debitas grato ore propinamus; & in quo auguratur, quando corpus eius ſacroſanctum lingua quaſi oris capedine dignè ſuſcipimus, addicitque nobis: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die: & habebit vitam æternam.* *Gen. 44.* *Ioan.6.*

Quapropter vtinam recudantur omnes linguę noſtrę, & loquantur rectè. Fornax eſt ardentiſſima Chriſti latus apertum, in quod forcipibus timoris & amoris apprehenſæ mittantur, igneſcant, & tractabiles fiant. Incudis loco dorſum eſt Domini per Paſſionis memoriam adhibitum: de quo ipſe ſic per Prophetam: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Neque ſic prolongabimus, ſed corrigemus iniquitatem noſtram. Satagente ſiquidem diabolo (vt olim Philiſtheis) faber ferrarius non inueniebatur in terra noſtra; donec veniret Ieſus fabri filius: *Retuſæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium, vſque ad ſtimulum corrigendum.* Zelus, feruor, deuotio, charitas fraterna, amor diuini nominis & ſalutis propriæ deferbuerant. *Pſal.128.* *1.Reg.13.*

Oratio contra linguæ virulentiam.

OMnis lingua, Domine Ieſu, tibi debet confiteri, & ſuperbenedictum nomen tuum ſanctificare: at membrum eſt quod abſque te nullus hominum domare poteſt: Da mihi gratiæ tuæ abundantiam; vt & meam linguam cautè cuſtodire, & alterius patienter valeam tolerare. Amen.

CAP. LIII.

Quo dirimam cuneo absentes qui rodere gaudent?
Nos ipsos primò, dic, concutiamus ad vnguem.

Detractio quid?



DETRACTIO est denigratio famę, hoc est bonę ęstimationis A
siue reputationis proximi per verba occulta. Illi scilicet occulta, de quo dicuntur. Formale est detractoris, vt intentione denigrandi & corrumpendi vel diminuendi famam illa verba proferat: & tunc esset mortale peccatum. Sin autem tantùm materialiter detrahat, hoc est, verba eiusmodi loquatur propter aliquod bonum, vel causam necessariã, debitis circumstantiis obseruatis, vt quando fit ad emendationẽ, punitionem, & iustitiæ bonũ, &c. tunc non est detractatio neque peccatũ. Si ex animi leuitate verba detractoria proferantur, non est peccatum mortale, nisi notabiliter famam lædat. Detractio pulchrè in veteri Testamento sub surdi typo

Leuit. 19. prohibita est: *Non maledices surdo*. Sicut enim surdus non audit quod B
dicis neque potest refellere, ita nec absens cui detrahis. Idem istud

Eccls. 10. est cum eo quod Ecclesiastes dicit: *Si mordeat serpens in silentio; nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Quia quasi in silentio mordet detractor, dum absentis occultè famã imminuit, & quasi liuidos dentes infigit; quod præsenti non ausit facere. Hæc quoad latentem agendi modum.

Vnde dicta detractio.

Detractionis vocabulum hoc innuit quod re vera fit; dum alicui C
per verba diffamatoria, bona illa existimatio & fama aufertur vel laceratur, qua tanquam honesto indumento ornabatur. Nõ secus id accidit, quàm si cuiquam transeunti clàm à tergo chlamydem tunicámve detrahas; aut ea vestiũ parte spolies, quę illũ decebat & decorabat.

Quatuor modis fit detractio.

Quatuor præcipuè modis directè detrahitur. Primò, quando quis falsum alteri imponit, tunc enim præter detractionem etiam est mendacium. Deinde, quando occultũ alicuius peccatum reuelatur. Multi enim sibi licere existimant hoc referre, quia verũ est. Tametsi namque verum sit, occultum tamen est, & licet peccando conscientiam coram Deo læserit, necdum tamen famam amisit coram hominibus, quam per detractionem illud propalando ei aufers vel imminuis. Et tametsi planè secretum non esset, dummodò publicum non sit neque publicum censeri possit, detrahis, dum illi saltem patefacis qui illud ignorabat: eamque existimationem & bonam reputationem, quam talis apud illum adhuc habebat, per detractionẽ imminuis, vel etiam omnino tollis. Tertiò fit detractio, quum quod malum est, tuis dictis auges, & coram aliis exaggeras; quod vt plurimùm fit dum alterius vitia referuntur.

Postre-



Quo dirimam cuneo, abſentes qui rodere gaudent?
Nos ipſos primo, dic, concutiamus ad vnguem.

Hoe ſalmen alder meeſt, den achterclap beletten?
Secht ſoo: Me vriendt, laet eerſt, elck op ſy ſeluen letten.

Quel moyen pour faire, Le mediſant taire, Quand il blaſme autruy?
Dite luy: Beau ſire, Sage eſt qui ſe mire, En ſon propre puy.

Postremò, quando quod bonum est, dicit malâ factum intentione; & ita etiam optima quæque alterius dicta vel facta virulentâ suâ linguâ denigrat: & dum opus nequit improbare, mentem & intentionem saltem agentis mordet atque conuellit vt potest. Difficilis certè res ista, si restitutionem spectes, eoque propterea magis ne committatur cauendum. Si cui rem, vestem, vel pecuniam auferas, facilis satis atque obuia reperitur occasio resarciendi; at in famæ restitutione vix vnquam certò videtur quid consulto factoque opus sit; nihilque vnquam serius, imperfectius, aut etiam periculosius, quàm fama læsa restituitur. Constat, ad duo teneri detractorem. Primùm, ad reparationem damni, si quod per eum diffamatus incurrit: deinde ad famæ reparationem; vt ad omnes apud quos detraxit vadat: & si falsum imposuit, dicat se falsum imposuisse. Si verò dixit diffamando, dicat se malè dixisse, & iniustè diffamasse. Nisi fortè inde maior timeatur sequutura diffamatio; & iam obliuione sepultorum peior renouatio. Cumque melius sit nomen bonum, quàm diuitiæ multæ; viderint quanti damnum faciendum sit detractores, dum præcipuum ornamentum, præcipuasque excepto virtutum thesauro diuitias proximo adimunt.

Famę restitutio difficilis.

Prou. 22.

Quàm pestilens sit ista detrahentium nequitia, sancti Bernardi sanctæ ac mutuæ dilectionis amatoris singularis sententiâ comprobari potest: quâ velut rhomphæâ, vtraque parte acutâ, ac spiritu oris Domini, venenatam hanc persequitur bestiam; dum sic ait: Nunquid non vipera est lingua detractoris ferocissima? Planè, nimirum quæ tam letaliter inficiat flatu vno. Nunquid non lancea est lingua ista? profectò acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Illum videlicet qui loquitur; eum qui audit, & demum illum de quo fit sermo detractorius. Atque ideò aptissimè lingua hęc triplici lanceæ Ioab potest comparari, qua Absolonem à quercu pendentem traiecit. Hoc autem triplici illa in læsione notandum ac distinguendum est, minimùm omnium lædi illum in quem maximè tamen telum detractionis intenditur: quia ipse quidem in fama læditur; quod ceteris paribus damno rerum temporalium maius est: sed omni comparatione maior est illa læsio, quam detractor & auditor in anima sibi ipsi infligunt. Verè tamen dicitur, tres vno ictu vulnerari, dum lingua detractoris trisulcum suum spiculum expromit, & proximi lancinat existimationem.

Bernard. in Serm.

Apoc. 2.

2. Reg 18. Lancea Ioab triplex, lingua detractoris.

Cùm igitur tam perniciosa res sit detractio, quæritur quo cuneo illa optimè expugnari queat, quóve modo impediri. Tenetur enim quilibet proximi malum, damnum, ac nocumentum, quantum potest, auertere & impedire; veluti videmus communiter fieri in incendio, naufragio, lapsu, tempestate, bestiarum hostiúmve incursu, & similibus, in quibus quilibet naturæ instinctu & lege quam potest adfert opem.

Quomodo detractio impediatur.

opem. Ita dum in communi congressu & colloquio quispiam incipit, (vt plerumque fieri solet) alterius famam denigrare, quocunque ex prædictis modo, sine dubio tunc obstandum est illi malo quantum in te est, quantumque ratio & persona permittit.

1. Remedium detractionis, Attende tibi.

Responsio monet & hortatur dicere, vt seipsum quisque primùm expendat; satiùs esse, sibi attendere & sua excutere, quam aliena. Nam D si se in speculo cacabus contemplaretur, suamque nigredinem attenderet, non hanc idem ollæ exprobaret; iuxta notum illum versiculum: Væ tibi, tu, nigrę dicebat cacabus ollæ, Omni enim vitio carere debet, qui in alterum paratus est dicere. Ideò rectè de recto & loripede Poëta: Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus. Hoc enim videtur tolerabile, quanquam apud Christianos nec id liceat: sed minus malum neque tam absurdum est, quàm si claudum claudicans, & nigrum ater irrideat. Quocirca, si attendere seque ipsum considerare, optimum præsentissimumque remedium est contra detractionem. Nam qui proprium suum hortulum diligenter expenderet, videretque quid ad bonam eius expurgationem & culturam desideretur, non multum fortè temporis ei suppeteret aut otij, ad alterius hortum perlustrandum, perscrutandum, & carpendum; vbi fortè nihil, aut perparum, aut saltem non tam multa quàm in proprio, reprehensione digna inueniat. Ex propriorum defectuum animaduersione tria sequerentur vtilia: In primis hortus eius cultior euaderet: deinde suæ infirmitatis contemplatione misereretur alterius, neque per propriam suorum oculorum trabem tam acutè festucam in oculo fratris cerneret: sed eum puderet id in alio accusare quo ipse laborat, & quidem grauiùs periculosiusque. Postremò, animæ suæ à noua plaga, quam per detractionem erat inflicturus, parceret; & eum qui auditu vulnerandus erat præseruaret, & famæ proximi non inferret iniuriam. Id docet nos Lex naturę, qua nō deberemus alteri facere, quod nobis fieri nolimus.

Iuuenal. Sat. 2. E

Verùm quid dicā? Cæcutimus plerumque omnes in propriorum defectuum consideratione; in aliorum verò vitiis notandis perspicacissimi; iuxta commune dictum: Linx foris, talpa domi. Quod & Poëta eleganter & acutè:

Horat. li. 1. Satyr. 3.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis;
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm?

Aliena vitia perspicimus, ad propria cęcutimus.

Hoc etiam ferè huic malo accedit absurdi, vt quo conniuentiores erga se ipsi sunt tales, tametsi scateant næuis, eo oculatiores sint in aliorum minutulis etiam defectibus nō solùm peruidendis, verùm etiam seuerè perstringendis. Sic namque & oculus ipse, sui vultus maculas quo viciniores sunt, minùs videt; in alterius verò facie obseruat singula. Nec illud prætereundum: quanto iniquiùs illi ferunt, in se quippiam

piam animaduerti quod vitio vertendum videatur: tanto maiori eſt eis voluptati in alios ſemper lumina, linguam, dentesque defigere Et, ſi quid in quoquam laudabile eſt, hoc prætereunt; ac more anatum ſemper ſordidioribus roſtrum ingerunt, eſtque eis hoc volupe.

Quocirca, meritò pro detractionis præſentiſſimo cuique remedio præſcribitur; vt ſibi attendat, & in propria vitia coniiciat oculos, eiſque exſtirpandis animum applicet. Idque non tantùm ad hoc ſeruit, ne quis detractionem loquatur, ſed etiam vt in alio detractionem impediat, eo ſic commonito. Satiusque eſt ac longè facilius initio ſtatim huic malo obſiſtere, quàm dum iam globus vel rota volubilitatis linguæ loquacis ſpatium aliquod in detractionis arena percurrerit. Sic & incendiũ, in primo ortu ſitula vna aquæ citiùs exſtinguatur, quàm mille dum inualuerit.

Conſilio itaque D. Iacobi id concludamus, ſic dicentis: *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei.* Addita huic Regij Prophetæ interrogatione: *Quis eſt homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos?* hoc eſt gloriæ æternæ gaudiis perfrui? *Prohibe linguam tuam à malo.* Id igitur qui non facit, cæleſti ſe præmio indignum facit. *Iac. 4.* *Pſal. 33.*

De tam imprudenti linguę cuſtode verè dici poſſit, quod ipſi lingua cauſa proprię mortis exiſtat, tantillum membrum totius pernicies; quemadmodum illi ruſtico accidit, de quo Plurarchus in libro de Garrulitate. Cùm ſiquidem Seleucus in prælio cum Galatis omnem exercitum perdidiſſet, ſibique detracto diademate cum aliis nobilibus fugeret, & prę inopia panem & aquam à quodam villico peteret, acciperetque; villicus agnita Regis facie, eum deducẽs, Salue, inquit, Rex, ſalue. At ille dextram ei porrigens, & ad ſe trahens velut oſculaturus, innuit vni comitum vt hominis collum enſe præcideret. *Plutarch. de garrul.*

Quæ cùm ita ſint, & lingua tam ſuum hoſpitem, quàm alienum trucidet; non immeritò Thearidas, cùm gladium cote acueret, rogatus à quopiam, num eſſet acutus, reſpondit; acutior calumnia: grauiter innuens, omnium rerum nocentiſſimam eſſe calumniam. *Thearidas.*

Oratio contra detractionem.

O Mitiſsime Domine Ieſu, qui in vita, paſsione, & morte, tam multa in auditu perpeſſus es, ac neminem vnquam verbo offendiſti; omnem procul ab ore meo detractionem amanda; meisq;, oro, detractoribus amanter ignoſce, & nouis nos linguis loqui doceto. Amen.

CAP. LIV.

Si neque desistant isthac ratione notati?
Sermonem abrumpe; aut mediæ te subtrahe turbę.

Garrulorum hospitium.

Num. 19.



TAM effrenatæ linguæ reperiuntur plurimi, vt illi hospitio meritò adscribantur, cui vas sine operculo, aut absque ligamine sacculus pro insigni est: iuxta illud sacræ Scripturæ tales improbantis indicium: *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Nam, qui os suum nequit cohibere, necesse est vt se frequenter loquendo contaminet. A

Morbus linguæ nō facilè curabilis.

Aul. Gell. lib. 8.

Et quemadmodum mali pertinacesque morbi non facilè curantur, nec vno tolluntur remedio, sed opus est varia attentare: ita etiam diffissis oribus, ac propendentibus linguis, quæ assiduo ferè loquacitatis & detractionis vitio obnoxiæ sunt, varia sunt adhibenda remedia. Huic quadrat aptè illud Auli Gellij dictum: Nunquam tacet, quem morbus loquendi tenet. Sicuti semper esuriunt ederentque semper, si daretur, qui lupum morbum gestant in pectore, quem caninum vocamus. Interrogatur propterea, quid faciendum ei, qui in detractores inciderit, velitque hanc pestem impedire, neque tamen sufficiat prius consilium datum; quo moneret, vt se priùs, & sua quisque obseruet, quàm aliena perscrutetur. Tam efficax est tamen istud herbæ genus, scilicet Attende tibi; vt si cui in nares inseratur aut molliter tantùm affricetur; ita sternutare incipiat, vt & fluant oculi, & intus ita se proprius torqueat spiritus, vt non multum ei lubeat ex alienis ampliùs hortulis herbas carpere, & suis naribus per curiosam explorationem applicare; aut detractionis dentibus, vt antea solebat, atterere, cùm propriæ ei ad cerebri expurgationem abundè sufficiant. Quia igitur detractionis vitium tam pestilens inflammatio est, per linguam & os erumpens, quę nec facilè nec vno remedio sistatur sopiaturque; vt dixi, quæritur, quid ampliùs facto opus, quod in promptu habeatur. Duo in Responsione remedia priori adiiciuntur: Vt, si cœpta detractio non reprimatur, insinuando, cuique satis esse domi quod corrigat, tametsi aliena non discutiantur; vel sermonem abrumpas, aut inde te subducas. B

Efficax herba, Attende tibi.

Duo alia remedia contra detractionē.

1. Diuertere sententiam aliò.

Quantum ad hæc duo posteriora remedia attinet, prius valdè suaue ac mite est, & tamen valdè præstans, quando dextrè & opportunè applicatur. Dum nimirum inter colloquendum captatur occasio, & ita in alium sermonem narrantis oratio transfertur, vt & ipso detractore aliisque adstantibus non percipientibus artificium, de alia prorsus re instituatur narratio, quàm cœptum erat: dum saltem apertè hoc modo dice- C



Si neque desistant istac ratione notati?
Sermonem abrumpe: aut mediæ te subtrahe turbæ.

Oft daermẽ niet en gaet; Wat doen ick voord' daer naer?
Tpropoost van monde slaet: oft anders, gaet van daer.

Si la folle teste, Poursuit et tempeste, Que ferai-ie lors?
Coupez la parolle, Niaise, et friuole, Ou bien, sortes hors.

dodicere non lubet: Sinamus ista; vel, Hactenus hæc, & dealiis rebus misceamus sermonem. Et ita meliori, non malo saltem colloquio detractio locum dabit. Multa eiusmodi sunt, quę in medium proferri queant, pro rei, temporis, personarumque conditione, & qualitate. Vt sunt, rerum gestarum, vel quæ geruntur, operum, structurarum, profectionum, artificiorum, naturalium, auræ, aut currentis anni tempestatis, caritatis annonæ vel vilitatis. Sed præcipuè si qua ratione fieri potest, inconstantię ac vanitatis mundi: vitæ huius caducæ miseriarum multiplicium, certitudinis mortis & horæ incertitudinis; virtutum, & gloriæ cælestis, ad quam illę suos cultores adducunt; misericordiæ & longanimitatis diuinæ, potentiæ, sapientiæ, & iustitię eius: die præsenti (si fortè festus est) concionis habitæ; futuri aliquando iudicij, reddendæque semel rationis, &c. sicuti facile est, homini vtcunque ingenioso ac timenti Deum, pro re nata aliquid excogitare, & minima occasione arripere, quo molliter in medium adducto, filum detractionis abrumpat, staménve aliud solerter inducat.

Exempli gratiâ.

Ita D. Thomas Morus, primarius Angliæ Cancellarius, pro more habebat; vt in omni vita & actione sua maximæ fuit ędificationis ac sanctimoniæ vrbano admodum lepore conditæ. Dum quis ipso præsente detractioni laxare linguam incipiebat, ipse mox arrepta alicunde occasione virulentum illum sermonem aliò diuertebat, meliore subintroducto, aut saltem non malo. Exempli gratia, inquiebat: Dicat quisque quod volet, ego dico domum illam pulcherrimè exstructam; eumque qui fecit, excellentem esse in sua arte magistrum atque architectum. Hoc modo igitur suauiter ei malo remedium adhiberi potest: sique iterùm ad detractionem redeatur, paulo apertiùs indicare licebit, nō libenter illa audiri, optarique potiùs vt de aliis habeatur oratio: quod & in scurrilibus & ineptis colloquiis obseruandū est.

Thomas Morus.

D Alterum remedium est, si priora non profecerint; vt inde te subtrahas; & facto ostendas, te tuas aures custodire velle ab istis sordibus, si quis linguam suam ab his nolit præseruare. Et, si quis maledicus aut detractor quodcunque lubuerit effutiat, te nō teneri audire plusquam lubuerit. Si ipse dominus linguæ suæ non est vt eam coërceat, te tuarum aurium dominum esse velle, vt nihil quàm quod volueris, admittere audeant. Alioqui, vt benè D. Hieronymus: Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristi hæc audias; discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Sagitta in lapidem nunquam figitur (inquit idem auctor ad Nepotianum) interdum resiliens percutit dirigentem: ita sanè detractori continget, si obfirmatas ad sua verba repererit aurium fores. Talem autem detractionibus obicem ponere debent, quicunque eò sunt loci vt effugere nequeant, debeātque audire velint nolint: vt qui nec prohibere,

2. Inde se subducere; vel vultu seueriori retundere.

Hieron. in cap. 25. Prouerb.

hibere nec aliò diuertere sermonem, neque etiã loco cedere possunt: sicuti fit vel in conuiuiis, vel in alio consessu, qui nec solui nec deseri potest, vt frequenter accidit. Ad hoc per Sapientem animamur, dum E

Prou. 25. sic ait: *Ventus Aquilo dißipat pluuias; & facies tristis linguam detrahentem.*

Hieron. in Epist. ad Nepot. Quod & D. Hieronymus apertiùs, in detractionis detestationem ita commonet: Caue, ne aut linguam aut aures habeas prurientes; id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. nemo inuito auditori libenter refert. Quemadmodum enim, si quis impru- F dens in capsulam foraminosam, puluerulento repletam nigrore, alióve puluere, calamo vel canna inflauerit; credo illum destiturum à cœpto, mox vt puluerem, præsertim atrum, in faciem, os, & oculos inde erumpentem persenserit, seque ipse suo flatu fœdarit. Ita detractor haud dubiè cessaturus speretur, cùm in præmium & pretium operæ atque laboris sui, talem audientium intuitum talémve responsionem acceperit, qualem non expectabat, multoque minùs exoptabat. Interdum enim solus oculus vel frons seuerior sufficiat indicioque sit, non libenter audiri improbarique quod dicitur. Doceatur autem detractor tali casu prudentior aliàs esse, & non facilè neque tam temerè in proximi detractionem fræna linguę resoluere.

In capsulam foraminosam flare.

Bapt. Fulg. lib. 7 cap. 2. Quia hoc Capite quęsitum est præcipuè, vt & præcedenti, qua ratione detractio optimè queat impediri, hîc animi gratia subnectam lepidum Alcibiadis inuentum, ad linguas hominum in se liberiùs quàm vellet quámque deceret debacchantium impediendas alióque diuertendas. Is cani mirè specioso, quem paulo antè magno pretio coëmerat, caudã penitus abscidit, atque ita passim ire permisit. Cúmque ex amicorum numero factũ quidam reprehendisset, dixissetque illud perperam actum esse: respondit, voluisse se paruo illo errore materiam sui criminandi Atheniensibus dare: vt, dum de eo loquerétur, de maioribus quæ pertinerent ad ipsum silerent. Perspicaci enim ingenio animaduertere visus est, difficulter fieri, vt qui virtute aut dignitate aliis supereminebat, ita hominum linguas compescat, vt aliqua in re malè non audiat. Et propterea enitendum esse dicebat, vt populo tacere nescio de leuioribus rebus loquendi materia daretur. Videte quàm varij sint modi detractoribus occurrendi, quando attenditur.

Alcibiades canis caudam resecans.

Ælianus lib. 11. Quídni his infame illud Zoili factum dictúmque adscripsero, in omnium detractorum & calumniatorum maiorem execrationem; vt qui istorum meritò Princeps sit, ipsique eius tyrones. Hic cùm stylum in Homerum, Platonem, aliosque strinxisset, adeò vt canis Rhetoricus nominaretur; essetque prorsus malè loquendi studiosus, litibûs serendis operam daret, & contumeliosus nemini parceret; rogante quodam erudito viro, Quamobrem de omnibus malè loqueretur?

Zoilus canis Rhetoricus.

Quo-

Quoniam, inquit, malè facere, si velim, non possum. ac si ideò linguam saltem in omne maledicentiæ genus laxaret: in quod non ita, atque in malefacta, ab hominibus animaduerti solet.

Solenne admodum ac celebre est factum illud Constantini Magni in Concilio Niceno, in calumniarum detractionumque detestationem, atque abolitionem consummatam. Cùm ei siquidem varij essent à variis exhibiti libelli supplices, miras ac multas (vt ex antecedentibus constabat) derogationes & quærimonias mutuas continentes; ipse humili præmissa præfatione, sui non esse muneris talibus in causis iudicem agere, aut proferre sententiam, omnes ad concordiam pacemque adhortans, vniuersos simul libellos supplices igni tradidit concremandos. Rectè fecerint qui ad eius imitationem calumnias detractionesque omnes veri zeli atque ardentis charitatis flamma consumi procurarint. *Gregor. li. 4. Regist. cap. 75. & Sozom. lib. 1. cap. 16.*

Quis enim ignoret, calumnias alioqui, detractiones, & maledicta, mutuo ac reciproco flatu incendi, viresque maiores accipere? hinc M. Ceruilius dissuasurus legem quam ferebat M. Pinarius, dic mihi M. Pinari (inquit) si cõtra te dixero, num mihi maledicturus es, vt ceteris soles? Vt sementem (inquit Pinarius) feceris, ita & metes. Per allegoriam minitans, illum malè auditurum, si malè diceret. Quemadmodum namque oblatrans canis dormientem quoque excitat; ita mordax lingua, tranquillam etiam, ad remordendum irritat.

Expressum hoc quasi quodam emblemate, tametsi alio sensu & scopo, apud Plutarchum reperimus. Somniarat etenim quidam se lethali morsu à marmoreo leone in ingressu templi posito confectum esse. Manè templum ingressurus, cùm marmorei leonis simulacrum adspiceret, cum risu illud somnium sodalibus exposuit; manumque in rictum leonis immittens, iocabundus inquit, iam morde, hostis validissime; & me si potes perime. Vix ea effatus erat, cùm à latente ibidem scorpione lethaliter ictus, serò suæ temeritatis luit pœnas. *Plutarch.*

Oratio ad impediendam detractionem.

Posuerunt, ô Deus, homines os suum in cælo, linguã eorum transeunte super terram; neque Diuinæ tuæ maiestati, neque proximi famæ parcentes: Da quæsumus nobis gratiam, vt pestiferam hanc flammam, quà dabitur, extinguamus, & nobis ab eadem caueamus. Amen.

CAP. LV.

Quid magnũ, solas mala verba admittere in aures?
Momus hic est auidâ Momum qui combibit aure.

Audire tãtùm detractione n non licet.



QVIA postrema Responsione, remedij loco, contra vitium detractionis consultum fuit, loco cedere, aut saltem eiusmodi diffamatoria colloquia nolle audire: idcirco iam rogatur, num etiam tanti momenti malum sit, audire solùm detrahentem. In primis in dicente distinctio ponenda est, vt & in audiente. Si quis alterius vitia referat, bona intentione, vel vt corrigantur, vel vt cuiquam benè consulatur, alióve modo licito; tunc detractio non est, neque vlla ex parte peccatur; vt dictum est. At hîc, vt in præcedentibus duobus Capitibus, de detractione vera & mera agitur, quàm qui loquitur, peccat semper; at, qui audit, non semper. Accidit enim interdum, vt tales sint circumstantiæ ob quas necessum sit audire; vt neque prohibere, neque etiam queas effugere, vt diximus. Tunc modus quærendus est, quo non pecces audiendo. Hunc dat Sapiens: *Sepi aures tuas spinis: & linguam nequam noli audire*. Tunc id facis, dum detractioni ad aures aditum negas; vt, licet eas verba verberent, in animi tamẽ assensum non intromittantur. Quin potiùs, quasi vel non audiens, vel aliud cogitans, aliudque agens, tuo agendi modo præ te feras, quòd vel non intelligas, vel non libenter audias. Seueritate illa morum, tali casu, spinarum instar, detractoris linguam arcebis ab auribus, dum verbis suis omni ex parte vt sepibus obstructam viam inueniet. Huc iuuabit, si etiam Domini nostri spineæ coronæ dolores & aculeos ita animo memor complexus fueris, ac si illam in caput tuum vsque ad aures impactam habeas. Ad quod & memoria quatuor nouissimorum conducet, vt recenti eorum, præsertim tubæ, insonante memoria, quasi surdus ad detractionem effectus sis. Sic audies citra culpam; tamque inoffensè ac si non audias: quando aliter nec prohibere loquentem neque euitare vales.

Eccli. 28. Quomodo aures spinis sepiantur. — A

Spinea Domini corona.

Imitandus Vlysses. *Homer lib. 12. Odyss.*

Vlyssem hac arte imitaberis, qui Sirenum cantus malo alligatus audiuit quidem; sed his contemtis Syrtes præteruectus euasit: qui etiam suis contra vocum prospexit illecebras, dum aures ipsorum cera impacta præcepit obturari. Perinde est, ac si idem facias, vel digitis in aures insertis nihil audias, dum detractoris verba surda vt potes aure contemnis, dum nequis impedire, cogerisque vel inuitus audire. B

Iam inculpato audiẽdi detractationem modo intellecto, excutiamus quàm sit malum detractioni aurem præbere, tranquillumque per beneuolas aures aditum in animum dare. Responsio dicit, & eum qui C

detra-



Quid magnum, ſolas mala verba admittere in aures?
Momus hic eſt, auidâ Momum qui combibit aure.

Iſt ſoo quaet, achterclap te hooren oor alleen?
Spreeckt, off hoort, ſulcken ſnap: ſoo knaecht ghy beyd' een been.

Quel mal qu'on l'eſcoute, Dont la langue eſgoute, Son mortel venin?
L'enuieuſe oreille, Aura la pareille, Du cauſeur malin.

detractionem loquitur,& eum qui ita vt iam dixi audit, eiusdem esse culpæ reos. Meritò vtrumque Momum dici posse,& vtrumque idem os rodere. Non id in hac similitudine canum attendendo, quod alter ad alterum rodendo ringitur, sed quòd æquè feruentes vni eidemque insistant operi, in ossis consumtionem. Satis conforme est istud sententiæ illi qua dicit Apostolus: Quòd si inuicem mordetis & comeditis; videte ne ab inuicem consumamini. Primùm in cibo sumendo (vt docet experientia) est illum dentibus anterioribus conscindere: ita dum leui verbo, vel etiam graui leuiter prolato proximus mordetur. Tum sequitur masticatio & glutitio, dum cibus molaribus teritur, & mansus traiicitur; in quibus comestio consistit: sic fit, dum detractione, irrisione, calumnia, pertinaci contentione, mutua fama & concordia proteritur,& quasi in nihilum redigitur. Sequitur tunc postremò vt cibus sumtus concoquatur & digeratur; ita vt proximus per maledicæ linguę virulentiam totus dissipetur, & mutuò se conscientię etiam consumant coram Deo & coram hominibus, & in statum damnationis ęternæ perducant. Dicit accommodè de tali consumtione, quæ & in inferno conficienda est, Propheta Dauid: *Mors depascet eos.* Propterea salutariter admonet Sapiens suæ salutis studiosum: *Noli esse in conuiuiis potatorum: nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Rectè id explicat D. Gregorius, sic inquiens: Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis verba vicissim in proximorum vitam dicere. Atque ita vbi carnes comeduntur, communiter & ossa roduntur. Ideoque qui detractionem loquitur, quique eam audit, vt dictum est, coniunctim dentes carnibus proximi infigunt, & ossa eius rodunt, dum etiam curiosa disquisitione, & iudicio temerario, virtutes & præstantia facta, quæ ossium instar totius vitæ & conuersationis reliquum sustinent corpus, examinant, excutiunt, & paulatim eis detrahendo comminuunt. veluti canes ossa carnibus spoliata tandem illa quoque rodendo consumunt.

Detractor & auditor æquè peccant.

Gal 5.

Psal.48.

Prou.23.

Greger.

Carnes proximi comedunt detractor & auditor.

D Iuxta hunc sensum D. Augustinus supra mensam suam in tabel-
E la ad murum hos versiculos descriptos habebat, quò hospites à detractione absterreret:

Quisquis amat dictis absentûm rodere vitam:
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

D. Augustini versus mensales.

Quibus verbis illos sua mensa indignos decernebat, qui, quod primum in concessibus esse solet, absentibus detrahere præsumerent. Grauiter eâdem operâ pessimam illam iugulans consuetudinem, qua passim in conuiuiis & mensis dum carnes aliique cibi comeduntur, etiam carnes proximi absumuntur, & velut vitæ ossa roduntur. Ex quibus videre est, quàm atrox & crudele sit facinus, proximo detrahere, aliorum nomen & famam lacerare, totamque eius conuersationem

nem quasi dentibus frustratim discerpere & laniare; quod ferarum cùm sit, iocus tamen & ludus tantùm reputatur apud homines; sed non apud iustum illum rerum omnium ęstimatorem Dominum: qui non dolosa ipsorum statera, sed rigida sua bilance omnia trutinabit.

Bernard. 1. serm. Horribile dictum in detractores & audientes.

Quàm pari eant passu idemque agant detractor & auditor, (quod hoc Capite pręcipuè tractatur) vel ex hoc solo D. Bernardi dicto terribili satis superque cognoscatur. Detractor, inquit, & libens auditor, vterque diabolum portat in lingua. De loquente detractionem res clara est, quia diabolo instigante & linguam detrahentem mouente, tam indignam proximo contra charitatem infert iniuriā. De audiente detractorem sic vt dictum est, licet non tam clarum primo intuitu, certum tamen est. Dum enim libenter audit, auresque detractori prębet accomodas, assentitur, & dat causam liberiùs fusiusque in alterius famam grassandi: ideoque æquali cum detractori loco statuitur. Sicut qui furi opem fert, non tantùm in actu furandi, sed etiam furtum abscondendo, emendo, participando, furemq; hospitio excipiendo, pari cum fure pœna mulctatur; ita coram Deo Deique iudicibus spiritualibus detractor & auditor pari culpa ligantur. Quia sicuti si nulli essent furum fautores, nulli essent fures; ita nulli essent detractores, si nulli essent beneuoli auditores. D. Hieronymus his adstipulatur. Sed dices (inquit) Ipse non detraho; aliis loquentibus quid facere possum? Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus. Ita loquitur Sapiens (inquit:) Cum detractoribus ne miscearis, quoniam repentè venit perditio eorum: & ruinam vtriusque quis nouit? Tam scilicet eius qui loquitur, quàm illius qui audit loquentē. Ita Hieronymus. Quo ambigendi modo significat vtriusque tam ęqualem esse cum omnis mali patrono & incentore diabolo propinquitatem, vt diiudicare difficile sit, vter sit vicinior, eique maius obsequium deferat, siue quoad nocumentum quod proximo infertur, siue quoad damnationem quam ipsi per detractionis ansam sibimet acquirunt.

Hieron. ad Rust. mon.

Si ita se res habet, vt habet verè, tamque perniciosum est etiam vel audire; ostia quisque & fenestras occludat ilico, dum talis turbo & turba suboritur. Hoc est, os & aures ad solum detractionis odorem confestim obstruat.

Fulgosius li. 7. cap. 2. Plutarch. in Apopht. Lacon.

Agesilaus Lacedęmoniorum rex dicebat, non minùs laudatoris vel vituperatoris inspiciendos esse mores, quàm eius qui laudatur vel vituperatur. significans perrarò contingere, vt quispiam quæ moribus suis contraria sint laudare velit: & detractores suum potiùs quàm alienum morbum prodere. Sicque fit vt deprehensi contemnantur, dictaque ipsorum vilescant.

Vespasiani & Titi seueritas in detractores.

Vespasianus & Titus adeò calumniatores & detractores oderant, velut turbam in Reipublicæ perniciem natam, vt in Amphitheatro publicè

publicè virgis cædi & circumduci iuberent, in aliorum exemplum. Hìc quasi digito designare lubet ad simplicium instructionem in quo ferè decipi soleant, qui detractioni aures præbentes, huic malo redduntur obnoxij, vt etiam credant. Quãdo quis tam profligatæ est conscientiæ, tamque effrȩnatæ linguæ, vt malum de quoquam comminisci non dubitet, statim inuenit nescio quos qui fidem adhibeãt, quantumcunque sit malum, de quocunque confictum. Quæ est latens ratio tanti erroris tamq; facilis deceptionis? In eo consistit error; quòd potiùs credatur verum esse malum, quod etiã de bono narratur, quàm illum qui narrat, licet malum, mentiri. Hinc constat quod dico: quia tales creduli reprehensi vt plurimum respondent: Ille mihi dixit; & quare mentiretur? quasi verisimilius sit, virum bonum malum egisse, quàm malum fuisse mentitum. E contrà potiùs simili casu dicendum est: quare talis hoc faceret?

Quidni siquidem ita de Susanna opinari potiùs oportebat, quàm statim inueteratis illis in malo iudicibus simul & testibus fidem adhibere? Ratione illa potissimùm innocentiæ eiusdem suffragante quam Scriptura sacra suppeditat dum ait: *Nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna.* Et sic de omnibus quorum inconcussa hactenus fides & fama leui rumore luxatur eleuaturque. *Dan. 13.*

Exemplum immotæ constantiæ demirandum, in bona de mariti fide fiducia & existimatione, tradunt historiographi, vbi de Ottone 3. Imp. scribunt. Ipso siquidem eunte Romam, in itinere vxor eius Augusta, procax fȩmina oculos in Comitem formâ pulcherrimum coniecit. A viro castissimo passa repulsã, eum tẽtatæ pudicitiæ suȩ per calumniam apud Imperatorem accusat. Is comitem morte damnat, *nimis facile fidem vxori adhibens.* Vxor Comitis coram Imperatore pro tribunali sedente, de iniuria protestata, ipsum iudicem reum mortis accusat, capite mariti in medium proiecto; & ferri candentis attactu innoxio fidem facit. Imperator agnoscit, caput addicit suum, sed petit inducias. Actum diu apud mulierem actricem, diuq; frustra: tandem assensit, vt mulier Augusta totius mali causa, pro Imperatore luat. Itaque Imperator vxorem suam igne adiudicauit, viduamque tribus castris donauit; sicque suam vitam redemit. *C. Baronius tomo 10. ex Crãtio, &c.*

Oratio, ne aures detractori præbeantur.

GRatias tibi ago, Domine Deus, pro linguæ atque oris circumcisione mihi per tuam gratiam collata; sed ne per alterius detractionem cordis interiora commaculentur, aures meas vt spinis sancto tuo timore communias. Amen.

CAP. LVI.

Quid faciã, stomachãs dum quisquã iurgia iactat?
Quidquid agat, tacitas tu concoque fortior iras.



QVAM facile est hominem in voces etiam absonas incitare, tam est illum sedare difficile; præsertim si per iurgia & contentionem sit prouocatus: sicut quando vno gallo canente alij ad cantum excitantur, & vno cane latrante latrant omnes, nec facilè conticescunt. Per iurgia, in Interrogatione non intelligitur iusta ac debita parentum superiorúmve correptio: nam luce meridiana clarius est, illos cum omni humilitate, modestia, ac patientia esse audiendos, etiam dum agunt seueriùs; non tantùm absque obmurmuratione, sed etiam cum emẽdationis proposito. Ideoque eiusmodi superiorum vel seniorum correptionem, non iurgium, non rixas, neq; litigationem, vt pueri solent, meritò nuncupamus, sed dignam ac salutarem reprehensionem, aut commeritam obiurgationem. Per iurgia autem hoc Capite intelligimus contentionem, rixam, indignam verborum asperitatem, & inuectionem: quę potiùs ex immoderatione animi, quàm ex æqua ratione prorũpat. Vt solent inter se mordacibus & clamosis vocibus digladiari, qui neque ius aliquod neque legitimam corripiendi vel ita agendi potestatem in se mutuo habent, sed tantùm ex plenitudine cordis ac fellis amaritudine in se inuicem inflammantur ad maledicendum & contentiosiùs agendum. Quæritur igitur quid facto opus, dum quisquam stomachans talia iactat iurgia. Respondetur ex Sapientis sententia sic dicentis: *Non litiges cum homine linguato; & non strues in ignem illius ligna.* Innuentem videmus Sapientem, nos incẽsum magis magisq; ignem accendere, dum verbis verba refellentes, & iurgiis iurgia miscentes, quasi ligna semper noua in ignem litigatoris iniicimus. Per quæ, tantum abest vt extinguatur sopiatúrve, vt etiã vehementiùs axardescat: vt fieri videmus dum rixosas alterius voces similibus vocibus obtundere volumus. Ideò rectè Poeta moralis:

[Margin: Iurgia à correptione differũt.]
[Margin: Contentio rixosa.] A
[Margin: Non est contẽdendũ verbis. Eccli.8.] B

[Margin: Cato.] *Contra verbosos noli contendere verbis.*

[Margin: 2.Tim.2.] Quod & D.Paulus iisdẽ planè vocibus ad Timotheum scribens: *Noli contendere verbis.* Et verè, dum neuter alteri cedit, signum est vtrobique deesse humilitatem; iuxta Salomonis sententiam: [Margin: Prou.13.] *Inter superbos semper sunt iurgia.* Nam sicuti quilibet maior altero esse desiderat, ita neuter alteri cedere neque alterum tolerare vult. Abrahæ propterea commendatur humilitas, qui dum perciperet iurgia inter suos nepotisque sui Loth famulos ac pastores oboriri, eò quòd ambo ita ditarentur

[Margin: Abrahę modestia in contentione.] C D



Quid faciam, ſtomachans dum quiſquam iurgia iactat?
Quidquid agat, tacitas tu concoque fortior iras.

Als iemandt op my kyft, hoe draegh' ick my van deghen?
Wat hy ſeght, off bedryft, en kyfter vor niet teghen.

Lors que par furie, Quelcun m'iniurie, Doy-ie eſtre muet?
Garde en patience, Humble, le ſilence, Tu ſeras parfaict.

rentur & multiplicarentur, vt eos terra non caperet, neque ob bestiarum & substantiæ multitudinem, ampliùs simul possent habitare, dixit ad Loth: *Ne, quæso, sit iurgium inter me & te; & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est; recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* De talibus qui proximi cedunt asperitatibus, rectè Dominus noster ipse mitissimus: *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Durum duro non cedit, sed molle ac mite, vt si ictus tormenti bellici in saccum lanæ plenum dirigatur. Isti firmam patriæ cælestis ac viuentium terram æterna hęreditate possessuri sunt, quòd hîc ad tempus exiguo spatio & modica in re alteri cesserint. *Genes. 13.* *Matth. 5.*

Quod in Responsione habetur, Quidquid agat: innuitur, toleranter alterius esse ferendam animi impotentiam, quacumq; ipse eam ratione profuderit; siue manus complodat, siue altis clamoribus aëra, seu terram pulsarit pedibus, seu mare cælo misceat, & non tantùm iurgia sed & brachia iactet, aut similes inconditos modos vsurpet inter rixandum. Non tunc eum irrideas, irrites, vel quoquo modo, ad maiorem adigas intemperiem: sed eius infirmitati compatiendo, modestiâ seruatâ, te contine. Atq; vti rem ipsam fatear, si quo te modo vlcisci velles, eiusque retaliare maledicendi procacitatem, nescio quâ id commodiùs agas, quàm tacendo, nihil responsando, sed libera eius futilitati fræna laxando, vt quidquid volet effundat, donec ipse sua sponte fatigatus absistat. Lepidè & tamen seuerè satis D. Chrysostomus in hanc sententiam: Si vindicare vis, sile: & funestam ei dedisti plagam. Non ita tamen istud accipiendum est, vt eo quis modo obstinatus taceat, quo illi solent, qui tacita quadam agendi ratione irascentem litigantemque proximum magis exasperant & incendunt: sed sic se sub alterius procaci gerat loquacitate, vt patientem ac modestum Christianum decet, proximique imbecillitati concedentem. Si verò intereà hac declaranda modestia alter plus incendatur, maiorem ille sibi culpam acquiret, patiens verò cumulatius meritum. Acris vindicta taciturnitas. *Chrysost. super Matt.*

E Ita Tobias constanti vsus est tolerantia, quando vxor eius magna verborum acerbitate in eum inuecta est, spem ipsius in Deum ceterasq; virtutes exprobrās; immò vt veriùs dicam, eum irridens quasi ob benefacta in eam incidisset cæcitatem & calamitatem. *Manifestè,* inquit, *vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt:* hæc, sacra attestante Scriptura, irata ei respondit, & aliis huiuscemodi verbis eidem exprobrabat. *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis,* seseq. totum ad Deum conuertere. Quòd autem id ei Deus euenire permiserit, vt ad eius imitationem patientiæ clypeo muniri disceremus, eędem testantur sacræ Literæ: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut &* *Tob. 2.*

& sancti Iob. Nunc aliud mansuetudinis exemplar intueamur, contra rixosos dissidiorumque satores.

Genes. 26. Isaac tolerantia iniuriarum. Quando Isaac puteos foderat ad greges ouium adaquandos atque armenta boum, æmuli eius eos obstruxerunt implentes humo; quod cùm semel atque iterùm factitatum esset, tandem alium in torrente foderunt serui eius, *& repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua: quam ob rem, nomen putei ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt: appellauitq; eum, Inimicitias. Profectus inde, fodit alium puteum, pro quo non contenderunt;* (iam enim & loco & irę & calumniis cesserat præ mãsuetudine & inexpugnabili tolerantia) *itaque vocauit nomen eius Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Ecce, mites possident terram, etiam hîc: quia dum dãt exiguum æmulis locum, Deo disponente maiorem inueniunt. Hanc ob virtutem D. Paulus Corinthios mirè laudabat: *Sustinetis enim* (inquit) *si quis deuorat; si quis in faciem vos cædit.* Ratio tantæ præstantiæ præmittitur, qua alterius petulantia & peruicacia toleratur, dum idem sic inquit: *Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes.* Nam, quemadmodum verum est quod versu facilis, sensu grauissimus dicit Cato: (2. Cor. 11.)

Cato Distic. lib. 1. *Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere:*

ita etiam indubitatum est, Illum esse altero sapiẽtiorem, qui dum verbis contenditur, prior tacet. Ille enim hoc facto ostendit, se meliorem suæ linguæ suarumque affectionum esse magistrum ac dominum: quod cùm magnæ fortitudinis tum summæ prudentiæ est. Huic quadrat egregiè quod dicit Sapiens: *Vir prudens tacebit.* Vtque ostendat quàm efficax sit prudentiæ signum Taciturnitas, idem alibi: *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.* Hinc ipse Iob amicis suis, onerosis consolatoribus stultisq. consiliariis respondebat: *Vtinam taceretis: & putaremini esse sapientes.* Hinc ille versus optimè cum istis consentiens: Dum tacet, haud quidquam differt sapientibus amens. (Prou. 11. Prou. 17. Iob. 13.)

Diogenes Laertius. Solon Sapientum sapientissimus aliquando habitus, cùm in consessu quodam, vbi nulli non abundè suppeteret quod multis verbis proferret in medium, ipse solus taceret; rogatus à quodam num stultus esset, quòd nil diceret; respondit: Nemo stultus tacere potest. Indicans, silentium non stultitiæ sed sapientiæ esse argumentum; cuius etiam vsurpato pneudigmate stulti Sapientes appareant.

Lepidum remedium cõtra maledicentiã. Quid obfuerit, si his lepidum medicinale consultum adiecero, quod fœminæ cuidam à prudenti quodam viro datum fuit, contra mariti eius importunas voces, quas illa antea patienter & cum silentio ferre nequibat? Is satis in confesso esse existimans, impotentem

mulieris

mulieris linguam in culpa esse, vt vir ebrius domum rediens omnia sursum deorsumque verteret, atque in mulieris taciturnitate remedium omne consistere; dedit illi aquam, dicens: Statim atque maritum percipis domum remeantem, cochleare vnum huius aquæ in os sumito, eamque ibi tantisper teneto, donec illum super lectum suum modestè posueris: & parum admodum aut etiam nihil deinceps molestiarum habebis. Fecit quod iussa fuerat, & ita accidit vt ille prædixerat. Existimabat illa in aqua vim illam constitutam esse, & non in sua sic procurata taciturnitate. Quòd si multi seu viri seu mulieres statim ex hac aqua ore sumerent, dum alter lites mouere incipit; statim etiam omnis controuersia componeretur: at dum quisque vltimum sibi verbum deferri desiderat, quod merè stultorum est, tunc nullus est contentionum finis, nullumque remedium.

Sic namque reciprocâ altercatione contendentes similes ei redduntur cui Echo in conuallibus vel siluis non desinit responsare. Si etenim velit illam dicacitatis suæ finem facere, debet ipse sibi prior imponere silentium. Quid alioqui etiam mirum existimet, si tibiæ foramina stridere non cessent, nisi ipse primùm inflare desierit.

Lepidè sed tamen efficaciter obstruxit eiusmodi petulantium hominum ora Siciliæ rex quondam Agathocles. Cùm siquidem figulo patre natus, & rex factus aliquando vrbem quandam obsideret, quibusdam è muro conuitia in ipsum iaculantibus, dicentibusque; Figule, vnde militibus tuis persolues stipendium: Ille placidus ac ridens respondit; inde, cùm hanc cepero. At cùm iam vrbe vi potitus esset, venderetque captiuos; Si me (inquit) denuò conuitiis affeceritis; apud heros vestros querar de vobis: ciuiliter illis exprobrans & intempestiuam maledicentiam, & seruitutem maledicentiæ præmium. *Agathocles Siciliæ rex.*

His quadrat optimè, quod de Memnone legimus, qui quo tépore bellum gerebat aduersus Alexandrum pro Dario Rege, militē quendam mercenarium, multa conuitia petulanter iacientem in Alexandrum; hasta percussit; Ego, inquiens, te alo vt pugnes cum Alexandro, non vt illi maledicas. *Memnon.*

Oratio contra dissidia & contentiones.

OMnium corda, Domine Deus, in manu tua sunt, nec folium sine tua prouidentia ex arbore decidit: Da mihi quæso gratiam hanc, vt dum quis in me lites mouet, rubiginem animæ meæ verborum ipsius detergat asperitas; vt tanto maiore per patientiam resplendeat claritate. Amen.

CAP. LVII.

Quantulũ id eſt, ſi verbo etiã verba aſpra retũdam?
Hinc venti luctentur & hinc, fax fumet amoris.

QVIA durum hoc ac difficile factu videtur, audire multa & graui a, atque os ſuum continere; ideò iam interrogatur, quantulum id ſit, quídve vetet ſi verba aſperiora verbo ſaltem retundantur. Si quid iuxta Sapientis conſilium dicturus eſſes, nihil offenderes. Sic habet: *Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem.* Nihil obſtet itaque, quin alio iurgia mouente, tu molli reſponſo feruescentem eius animum temperes; ſed ne contra eum verbis contendas, ac maiora ſuſcites incendia, ſuperiùs doctum eſt. Hîc verò iiſdem inſiſtendo veſtigiis oſtenditur, quàm noxium hoc ſit futurum, ſi te quoque in reciprocam verborum contentionem ira exſtimulante velut in Euripum permiſeris abripi. Apta iſtud ventorum inter ſe concertantium, vel potiùs duarum feneſtrarum in quopiam cubili ſibi mutuò oppoſitarum ſimilitudine depingitur. Si enim in medio illarum candela conſtituatur, neceſſariò exſtinguetur, ſi feneſtram vtramque perflet ventus: ſin altera clauſa permanſerit, lumen poterit conſeruari; quod vſus ipſe commonſtrat. Ita ſi vno rixas mouente & os ſuum velut oſtium vel feneſtram pandente alter ſe continuerit, charitatis lumen in ipſo ſaltem non extinguetur: ſin ipſe quoque feneſtram ſuam pandẽs, verbis aſperioribus contendere cœperit & conuiciari, charitas vtrinque expugnata delebitur, & peccato vterque erit obnoxius.

A B C D E F

Prou. 15.

Quantum noceat, cõtra verboſos contendere verbis.

Similitudo à patẽtibus vtrinque feneſtris.


Charitatis iactura in contentione.

Optimè propterea Pſalmiſta lucernæ huic tam præſtanti parcebat, & tali exſurgente tempeſtate conſulebat; quod & nobis exemplo eſſe poteſt. *Poſui*, inquit, *ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui. Obmutui, & non aperui os meum.* Magnæ id prudentię eſt, ſic enim qui tacet, gratiæ integritatẽ, cõſcientiæ puritatem, & lumen charitatis illæſum ſeruat; & plurimum meretur illatæ ſibi iniurię & contumelię tollerantia; tot enim gemmas atq. vniones in capitis ſui ornatũ admittit, quod verba iniurioſa ſuſtinet.

Pſal. 38.

Qui verò conuicia ac iurgia in aliud congerit, totum animæ ſuæ nitorem infuſcat, & lumen charitatis in fœditum conuertit fumum, qui oculos mentis dolenter excæcat. Audiamus D. Gregorium maledicos graphicè depingentem. Quid aliud (inquit) detrahentes faciunt, niſi quòd in puluerem ſufflant, & in oculos ſuos terram excitant; vt vnde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Quod de detractoribus, de quibuſuis maledicis accipi poteſt, cùm

Greg. in Regiſt. Epi. 45.



Quantulum id eſt, ſi verbo etiam verba aſpra retundam?
Hinc venti luctentur, et hinc; fax fumet Amoris.

Is dat ſoo groot een quaet, dat ick wat teghen gleinſter?
Het licht der Liefde uytgaet, blaeſt veinſter teghen veinſter.

Et ſi lon replique, A la langue inique, Quel mal en reuient?
Comme la lumiere, Par ſouffle contraire, L'amitie ſ'eſteint.

cùm isti ęquè in terram sufflent, hoc est, in hominem ex terra creatum; qui ob id etiã terra & puluis appellatur. *Memẽto homo quia puluis es, &c.* In puluerem flat, qui in hominem conuicia euomit. Hoc autem patienti non nocet, sed inferenti iniuriam, qui puluerem flatu excitatum in proprios subigit oculos, vt suapte culpa excæcetur. sicut in Capite LIV. de sufflante in vasculum foraminosum detractoris occasione narratum est. Sicut igitur qui in cælum spuit vel lapidem proiicit blasphemando, non Deo neque cælo nocet sed sibi, dum hoc ipsum in caput eius relabitur: ita qui in proximum maledicta contorquet, & quasi in terram flat, non illi qui id tolerat, sed sibi magnum adfert nocumentum. Memento homo, &c.

Quòd si istam Philosophiam nobis familiarem redderemus, non solùm magno studio ab omni maledicẽtia linguam nostram refrænaremus, verùm etiam ad iniuriam ferẽdam essemus quàm promtissimi. Non tam soliciti essemus ad tuendum nos, ad incensi in nos proximi tela retundenda, ad turpem ac dispendiosam illam rixosæ contentionis victoriam obtinendam. Sed Christi & Sanctorum exemplo confirmati gauderemus & gloriaremur in sortis nostræ dignitate ac felicitate; quod nimirum sine contradictione tolerando, Dominum nostrum imitemur, qui quasi agnus coram tondente se obmutuit: & pro verbo vno patienter audito, vocem illam optatissimam audire mereamur: Venite benedicti Patris mei. *Isaiæ 53.*

D. Martini exemplo quę diximus collustremus, quem cùm Brixius adhuc Diaconus indignis non raro dictis modisq. lacesseret, etiã stultum, delirum, fatuiq. instar & amentis sursum spectantem appellãdo; nihil aliud sanctus ei respondit, quàm, Num ego tibi Brixi delirus videor? cumq. ille confusus hæc audiens, dixisse se denegaret: Nónne, inquit, aures meæ ad os tuum erant, cùm hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quòd obtinui apud Deum, vt post me ad Pontificatus honorem accedas. Sed noueris te in Episcopatu multa passurum. Brixius hæc audiens, iterum ridens, Nónne verum, inquit, dixi istum delirare? sed & presbyterij honore pręditus, sæpiùs beatũ virum conuitiis infestauit. Euenere tamen omnia vt sanctus prædixerat; & Brixius cum sancto sanctus factus est, & miraculis clarus. *Gregor. Turon. Hist. Franc. lib. 2.*

Oratio pro patientia iniuriarum:

QVandoquidem tam difficile est homini, iurgiis impeti & se non tueri; Da mihi Domine constantiam, vt os saltem meum contineam dum alterius lingua in probra resoluitur; ne charitas vtrimque lacessita emoriatur. Amen.

CAP.

CAP. LVIII.

Ecquid agũt, qui me fallunt, agitantque, notãtque?
Ad portum imprægnant flabris tua vela secundis.

Præstãtiora queq. Natura texit.

ADMIRANDVM Natura secuta cõsilium est, quòd optima ac præstantissima quæque exteriùs non admodum pulchro gratoque velamine texerit ac quasi occultarit. Aurum, argentum, aliaque pretiosa metalla, lapides raros, & similia alia ita in terræ secreta recondidit, vt eruta etiam terræ referant exteriùs speciem. Vniones, gemmæ, & lapides pretiosi partim in conchilibus & limacibus, partim bufonibus, & id genus inamœnis bestiolis reperiuntur, & prima fronte vilia, & visu ingrata videntur. Ita omnia ferè aromatum genera, si exteriorem consideres corticem. Intus verò omnia hæc pulchra, pretiosa & efficacia sunt. Ita de tribulatione censendum, quæ in afflictione, tolerantia, & aduersitate consistit. Sub quibus quantus thesaurus occultetur nemo facilè æstimarit; si quando rectè his vti nôrit. Vnde fit, vt maior pars hominum, quia exteriorem tribulationis adspiciunt speciem, ex veste horridiori nescio quid nonstri metuentes, eam vt noxiam, detestandam summoque studio fugiendam auersentur. Periti porrò rerum æstimatores, non attendentes quid foris appareat, sed quid lateat intus, eam amant & amplectuntur. Duo pręsertim commoda in illa considerant. Primum, quòd Christo Domino nostro per tribulationum tolerantiam, quantum quidem fieri potest, assimilentur: quod non minimæ est dignitatis, veste scilicet eadem quam ipse specialiter elegerit amiciri. Deinde, quòd tam rarus cælestium diuitiarum thesaurus despicato hoc velamine contectus pariter acquiratur.

Tribulationis reconditum prętium.

Qui vexãt vectant, & salutem nostram promouẽt. Mare est mundus.

Istud igitur quæritur, quid agant, qui nos mille modis vexant, rident, iniuriâ & probris afficiunt, in quibus omne tribulationis genus debet intelligi. Respondetur, ventum nobis illos prosperum suppeditare, quo celeriùs certiusque ad portum Regni cælestis deuehimur. Mare enim est magnum mundus iste turbulentus & vastus; per quod velis remisque ad vitæ æternæ patriam, velut vnicum salutis nostræ portum contendimus: vt felix propterea sit meritò dicendus quisquis secundo vento nauigat. A B C D

Gregor. li. 3. Cur. Past. ca. 35.

His non est absimile quod dicit D. Gregorius: In hoc mundo anima humana quasi more nauis est, contra ictum fluminis ascendẽtis: vno in loco nequaquã stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Mundi huius fluxus & naturæ nostrę propẽsio instar fluentis aquę semper ex se deorsum fertur, & ad deteriora delabitur. E

Ita



Ecquid agunt, qui me fallunt, agitantq; notantq;?
Ad portum imprægnant flabris tua vela ſecundis.

Wat doet hy, die my quelt, met lieghen, en bedrieghen?
V ſchipken hy verſnelt, en doett ter hauen vlieghen.

Fait on par le blaſme, Grand'plaiſe a mon ame, Quand i'endure a tort?
Le tort, et l'iniure, Que le iuſte endure, Le meine a bon port.

Ita quidem facilior proniorque progreſſio eſt, ſed nimis dolendus eſt exitus, quia in profundum abyſſi infernalis deducit. Hinc accidit, vt dum ſurſum ad virtutum altiora contenditur, viribus atque animo opus ſit, ſicut contra fluxum nitentibus. Dum enim contra naturæ inclinationem ad perfectionis promontorium vela pãduntur, totis illa reſiſtit viribus, & ſtupendas excitat difficultatum procellas, quę non raro inexpertos vel à cœpto deſiſtere cogunt, vel nimium de ſe confidentes in mortis æternæ vortices agunt.

Semper contra Naturę vt fluminis ictũ nitendum.

Quandoquidem igitur in turbulento hoc mundi pelago non licet ſubſiſtere: retrolabi autem, deficere & perire eſt; ideoque neceſſariò ſemper ingenti animo ſurſum ad perfectiora conandum; quis non videat quàm ſit optabile illa nanciſci præſidia, quorum ope felici naui-

Tribulatio ventus proſper.

F gatione portus vitæ optatus tandem obtineatur? Et ſicut tot tantiſque in diſcriminibus conſtitutis nihil gratius poſſit obtingere, quàm vt proſpero vento tumeſcant vela: ita maximæ eſt felicitatis, in ſpirituali noſtra nauigatione, iniuriis, opprobriis, vexationibus & detractionibus impeti. Si hæc à tergo, vt præſertim detractio, nos infeſtent; à puppi flans ventus ſecundus eſt. Sin autem in faciem, vt apertum conuicium, exprobatio, contemtus, & qualeſcunque demum tribulationes quæ à parte proræ flantes contrarij potiùs venti referunt ſpeciem; nihil refert: & venti illinc ſpirantes ad nauis noſtræ promotionem non mediocriter adiuuant. *Omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*: inquit Apoſtolus. Ij profectò ſunt Chriſtiani in hoc vocati, vt ſancti ſint, & æternã benedictionem hæreditate poſſideant. Sic enim & gnari naucleri vento etiam quolibet vti norunt: optant hoc vnum tantùm, ne nullus ſit ventus: ſit quicunque etiam contrarius, ad profectum inflexo ad latus velo velificantes vtuntur. Ita D. Auguſtinus de ſe ipſe teſtatus eſt, multa ſibi in vita accidiſſe, quæ cùm acciderent, aduerſa & fugienda videbantur, quæ tamen expertus eſt poſtea ſibi valdè fuiſſe bona, vtilia, ac ſalutaria. Idipſum ſi animaduertamus non raro contingit etiam nobis: adeò vt cùm aduerſis premimur gauiſuri ſimus Deoq. acturi gratias, ſi tum præſciremus quantum inde boni ſimus conſecuturi.

Rom. 8.

Auguſt.

G Præter vẽtorum talium proſperitatẽ in tribulatione conſiſtentium, etiam illud cõmodi conferunt toleratæ moleſtiæ, vt quãto maiores il-

H læ ſunt difficultatesq. copioſiores quę nos exercent, tanto nos illę Deo reddant propinquiores, & portui quem petimus: ſicut quò altiores erant aquæ diluuij, eò arcam & Noe, omneſque qui in ea erant, ad cælum excelſiùs euehebant. Si tam ardua res eſt, vt eſt, cælum cõſcendere, & montem Domini, vt ſtemus in loco ſancto eius; quis non ſe felicem reputabit, qui nouo quorundam adminiculo velut machinis diuinitus approbatis (quales ſunt tribulationes) eò attollitur? Duplici

Geneſ. 7.

hoc compendio tanto feliciùs fruitur Christianus, quanto ipse est melior sanctiorque. Nam cùm benè viuendo non paruum in nauigando profectum faciat, vt aliquādo tandem optatum contingat portum; tumentes insuper tribulationum vndas velut calcans, & ventorum insurgentium procellis in bonum vtens, tātum ad glorię coronam compendium facit, vt nauicula eius teli instar neruo emissi ad portum deuolet. Hæc est via & ratio, quam Sancti vt artis gnari sectati sunt; certaque animi deliberatione elegerunt: qua citius tutiusque eò pertingerent, vbi sciebant in æternum mansuros quicunque saltem semel accessum obtinerent. Hinc canit Ecclesia: Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, vt securi peruenirent ad palmam, & æternæ gloriæ coronam!

Marullus li. 5. ca. 2. S. Alexius.

Quàm egregiè istud S. Alexij exemplo collustretur! Hic Euphemiani Consularis viri filius, spreta generis nobilitate, sicuti voluntariæ paupertatis perpetuus obseruator, ita ad tolerandas iniurias patientiæ exstitit assiduus cultor: adeoque hanc quam modò tractamus felicem infelicitatem aduersitatumque prosperitatem adamauit, vt non tantùm in Syria mendici instar eleemosynis diu vixerit; & Romam reuersus annos decem & septē in paterna domo pro inope fuerit sustentatus: verùm etiam toto eo tempore à seruis domesticis indigna passus dureque exceptus sit; non se prodens neque de quoquam conquerens. Post mortem, & genus & vitæ sanctitas innotuit.

His & muliebris sexus exemplum adiiciam, vt ex vtroque prosperum hunc tribulationis & iniuriæ ventum discamus eligere, eosque qui nobis illum subministant diligere; sicuti recta nos ratio docet, omnia illa chara nobis esse debere quæ ad finem nostrum consequendum nos adiuuant. Nobilis Alexandriæ matrona, vt tradit Cassianus, Athanasium Episcopum adiens, sibi vnam ex viduis dari petiit, quæ Ecclesiæ impensis alebantur, cui ipsa benefacere posset. Ceterùm cùm petenti optima concessa esset, queri deinde cœpit non ex animi sui sententia sibi datam. Ea igitur restituta, deterrimam omnium accepit: dumque illi benignè humaniterque deseruiret, nihil ab ea nisi contumelias maledictaque referebat, verbera quoque interdum excipiens, ne quid ad exercendam animi tolerantiam deesset. Inde læta gratias egit Athanasio, quòd eam sibi tandem delegisset contubernalem, cui pro malo bonum, pro iniuria beneficium reddere assuesceret. Nam se ab illa priore (quoniam mitis & mansueti ingenij erat) officiis fuisse superatam. Sancta ergo & prudens fœmina eam sibi adsciuerat sociam, quam non tantùm liberaliter alendo pietatis meritum consequi posset (quod hauddubiè ad portum dirigit) verùm etiam constanter perferendo patientiæ adipisci mercedem: quod instar prosperrimi venti vela fecundat & secundat.

Cassianus. Nobilis matrona molestam viduam expetijt à S. Athanasio.

Rei

Rei similitudo, & exempli conformitas, me cogit quod sequitur præmissis adnectere. Eulogius presbyter Alexandrinus leprosum quẽdam domi susceptum iam per annos quindecim benignius quam dici potest aluerat: & tandem pro tanto pietatis officio conuitia excipiens, & ab eo, cui pro amore Christi, contemto contagiosi morbi periculo, suis ipse manibus ministrabat, cõtumeliis assiduè affectus, iam quid ageret nesciebat. Antoniũ ergo abbatem consuluit, vtrum illum dimittere deberet, à quo talia patiebatur. Vtriq; consultũ est, modicũ adhuc sustinerent, donec alter sicut pietatis ita & patientiæ meritum impleret; alter ingratitudinis vitia emendaret; ne grauiorem animi quam corporis lepram incurreret. Itaque cùm admoniti tranquillius manere simul cœpissent, Eulogius dies quadraginta superuixit, & leprosus die tertio post eum obiit. Dum Eulogius, saniore consilio vsus, ad pietatis officium etiam patientię munus adhibuit, affligentem se tolerando, atque in bono malum vincendo, & ipse duplici ditatus præmio felicius ad cæli portum appulit, & (vt sperandum est) suum secum persecutorem inuexit. *Palladius Hist. 26.*

Quidni & nos ita faciamus, quò certiùs ad optatum portum perferamur? In culpa est quod initio Capitis diximus: imperiti & iniqui interdum rerum æstimatores sumus. Hæc omnia quæ Sancti elegerunt vt vtilia licet vilia; nos externam inamœnam speciem exhorrescentes, rem licet pretiosissimam illis cõtentam contemnimus. Alioqui, si sciremus quẽ nobiscum habeamus in tribulatione, securiùs lętiusq. vela faceremus, quàm illi cui Cæsar metuenti dicebat: Ne time; Cæsarem & Fortunam eius tecum vehis. Aliter insonaret in aures nostras Christi vox illa: *Quid timidi estis? Ego sum. nolite timere.* Vobiscum sum in tribulatione, eripiam & glorificabo vos, & ostendam vobis salutare meum. *Appianus lib. 2. Bell. Ciuil.* *Psal. 9.*

Oratio pro patientia in tribulationibus, & iniuriis nominatim.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. quando ad te veniam? Da, vt omnem tribulationem patienter sustineam, & instar venti prosperi mihi cooperetur in bonum, vt tanto securiùs ad æternæ vitæ portum perueniam, quanto certiùs promisisti, te nobiscum in tribulatione futurum. Amen.

CAP. LIX.

Quid facit ille, malis qui non meliora rependit?
Ipse suam ob volucres animā transuerberat auras.

Malum pro malo non est reddendū.



SVADET nobis deprauatæ nostræ naturæ procliuitas, malū pro malo reddere, vt ab ipsa adolescētia experimur. Hinc pueri & etiā adulti simpliciores, causæ suæ bene se patrocinatos existimant, si cum veritate dicere possint: ipse me percussit prior; vel prior mihi iniuriam intulit: siue id verbo siue facto acciderit. Aliud est quando se quis licitè ac legitimè defendit, dum aliquis ipsi nocumentum in corpore, in fama, vel in bonis inferre molitur, quod inculpatæ tutelæ vocatur; hoc enim cuiuis est licitum; neque de eo hîc agitur: sed de vindicta quando se vlciscendi gratia non iam contra inferendum malum tuetur, sed pro illato vindicat.
Prou 20. Hoc prohibet Sapiens, his verbis: *Ne dicas: reddam malum pro malo.*
Idem 24. Idem alibi: *Ne dicas: quomodo fecit mihi, sic faciam ei.* Istud Deus po-
Leuit. 19. pulo suo inter alia quoque sic prohibebat: *Non quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Diuus Paulus apertis etiam verbis idem
Rom. 12. inculcat. *Nulli*, inquit, *malum pro malo reddentes.* Item ad Thessalonicenses, maiori id cauens solicitudine, sic scribit: *Videte, ne quis malum pro*
1. Theff. 5. 1. Pet. 3. *malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini inuicem & in omnes.* Quodque argumento est, radices egisse hoc in mortalium animis vitium nunquam non repullulascens, toties tamque crebrò iteratis
Hebr. 10. Deut. 32. verbis id vetitum legimus. Denuò ob id Apostolus: *Scimus qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Mea est vltio, inquit Dominus.* Et verè ita habet: si offensi ab aliquo qui nobis iniuriam intulit, recordaremur Deum iustum iudicem & vindicem illum reperturum, & dignas aliquādo ei pro meritis pœnas inflicturum; certè nos labore illo & molestia supersederemus; quin immò & nos eius misereret, si expenderemus quàm sit graue in manus Dei viuentis incidere. Dicit namque
Coloss. 3. ex æquo & bono Apostolus: *Qui iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit.* Sicuti latiùs Cap. LXI. dicetur, vbi de eodem latiùs ex professo, Deo volente, differemus. Neque tantùm vindictæ loco nos illius moueremur mi[illegible]ricordia, quia videlicet à Deo quod meretur accipiet, sed & meritò moueret miseria, in qua ob iniuriam alteri illatam constitutus est, si omnia penitùs excuteremus; tantum abest, vt vindictæ nos aliqua in eum cupiditas incitaret. Huc vel sola D. Ioannis Chry-

Conscientia vindex sui.

Chrysost. in Psal. 50. Isidorus li. 2. Soliloq. sostomi sententia quod sufficiat conferet; qua sic ait: Conscientia impiorum magna pœna est. Conscientia peccati, formidinis mater. Cùm igitur, teste etiam D. Isidoro, nulla pœna grauior pœna conscien-



Quid porro ille, malis qui non meliora rependit?
Ipse ſuam ob volucres animam tranſuerberat auras.

Wat doet den menſch verſtoort, die quaet met quaet verghelt?
Syn siel hy ſelf vermoordt, om datmen hem wat quelt.

Comment ſe reuange, Qui remet le change, Au mal qu'on luy fait?
Cruel a ſoy meſme, Par le couroux bleſme, Son Ame il defait.

conſcientiæ; quid eſt quòd ſic luenti ampliùs velimus infligere: præſertim cùm ex vindicta noſipſos potiùs læſuri ſimus? Hinc bene hoc Capite interrogatur; Quid faciat ille, qui pro malis acceptis mala ex vindicta rependit; haud dubiè ſibi nocet. Audiamus adhuc in hanc ſententiam D. Chryſoſtomum. Vindicta, inquit, in corde poſita, nocentior viperâ. Qui vindictæ cupiditate concepta meditatur malum, viperam geſtat in pectore. Et quis iuxta ſerpentem, nedum cum ſerpente in ſinu ſecurus dormiat? Dicitur propterea rectè in Reſponſione, talem ob volucres auras, hoc eſt ob rem leuem (qualis eſt omnis ab alio nobis illata iniuria, animam noſtram nihil lædens, ſed moleſtia tantùm aliqua afficiens) animam ſuam tranſuerberare, hoc eſt, occidere per vindictam. Quæ à D. Chryſoſtomo rectè vipera nominata eſt: quia ſicut vipera ſuum non aliter fœtum parit, quàm propriæ vitæ diſpendio, eò quòd proles matris vẽtre pereſo, in lucem prodeat, ac vi pariatur, materque vi pereat; ita vindictæ cupiditas, ſerpentis inſtar, eum à quo geſtatur in anima necat.

Chryſoſt. Homilia 48. ſuper Act. Apoſt.

A

B

C Quàm imprudenter & immaniter is erga ſe agat, qui vindictæ cupidus æſtuat vt malum pro malo reddat, ex eiuſmodi ſchemate queat intelligi. Statue tibi ante oculos duos viros, quorum alter alterum vulpinâ caudâ, aut ſi quid mollius eſt, circa caput atque aures leniter diuerberet, aut titillet potiùs; ille verò id indignè ferens, ac præ animi impotentia, ob eam rem velut intollerandã, vindictæ ſtudio, ſe ſuo met pugione confodiat; nónne ſtultus & inſanus ab omnibus iudicabitur? Ludus tantùm erat, volucres aures circa aures demulcens, præ illa clade quam ſibi ipſe conſciuit. Ita quidquid nobis ab alio iniuriarum ſeu verbo ſeu facto infertur, animam noſtram nihil lædit, immò exercet ad bonum: quando autem propterea vindictam concipimus animo & vicem rependimus, ipſi nobis noſtræque animæ letale vulnus per peccatum inferimus. Audiamus de his dignam Lactãtio ſententiam. Non minus malum eſt, inquit, referre iniuriam quàm inferre. Pro rei autem magnitudine, vel affectus animi qualitate, peccatum vel veniale tantùm, vel etiam mortiferum eſt; quod præſertim hoc tractatu notatur ac reprehenditur.

Qui malũ pro malo reddit, ſe necat ob rem ludicram.

Lactan. de Ira Dei.

Cogitare itaq. debet qui vindictæ ſtimulos in ſe ſuboriri percipit: Quid agam? Iniquè feram quòd me alius in modico videtur affligere; & quòd egomet maiori me moleſtia atq; iniuria afficio non feram iniquè? Alij iraſcar quòd me lædat; & non iraſcar mihi quòd ipſe longè grauius inferam mihi nocumentum? In alium inuehar cùm verè nihil lęſit; (quia nemo lęditur niſi à ſeipſo:) & mihi, qui ſolus mihi iniquus & inimicus ſum, parcam? De proximi iniuria vel minima vel veriùs nulla conquerar; & non potiùs de meiipſius in me iniuria, immanitate, & intoleranda inſania querelas omnes inſtituam? Quòd

Sibi potiùs iraſcẽdum.

 ſi mihi

ſi mihi, qui propriam per vindictam trucido animam, ignoſco; quare non ignoſcam proximo qui leue tantùm verbum dixit, nec floccum quidem vnum ſuo cõuicio de mea veſte decerpſit? Si me ipſe pro hoſte non odi cùm ſim; quare neſcio quod hoſtilitatis monſtrum ipſe mihi in proximo confingam qui verè nocuit nihil? Si quid nocere viſus eſt: qua ratione paruum damnum maiori compenſabo? Verè ita ſe habet. Quis illũ à delirio liberet, qui quòd veſtis eius laceretur, corpus ſuum in vindictam vulneret? Ita agit qui quòd exteriùs in aliquo videtur lædi, animam ſuam intus vindictæ cupidine ſauciat.

Apes luũt, dum ſe vindicant. *Chryſoſt. Homil.*

Solet pœna iſta temeritatis & vindictæ in apum morte punita vindicatione conſiderari. Quemadmodum enim illæ creduntur certam ſibi necem conſciſcere, poſtquam vindictæ ſtudio cuiquam qui moleſtiæ aliquid intuliſſe videbatur, aculeum, infixerunt: ita qui illatam iniuriam noua vlciſcitur, ſibi mortem animæ accerſit. Si igitur eſt animus, hoſtes noſtros nobis nocentes & inferentes iniuriam perſequi; à nobis incipiamus. Alioqui ſi tam carè (pretio ſcilicet animæ noſtræ ac ſalutis æternæ diſpendio) tantillum iniuriæ, immò iniuriæ vmbram tantùm vlciſcimur; quod erit pretium operæ, qua tam incomparabile damnum, animæ ſcilicet noſtræ internecionem vindicemus, cuius nos auctores exſtitimus? Heu, quàm parum hæc meditatio nobis cordi eſt! Ferino impetu ferimur potiùs quàm vt vlla ducamur ratione, dum in vindictæ cupiditatem abripimur; & vel ad verba contumelioſa erumpimus, vel quod peius eſt, ad arma & verbera conuolamus. Sed quid de iis dicamus, qui tantam feram, vindictam inquam, tranquillè per annos plurimos in animo geſtant & nutriunt? Humanum non eſt.

Pauſanias in Eliacis.

Statua hominem oppreſſit.

Quòd ſibi lethale nocumentum conciliant qui vindictæ dant operam, in euẽtu quodam mirabili quem ſubiiciemus, quaſi per ſpeciem quandam contemplari licebit. Theagenes Thaſius athleta nobiliſſimus ſtatuam pro laude promeruit: cumque iam è vita diſceſſiſſet; quidam ex eius obtrectatorum numero nocte qualibet accedens, eam flagris cædebat: non aliter quàm ſi in eo ære ipſum viuentem vlciſceretur. Cumque inexpletę eſſet cupiditatis vindictæ ſumendæ, pro moleſtia quam viri illius præſtantia liuido huius animo dum viueret inflixerat: tam diu æream eius ſtatuam afflixit & cecîdit, donec illa corruens in eum cecidit, eumque oppreſſit. Cui ille (quæſo) mortem ſuam alij quàm ſibi meritò poterat imputare? Ita qui per vindictam ſibi peccati vulnus & necem inferunt.

Curtius lib. 8.

Se necans ob vindictam.

De Dioxippo Athenienſi narrat Curtius, quòd violentas ſibi ipſe intulerit manus, vindictæ ſtultæ gratiâ, quia ei in conuiuio quodam obiiciebatur, quòd ſcyphum aureum ſuſtuliſſet. Probrum illud intuentiumq. oculi eò illum impotẽtiæ adegerunt, vt ipſe ſibi capitalis hoſtis

hostis & carnifex fieret atrocissimus. Ecce quàm graphicè hîc expressum videmus quod Responsionis versu continetur.

Quanto prudentiores, etiam Ethnici, qui iniuriam potiùs tulerunt! Socrates ictu calcis à quodam percussus patiẽter accepit. dumque ex assectatoribus quidam id iniquè ferens hortaretur vt hominẽ repercuteret: An, inquit Socrates, si meus me asinus percusserit, oporteat me continuò in quadrupedem recalcitrare? Dum aliàs insolens quidam iuuenis pugno faciem eius percussisset, nihil aliud egit: dixit tantùm, permolestum sibi esse, quòd nesciretur quando cum galea domo esset egrediendum. Hæc profero, non quòd Christianis exemplis non abundemus, sed vt à minori ad maius argumentemur: Si ita Ethnici, quid ergo Christiani? Vnum tamen omnium loco adiiciam. Cùm apud Alexandriam senex quidam Christianus infidelium turba constipatus maledictis impulsibusque agitaretur, & ab eo quærerent quid vnquam miraculi fecisset Deus eius Christus? Respondit: Hoc ipsum; vt iis quas infertis, atque maioribus non mouear neque offendar iniuriis. Ecce, patientia miraculi loco habenda est, vindicta verò atrocissimi latrocinij.

Sabellicus li. 5. cap. 7.

Fulgosius li. 3.

Cassianus.

Magnum miraculum patientia iniuriarũ.

Dignum planè, memorem esse Christianum exhibiti nobis à Christo exempli mansuetudinis: de quo sub ouis typo tam sublimiter Isaias: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur; & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Et verè Gregorius: Victoria non minor est, hostes tolerare quàm hostes vincere. Et Augustinus: Iniuriæ virum fortem probant.

Isaiæ 53.

Gregor.

Augustin.

S Bernardus id suo quoque comprobauit exemplo, qui Christi patientiam ac mansuetudinem assiduè ruminans, illam etiam in se, dum daretur occasio, exercere conatus est. Venit itaque aliquando ad eum nescio quis monasticam professurus vitam; qui monitus ab eo, posse quidem & alibi eum proficere, si velit, ceu repudiatus eum pugno percussit. Fuissent qui aderant confestim vlti iniuriam, nisi eius, qui erat iniuria affectus, intercessisset auctoritas; oportere hunc dictantis aliis ignoscere, cui toties à Deo ignosceretur.

In vita S. Bern. lib. 3. cap. 6.


Oratio pro mansuetudine & tolerantia.

DOmine Iesu, speculum absolutissimæ mansuetudinis: Da mihi spiritum filiorum Dei vt citra vindictæ cupiditatem, omnem iniuriam perferam, internamq; animi quietem custodiam: quia vbi vera quies est, tu Deus deesse non poteris Amen.

CAP.

CAP. LX.

Non frangi aduersis, vbi per compendia discam? Hoc lege descriptũ Flagris, Cruce, Sãguine Christi.



QVÆRITVR hîc optima ratio addiscendi patientiam, idque per compendium, hoc est, minimo negotio facillimoq. labore. Patientia est virtus moralis, qua aliquis voluntariè mala ab extrinseco illata, æquo animo (hoc est, sine animi perturbatione) tolerat, propter meliora bona quæ sperat, ne videlicet ea perdat. Materia & obiectum patientiæ sunt tristitiæ, afflictiones, & tormenta ab extrinseco prouenientia, siue illa à Deo propter peccata, siue ad probationem virtutis, siue à diabolo, mundo & carne ad tentationem immittuntur. Finis patientiæ est melius bonum, scilicet virtutis & meriti inde prouenientis. Nemo enim sponte sufferret quod cruciat, nisi pro eo quod delectat; eò quòd animus secundùm se abhorret à dolore & tristitia. Vnde nunquam eligeret ea, nisi propter aliquod bonum, quod magis desideratur, quàm horreantur & odio habeãtur tristia & mala. Sic incus fert verbera vt ferrum cudatur. A

Patientia.


Gregor. in Dialog. Patientes martyres sunt.

Tanta est virtutis huius laus & excellẽtia, vt Diuus Gregorius, vna sententia dicat quicquid ferè dici poterat. Ego, inquit, virtutem patientiæ & signis & miraculis maiorem credo. Atq; adeò amplius: Sine ferro & flamma martyres esse possumus, si patiẽtiam in animo veraciter conseruamus. Quid quæso in omni fortitudinum genere laudablius præstantiusque esse queat, quàm palma martyrij? Hæc laus, ista gloria contingere tibi potest, si patientiæ virtutem colueris. Audiamus Christum hac de virtute testantem, cui non tantùm vt æterna Veritas, verùm etiam vt infirmitatem nostram omnimodamque expertus patientiam, de ea optimè potest statuere. Didicit enim nouo modo, quod alio antè sciebat, quid sit pati, quantique sit præmij. Ita is igitur: *In patientia vestra poßidebitis animas vestras.* Nonne præstantem omnique exceptione maiorem rem eam esse oportet, per quam quod pretiossimum est, animam inquam nostram, seruatam custodimus, perditam lucramur, & gloriosè in æterna beatitudine possidemus? Id profectò neque tota mundi sapientia, neque omnibus facultatibus, neq. vniuersa potentia conficiatur. Rectè vt in hanc sententiam dixerit Salomon: *Melior est patiens viro forti.* Qui omnia scilicet in robore corporis, fortitudine bellica, & rebus præclarè coram mundo gerendis constituit. Habemus pretiosum animæ nostræ thesaurum in vase fictili corporis huius: Princeps huius mundi & inferni diabolus eam deprædari contendit. Quid consilij, vt eam ita inter

Luc. 21. Virtus patientię.

Prou. 16.

tot



Non frangi aduerſis, Vbi per compendia diſcam?
Hoc lege deſcriptum Flagris, Cruce, Sanguine Chriſti.

Wie ſal my beſt van al, hier Patientie leeren?
De Gheeſſel, Croon, en Gal, en theylich Cruys ons Heeren.

Quel exemple enhorte, Que paiſible on porte, Les maux, et le tort?
L'iniure felonne, Le fouet, la couronne, Et du Chriſt la mort.

tot diſcrimina, tamque cruentos hoſtes cuſtodiamus, itaque hîc poſſideamus, vt eam in æterna gloria tranquillè poſſidere valeamus? nullis armis, nulla vel viri vel equorum fortitudine, nulla humana induſtria id efficias citra patientiam: quam ſi habeas, animam quoque in æternum, vt antè diximus, poſſidebis: quia inuicta eſt patientia: iuxta verum illud dictum: Qui patitur, vincit.

In Hiſtor. Saxonic.

Quare mirum ſanè videri poteſt, cur patientiam non plures exerceant; etiam qui alioqui ea tempore pacis & quietis pollere videntur. Illis comparandi ſunt tales, qui ciſtas ſuas & ſcrinia omnis generis veſtibus, etiam hiemalibus, refertas habent, & tamen dum ſæua hiems ingruit, & horrido omnia frigore conſtringuntur, veſtes tempori conuenientes non induunt. Patientes omnes videmur dum fauent omnia, dum nihil aduerſi contingit: at quando in minimo etiam ſolo verbo probamur; docet vſus & experientia non tam inſtructam nos domi habere virtutum ſuppellectilem quàm nobis perſuaſum habebamus. His ritè quadrat quod dicit Sapiens: *Vaſa figuli probat fornax: & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Dum ſoli ſuauique auræ tantùm exponimur, omnibus nobis arridentibus, valdè patientes videmur, & eſſe etiam putamus: ſed quando fictile noſtrum vas fornaci tentationis imponitur, tunc verè apparet quid ſit in rei veritate; tunc teſta noſtra diſſilit, & in verba impotentis animi crepitu erumpit. At, qui ignem tribulationis perfert, vt vas perfectum, vſui bono cedit. Et quoniam fornax iſta probationis ſemper in promtu eſt, ideò ſemper etiam nobis aduigilandum, vt ſic probemur, ne velut indigni reprobemur. His ita conformiter loquitur Auguſtinus: Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua. Quia ſcilicet, dum nunc laudat nunc vituperat, nos vt vaſa figuli probat. Quis non videat igitur, quandoquidem ita eſt, etiam quotidianam noſtram curam & ſtudium eſſe debere, hanc fornacem probationis per tribulationem quamcunque, ſemper ante oculos & ad manum habere & obſeruare?

Quibus ſimiles ſint, qui patientiam habere ſe credunt, ſed nunquam vtuntur.

Eccli. 27.

Fornax probationis.

Auguſt. li. 10. Conf. cap. 37.

B Poſtquam modò de Patientię præſtantia, vtilitate, & neceſſitate diſſeruimus, nunc ad Interrogationis & Reſponſionis explicationẽ accingamur. Quærebatur, qua via & ratione, facillimè minimoque
C negotio ad huius virtutis acquiſitionem perueniri queat. Dicit Reſponſio; Lege hoc deſcriptum in Flagris, Cruce, & Sanguine Chriſti. Hoc eſt, da operam Paſſioni Chriſti, & morti eius intimo cordis amore meditandæ, & facilè ac ſuauiter diſces patientiam, quam alioqui duris aſperiſque præſcriptionibus obſeruandis ſine patientia nunquã
D addiſceres. Quando enim per memoriam paſſionis & tormentorum, quæ Chriſtus pro nobis ſuſtinuit, ad triſtia perferenda procedimus, tunc faciliùs ſuſtinemus: quia patientia charitate fulcitur, omniaque ardua facit tolerabiliora. Huc figura illa ſpectabat, quando lignum

Patientia qui arte cõparetur.

Memoria Paſſionis Chriſti.

Exod.15. dulcorauit aquas Marath, quæ bibi non poterant. Sic lignum Crucis, hoc est Passio Christi in carne suscepta, & deuotè considerata dulcorat & facit potabiles amaras tribulationum aquas, quas alioqui difficile esset ebibere. Vnde D. Gregorius: Si passio Christi ad memoriam reuocetur; nihil adeò amarum est, quod non æquo animo toleretur. Ideò S. Paulus nos ad eius reminiscentiam hortatur, dicens: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem; vt non fatigemini animis vestris deficientes: non enim vsque ad sanguinem restitistis.*

Gregor.

Heb.12.

Apoc.5. Liber crucis. Possemus quasi librum ingentem, apertum, Christi passionem, immò Christum ipsum super pulpito crucis expansum, intus & foris scriptum oculis cordis intueri: in eoque, præter immensam sapientiam, potentiam, & bonitatem; stupendam quoque legere charitatem, misericordiam infinitam, mansuetudinem inexplicabilem, incomparabilem humilitatem, & obedientiam, & quod modò vrgemus, sole splendidiorem patientiam, vt in speculo omnibus Christianis vnicè imitandam. Hic liber, hic magister, hæc lectio, hæc methodus patientiam addiscendi compendiosissima. Perlustremus omnia quęcunque homini in hac vita possint obtingere aduersa, in fama, bonis, corpore, amicis, & in omnibus corporis membris, ac sensibus, animæque facultatibus: quid est, cuius non possit in Passione Christi reperiri exemplum, quo, qui iam patitur, doceatur, excitetur & adiuuetur.

Bernard. super Cant. serm.43. Quocirca S. Bernardus: Ego ab ineunte mea conuersione, pro aceruo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Tu quoque, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam: atque hunc myrrhæ fasciculum nec ad horam à pectore tuo patieris auelli: amara illa omnia, quę pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens. Hoc pictura illa designat, qua S. Bernardus omnia Passionis Christi instrumenta in fascem collecta inter vlnas suas complectitur, hac sacræ Scripturæ subiecta sententia: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Quod nihil est aliud, quàm Christi pro nobis passi assiduè cum gratiarum actione recordari, animumque in afflictione constitutum, vel stantem confirmare, vel labascentem fulcire, vel etiam lapsum erigere, tam salutari atque efficaci remedio, vel naribus tantùm animæ languentis applicito. Huc spectabat D. Petrus dum sic inquit: *Christo igitur in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.*

Fasculus. myrrhę.

Cant.1.

1.Pet.4.

2.Reg.15. & 16. Rex Dauid vt singularis Christi figura ac typus, à filio ciuitate & regno pulsus, trans torrentem Cedron ibat flens, nudis pedibus, & oper- E

&c operto capite; magnæ patientiæ exemplum præbens; præſertim cùm à viliſſimo homine Semei audiebat: *Egredere, egredere, vir ſanguinum & vir Belial.* Cumque Abiſai dux ſtrenuus iniuriam hanc vlciſci volens diceret regi: *Quare maledicit canis hic moriturus domino meo regi? vadam, & amputabo caput eius. Ait rex: Quid mihi & vobis eſt filij Seruiæ? Dimittite eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid.* Dauid trās torrentem Cedron.

F Iob ſimiliter raræ exemplum patientiæ de ſe exhibuit: quando non ſolùm amiſſis direptiſque omnibus, etiam toto corpore ita afflictus erat, vt in ſterquilinio ſedens ſaniem defluentem teſta raderet: verùm etiam vxor ei importuna atque extremè grauis eſſet, ad blaſphemiam per impatientiam laceſſens: *Benedic Deo*, inquiebat, *& morere.* *Iob.2.* Exemplar patientię.

Si illi totque alij tam patientes fuerunt priuſquam liber patientiæ compactus expanſuſque eſſet, quid nos dicturi ſumus in die Iudicij, quando ille liber & conſcientiarum omnium libri aperientur, ſi neq. poſt tot exempla, totq. pręſidia gratiarum patiētes inuenti fuerimus.

Pro more habebant Æthiopes, vt ſi rex membro quopiā eſſet mutilatus, amici quoque eius eodem ſe mulitari curarent, turpe exiſtimantes ſi regi ſuo parte illa non eſſent ſimiles. Sic S. Bernardus indecorum iudicabat, ſub coronato capite membra eſſe delicata. Sed multi Cliſophum Philippi Macedonis paraſitum imitantur, qui, vt Athenæus refert, claudum ſe fingebat, quòd Philippus crus fractum haberet: os oculoſque idem contorquebat, dominum in geſtibus imitans.

Meritò ob id pudore ſuffundamur, quòd cùm toleranda non ferimus æquanimiter, neque ipſi etiam Chriſto compati conuincimur; cui tamen omnes in cruce compaſſæ ſunt creaturæ. Sic D. Hieronymus: Omnis creatura compatitur Chriſto morienti: ſol obſcuratur, terra mouetur, petræ ſcinduntur, velum templi diuiditur, ſepulchra aperiuntur. Solus miſer homo non compatitur, pro quo ſolo patitur Chriſtus. *D. Hieron. ſup. Matth.*

Vnde rectè D. Auguſtinus, Chriſtum crucifixum expendens, inquit; hæc quanta ſint, cogitate; hæc in ſtatera veſtri cordis appendite; vt totus figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. *Auguſt.*

Oratio pro impetranda Patientiæ virtute.

PEr tuam nos, Domine Ieſu, Paſſionem liberaſti & docuiſti: ita, quæſo, crux tua cordi meo imprimatur; vt & fructi Paſſionis tuæ frui merear, & Patientiæ exemplo erudiri, vt ſalutem piis promiſſam ſine fine poßideam. Amen.

CAP. LXI.

Quid lucrer, obliquans socios liuore maligno?
Ipse tibi, ante omnes, sis carnificina doloris.

MIRABILIS interrogandi modus, vt interdum etiam respondendi nouitas, absurditatem & peregrinam rei interrogatę naturam ac conditionem subindicant. Exempli gratia, ad ostendendū quàm malè & stultè agat qui alteri inuidet, interrogatur quid lucretur eiusmodi. Ac si diceretur: Euidenti aliqua atque efficaci me ratione doceto, quàm imprudens sit, quantamque loco lucri iacturam faciat, qui laborat inuidiâ.

Inuidus sibi priùs nocet quàm alteri.

Responsio dicit, talem sibi priùs nocere quàm alteri; adeò & sibi carnificinam esse, maiusque inferre tormentum quàm quisquam ei inferre queat: & quidem illo illæso quem inuidiæ facibus insectatur. Simile ab eo sumi posset, qui stricto gladio alium inuadens, se, dum ictum librat, priùs in capite sauciat quàm illum tangat; iuxta illud: *Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet:* aut, qui alium titione ardente, vel candenti ferro impetens, se priùs in manibus adurat, quàm qui terrebatur quidquam sentiat lęsionis. Sic & inuidus facit. Nam inuidia ignis est pestilens, in corde inuidi scintillans & æstuans: quo cùm alium hostiliter persequitur, se, intacto alio, priùs affligit. Ita D. Hieronymus præ rei indignate exclamans: O inuidia, primùm mordax tui! Istud & Sapiens alia similitudine aptè describit: *Putredo ossium inuidia.* Illa enim robur spiritus ac præstantissima quæque consumit in homine, qui eam in animo fouet, quæ instar ossium virtutum compagem sustentat. Ethnici quoque sub hoc genere contagij eam sunt detestati: Sicut rubigo ferrum, ita inuidia inuidos consumit. Et alius: Inuidus hostis est sibi ipse. Huic cōsonat Poetæ dictum: Inuidia supplicium suum est. Et alius longè seueriùs, ad rei seueritatem quàm proximè accedens, sic inquit: Inuidiâ Siculi non ineunêre tyranni Maius tormentum. Pro ipso scilicet inuidię auctore & fautore: quia tametsi alterum petere videatur, suum tamen patrocinatorem primùm arripit, ibiq; hæret, & in eius penetralibus velut serpens aut flamma grassatur, neque vllam ei quietis vel pacis spem facit reliquam, quandiu illic fuerit hospitata. Rectè ideò forficibus inuidi comparatur, quòd illæ se vsu proprio mordeant deterantque.

Psalm. 7.

Inuidię detestatio. *Hieron.*

Prou. 14.

Laërt. lib. 6. Menand. Ouid. 2. Metam. Horat. lib. 1. Epist. 5.

A B C

Multum quoque ad inuidiæ detestationem facit, quòd illa instar pessimi cuiusdam animalis, optima quæque, prætiosissima & pulcherrima sibi deligit quæ inficiat, conuellat ac destruat; quod si nequit, saltem



Quid lucrer, obliquans ſocios liuore maligno?
Ipse tibi, ante omnes, ſis carnificina doloris.

Wat wint den armen dwaes, die een ander benydt?
Hy queſt hy ſelf (eylaes!) eer hy een ander ſmyt.

Que gaigne l'Enuie, Qui touſiours eſpie, La vie d'autruy?
Auant qu'elle greue, Perſone, ſe creue, Son coeur gros d'ennuy.

ſaltem obſcuret & deprimat. Ideò meritò D. Baſilius ita eam depingit: Inuidia arma diaboli. Item amplius: Inuidia diabolum facit diabolum; alioqui enim adhuc angelus eſſet lucis. Et ſicut illa in cælum peſtem hanc optima quæque corrumpentem inuexit; ita & in mundum. Sic ſapiens: *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Nam non ſolùm primos noſtros parentes cum tota ſecutura progenie morti corporis atque animę obnoxios reddidit, & ex Paradiſo profligauit: verùm etiam primum homicidium in terra patrauit. *Propter quid enim Cain occidit Abel? quia opera eius erant mala, fratris autem eius iuſta.* vt teſtatur D. Ioannes. Inuidebat fratri ſuo meliori deterior, perſequens virtutem vitio. Ecce inuidiæ pernicioſam conditionem, præſtantiora ſemper impetentem: vt Ariſtoteles eam merito fortunatorum antagoniſtam appellarit; & qua ſuum ſemper in primis auctorem excruciat (quod modò præcipuè tractatur) Socrates animæ ſerram eſſe dixerit. Nam tametſi etiam in iam dicto exemplo Cain fratrem occiderit, ſe tamen priùs in anima proprio mucrone perfodit, Neque verè fratri nocuit, ſed eum excellentiſſima martyrij corona donauit, ſe verò æternæ damnationis culpa obſtrinxit.

Baſil.
D *Sap. 1.*
E *Geneſ. 4.* *1. Ioan. 3.*
F
Fortunatorum antagoniſta, Animę ſerra, inuidia.

Eum ſequuntur omnes quotquot inuidiæ ſtimulis agitantur, ſicut Apoſtolus benè deſcribit: *Væ illis qui in viam Cain abierūt.* Quia cùm per ſe illa ſatis damnabilis ſit, primi tamen auctoris diaboli exemplo fit longè funeſtior. Nam ſicuti nullum dilectioni peccatum perinde atque inuidia contrarium eſt, ita nullum æquè contraria lege compenſabitur. Charitas ſumma æternæ vitę corona; inuidia verò profundiſſima gehennę condemnatione. *Iudæ Epiſt.*

Huc ſpectat quod hunc in modum ſcribit Hieronymus; Oro te quid inuido delectationis præſtat inuidia? quem ſecretis quibuſdam conſcientiæ vngulis liuor ipſe diſcerpit; & alienam felicitatem tormentum facit? his conſentiens D. Gregorius, inquit. Nil lætum de propriis lubet, quia tabeſcentem ſua pœna ſauciat quem felicitas torquet aliena. Et quanto operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis liuore profundius ſuffoditur: vt quo alij ad melius properant, eo ipſi deterius ruant.

Hieron. epiſt. ad Demet. *Gregor. li. 5. Mor.*

Oratio contra inuidiam.

Sicut filiorum tuorum, Domine, ſignum eſt charitas, ita inuidia ſeruorum ſatanæ nota certiſſima: Da vt ita corda noſtra dilectio repleat, vt nullus ibi inuidiæ aut diabolo locus ſit reliquus. Amen.

CAP. LXII.

Qua ratione meos vlciſcar pleniùs hoſtes?
Aggere candentes inimico in vertice prunas.

Vindictę ſanctę conſilium.

QVINQVE aut ſex præcedentia Capita de tolerantia iniuriæ & afflictionum agunt, ſine inuidia, talione, aut vindicta: ſed non omnes capiunt verbum hoc, neque omnium animi ita moderati ſunt, vt his ſe pacari permittant, vtque inulti ſibi quiduis inferri patiantur: quocirca aptiſſimum talibus hîc conſilium datur, qui aliquo ſaltem modo vindictæ cupiditati facere volunt ſatis. Sic enim & D. Paulus gloriandi cōſilium ſuggerit iis qui non poſſunt non gloriari. *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur.* Ita modò nos: Si qua ratione te de tuis hoſtibus vlciſci deſideras, candentes prunas in caput illorum aggerito. Credo equidem animo tuo, quantumuis vindictę cupido, factum iri ſatis, ſi eò anguſtiarum tuum hoſtem adigas tibique ita ſubiicias, vt vſque ad ſummum verticem in igne conſtituas, vel ignem ſaltem ſuper eius verticem ſtruas: qua enim via illum manifeſtiùs in tuam redactum conſtet poteſtatem; quàm ſi hæc tibi in ipſum liceant? quid amplius vel in hoſte requiras? Quid inquam; amplius optet quis, quàm vt quod in hoſte damnatur id corrigatur, & ipſe euadat melior? Aliàs crudelitas eſſet, inhumanitas, ac beluina ferocia; ſe in pœna & cruciatu tantùm alterius, licet hoſtis, oblectare.

2. Cor. 1.

A B

Iſtud & Gentiles non ignorabant, neque non execrabantur. Crudelitias, inquit Seneca, minimè humanum malum eſt. Ferina iſta eſt rabies. Et quod amplius eſt, non ſolùm homo naturâ tantam abhorret immanitatem vt ſe alterius oblectet pœnis; verùm etiam, dum neceſſe eſt de quopiam pœnas ſumere, pœna ei ſit. Sic Lucianus in hanc ſententiam appoſitè: Viro natura bono, neceſſitate autem ſeruo, multo durius eſt de aliis quàm de ſe ſumere ſupplicium. Immò quod vicinius ad ſcopum præfixum accedit, ſic inquit Diogenes: Humanum habetur, vltionem inimici, ſi quando per occaſionem inciderit, negligere. Verùm enimuerò, vt dixi, ita accipe: Non vis ignoſcere: neque iniuriam pati ſine vindicta eſt animus: vlciſci deſideras quà dabitur. Agedum igitur, accingitor, hoſtem arripe, & in ignem vltra caput conſtitue: ardentes carbonum globos ſuper verticem eius accumula. Egregiam (quis neget?) victoriam nactus es, teque vltus abundè.

Seneca.

Lucianus in Phal.

Diogenes.

A B

Propheta regius hanc pœnam inter maximas recēſet quibus Deus de peccatoribus vindictam ſumit, dum ſic ait: *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deiicies eos: in miſeriis non ſubſiſtent.* Ac ſi dicat: Impij miris ſe mo-

Pſal. 139.



Qua ratione meos vlciſcar plenius hoſtes?
Aggere candentes inimico in vertice prunas.

Hoe ſal ick my dan hier, van mynen vyandt wreken?
Ghy moet hem colen vier op ſynen cop onſteken.

Quelle eſt la vengeance, Qui le mieux s'eſlance, A vanger mon tort?
Va combler de braiſe, Le teſte mauuaiſe, Qui te hait a mort.

ſe modis iactitant aduerſum te tuoſque ſeruos; Cogitauerunt iniquitates in corde; tota die conſtituunt prælia: Funes extenderunt in laqueum,&c.nihil non agunt quo te ad iram prouocent,ſed dignam de eis vindictam ſumes,non euadent:quemadmodum olim in Sodomitarum vltionem è cælo ignem miſiſti, ita ſuper iſtos è cælo cadent carbones, & in ignem eos præcipitabis: tantisque eos afficies calamitatibus, vt in eis ſubſiſtere nequeant. In miſeriis præcipuis quoque hoc eſt in peccatis, non perſeuerabunt: victi cedent & conuertentur. Ecce quàm acris vindicta tibi in hoſtem tuum conceditur, quiſquis vindictæ es cupidus. Immò & conſulitur vt amplectaris: vt hoſtem tuum in eas anguſtias cogas, vt victum ſe fateatur, neque in miſerando hoſtilitatis ac peccatorum ſtatu diutiùs perſiſtat; ſed agnoſcens culpam ad veniam conuertatur & gratiam; & ex inimico amicus fiat; & probus ex improbo. Hoc ſiquidem longè laudabilius eſt & optabilius, quàm hoſtem in hoſtilitate internecioni dare. Apud omnes enim nationes vſitatum hoc legitur, vt eiuſmodi victoriæ plurimùm laudentur, per quas hoſtis minimo cum diſpendio, maximo autem cum lucro atque incremento virorum, diuitiarum, & ciuitatum, in victoris commodum conquiritur: nam tales victoriæ etiam victis ipſis ſunt vtiliores. Tali modo hoſtem tuum, de quo vindictam deſideras ſumere, ſubiugatum tibique ad omnia obſequentem habiturus es; & ipſi quoque erit optimè conſultum. Modus autem ſumendi vindictam, vt iam dictum eſt,in duobus ſequentibus Capitibus clariùs explicabitur.

Victoriæ nobile genus.

Laert lib. 1. cap. 5. Plutarch. Panor. de geſtis Alph. lib. 1.

Non illepidum interim neque inefficax ſed tamen paratu facile, conſiliandorum animorum ſchêma ſubiiciam. Arriſtippus inimicitas exercebat cum Æſchine; & cum quidam dixiſſet; O Ariſtippe, vbi vobis veſtra eſt amicitia? Dormit,inquit, at ego eam excitabo. Et ad Æſchinem accedens, inquit, Adeon tibi videor infortunatus aliquis eſſe,& incurabilis vt ne admonitione quidem dignus ſim? At Æſchines; Non mirum, inquit, ſi, cùm in omnibus me præcellas ingenio, hic quoque prior videris, quid facto eſſet opus. Nimirum ſuaui alloquio,& amico congreſſu, etiam quæſito.

Ariſtip. & Æſchin.

Oratio contra vindictæ cupidinem.

TV piiſsime Domine Ieſu pro tuis crucifixoribus exoraſti;vt & nos tanto alieniores à vindictæ ſtudio redderemur: Doce nos ita hoſtes noſtros tolerare atque diligere, vt eos tibi per patientiam ac charitatem lucrifaciamus,& cum ipſis pariter tecum collætemur. Amen.

CAP.

CAP. LXIII.

Qui modus, vt quod ais ſine ferro aut vulnere fiat?
Hunc ſi opus eſt operi: ac potu ſolare ciboque.

Carbones ignis ſuper caput hoſtis aggerere.



ON ſine ratione id modò interrogatur, quia antequam hoſtem tuum in ignẽ coniicias, aut quod difficilius eſt factu, carbones ardentes ſuper caput eius congeras; ſine dubio illum priùs aut vt id permittat inducere, aut ſi nolit, cogere oportebit. Fore autem vt inducas, parum affulget ſpei; vt autem inuitum cogas, qui modus vt id ſine ferro aliave armorum violentiâ conficiatur? Nam veriſimile eſt illum reluctaturum, & hinc amaram pugnam oborituram. A B

Opera charitatis exercendo.

Reſponſio dicit: hunc, ſcilicet hoſtem tuum ſi opus eſt operi; & cibo ac potu ſolare. Nouum verè vindictæ genus, illa in hoſtem exercendo, quibus charitas demonſtrari conſueuit. Mirum non eſt admirandam videri nobis illam vindicandi rationem; nam ex altero nobis orbe & cæleſti regione prouenit, vnde omne datum optimũ & omne donum perfectum deſcẽdit, de ſurſum ſcilicet à patre luminum. Qui procul in extremas mundi plagas proficiſcuntur, libenter inde etiam res raras & nunquam viſas referunt. Ita D. Paulus non fruſtrà in tertium cęlum prouectus fuit, vbi inter multa arcana etiam iſtud inſolitum didicit ſtratagema. Poſtquam ſiquidem Romanos commonuiſſet, ne ſe conformarent huic ſæculo, nulliquc vnquam malum pro malo redderent, ſed darent locum iræ, nouum iſtud vindictæ ſubiecit genus, dicens: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Hæc ſine dubio mitiſſima & ſuauiſſima via eſt. Quando namque dux aliquis militiæ hoſtilem aliquem exercitum aut etiam ciuitatem cupit expugnare, optimam id conſequendi rationem excogitat; ſiue per aſtum, ſiue per inediam, aliámve coarctationem, aut ſuauem aliquam tranſactionem. Hìc ſecretum inauditumque vincendi hoſtem conſilium ſuggeritur, per famem, ſitim, rerumque neceſſariarum penuriam, quò ſine clypeo aut haſta, verbere aut vulnere, illum in tuam redigas poteſtatem. Audi quomodo vir quidam ſanctus hanc debellãdi hoſtis induſtriam extollit. Nobile, inquit, victoriæ genus, ignoſcere victo. Nobile verè, ſuaue, ipſique victo perutile: vtilius longè quàm ſi ipſe victor euaſiſſet. C D E

Iac.1. *Rom.12.* *Prou.25.* *Hugo lib. 3. de anima.*

4.Reg.6.

Ita fecit Propheta Eliſeus, dum miſiſſet rex Syriæ equos, & currus, & robur exercitus, vt eum comprehenderent, ad eius orationem omnes cæcitate percuſſi ſunt; dixitq. tum eis: *Non eſt hæc via neque iſta ciuitas:* F



Qui modus, vt quod ais, ſine ferro, aut vulnere fiat?
Hunc, ſi opus eſt, operi; ac potu ſolare, ciboq́;.

Werdt dat met ſynen danck? en ſonder ſlach, oft ſtoot?
Verleent hem ſpyſ, en dranck; en cleedt hem, heeft hyſ noot.

Comment ceſte cure, Pourra ſans bleſſure, Mon mal reuanger?
Donne luy a boire, A ſon beſoin, voire, Habits, et manger.

uitas: sequimini me, & ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam; eiusque iterùm petitione, hallucinatione illa remota, velut detracto glaucomate viderunt se esse in medio Samariæ. Cumque rex Israel percutere eos vellet, prohibuit Eliseus, dicens: *Non percutias, sed pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant & vadant ad dominum suum.* Appositaque est eis magna ciborum pręparatio: & comederunt & biberunt, & dimisit eos, abieruntq. ad dominum suum. *Et vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel.* Hostilitas in eis charitate profligata fuit. Sicuti enim in naturalibus oleum calcem extinguit, eandemque accendit aqua; ita in politicis, hominis irati animum nulla interdum vi franges, sed charitate placabis. Exercitus hostilis cibo potuq. refectus.

Vtque ostendat Apostolus te tali modo & nobiliter victorem, & abundè futurum vltorem, addit: *Noli vinci à malo: sed vince in bono malum.* Rom. 12. Ac si dicat: Victor esse quilibet naturâ malit quàm victus. Si malum pro malo rependere incipis, & irascenti irasci, tu quoque & te vindicare; iam à malo victus es turpiter. Nam illud te in suam redegit potestatem? sicut ab aqua ignis vincitur, quando eius iniectione extinguitur. Sin verò tu hostem non hostiliter sed in charitate tractaueris, eiusque malum tuo viceris bono; victoriam nactus es perinsignem, frigidam quasi per vitia eius naturam, tuæ dilectionis igne calefactam ad tui similitudinem pertraxisti: illeque à naturali sua discedens proprietate, in tuam transit conditionem. Sicuti aqua ab igne vincitur, dum eius frigus calore ignis superatur & calescit.

Rationem efficaciæ in tam generosa victoria consequenda satis ad rem nec sine laudis augmento diuus Ioannes exponit his verbis: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra:* 1. Ioan. 5. in quacunque quidem ratione vincendi, sed speciatim in hoc genere: quo iuxta Fidei nostræ instinctum omnia nostra disponimus, ad recta agenda, mala toleranda, & malum in bono vincendum; illudque insuper, vt diximus, ex malo in bonum conuertendum: quod nominatim patientiæ, mansuetudinis, & charitatis virtute perficitur. Hoc nobile absolutumq. victoriæ genus, pro meritis ita depinxit Propheta: *Ipsi conuertentur ad te: & tu non conuerteris ad eos.* Ierem. 15. Ratio victoriæ & vindictæ tam salutaris absolutè sequenti Capite describitur.

Oratio ad bonum pro malo rependendum.

Dum benè, Domine Deus, considero singula, nemo verè læditur nisi à seipso; neque quisquam quàm egomet mihi nocentior est: quocirca da vt tali omnes mihi aduersantes complectar amore; vt in amicitiam conuertatur hostilitas. Amen.

CAP. LXIV.

Hísne queam infensum debellare artibus hostem?
Crede, amor extinctũ tuus inflammabit amorem.

Expeditissima ratio subiugandi hostem:



QVIA res mira hæc est, ideò tertia iam interrogatione mouetur: cumque duabus superioribus demonstratum sit, optimam vindicandi rationem esse, si hostilem in verticem carbones ardẽtes congesseris: idque tum fieri, quando cibum potumque ei vel aliud quo indiguerit subministras, opus charitatis in eum exercendo: eamque esse expeditissimam vtilissimamque viam, qua hostem tibi adeò subiicias tibique facias obsequentem, atque si pro tuo lubito illum in igne vltra verticem constituas, faciasque de eo quidquid adlibuerit: nunc ideò absolutè rogatur, quæ sit ratio consulti factique: vt talibus artibus infensus hostis debelletur, & fiat amicus. A B

Per vim amoris.

Respõsio dat apertam rationem: Nempe amor tuus hoc facto amorem illius extinctum inflammabit. Ideò naturæ nostræ conditor & cognitor Deus hoc consilij nobis suggessit: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Charitatis tam insolitæ flammantes scintillæ, ex corde sic inimicum diligentis prorumpentes, etiam cor inimici paulatim accendunt. Vis ea est siquidem veri amoris, prout in Cantico Canticorum legimus: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum:* quæ videlicet proximo non solùm lucent in exemplum, sed eum quoque rapiunt in incendium. Hoc cantu illo etiam Ecclesiæ ad Tertiam quotidie inculcatur: Flammescat igne charitas: Accendat ardor proximos. Sicut enim nemo ignem in sinu gestarit quin se fumo & flamma tandem prodat; ita qui charitatis igne ęstuat, oculis, ore, spiritu toto, totaq. agendi ratione se adeò manifestat, vt proximus quisq. percipiat permoueaturque. Sic in hanc sententiam dicit D. Augustinus: Nulla est maior prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando. Nimis enim durus est animus, qui dilectionem etsi nolebat impendere, nolit rependere. Et verè mirabile est ac notatu dignum, humanum animum, tametsi bruti animalis instar aut feræ more conciliari nescius videretur, moueri tamen & flecti ad moderationem & amorem amoris efficacia: qui nulla neque malitia neque violentia eò adduci potuisset, nec morte quidem ipsa: ea vis est Charitatis. C D

Luc 6. *Cantic. 8.* *Augustin. de Catech. rudib.*

1. *Reg.* 24. Saul Dauidis amicitia superatus.

Pulcherrimo id exemplo in sacræ Scripturæ historia videmus expressum in Dauide & Saule: illo huic non nisi optima quæq; semper volente & procurante; isto verò illi malam mortem tam aperto Marte quàm per cuniculos assiduè moliente. Cumque tandem in speluncam E F



Hisne queam infensum debellare artibus hostem?
Crede, amor extinctum tuus inflammabit amorem.

Hoe? salmen door weldaet, synen vyandt verwinnen?
Siend' u liefd' en ghelaet, hy sal u vor beminnen.

Celá peut il faire, Plier l'aduersaire, Qui est endurcy?
L'amour de ton ame, Fera, qu'il s'enflamme, A t'aimer außy.

ſpeluncam leuandi oneris gratia ſeceſſiſſet, in qua Dauid cum ſuis latitabat, illique eum hortarentur, vt hoſtem ſuum quaſi à Deo ſibi in manus traditum neci daret, pepercit ei Dauid, tantumque clamydis oram abſcidit, quò conſtaret poſtea, quàm illi commodum fuiſſet eum perimere, ſi fuiſſet animus. Vt & accidit, cùm egreſſo Saule de ſpelunca Dauid poſt tergum eius clamauit, & dixit: *Domine mi Rex. Et rege poſt ſe reſpiciente; inclinauit ſe Dauid pronus ſuper terram adorans eum*; remque omnem ei claris & pacatis verbis explicuit. Quibus ita permotus fuit Saul (nam & patrem eum Dauid appellabat) vt vbertim lacrymans voce leuata clamaret diceretque Dauidi: *Iuſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicaſti mihi hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occederis me. Quis enim cùm inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi viciſsitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me.*

Ecce quis non exiſtimet ſe iſta in theatro conſpicari potiùs quàm tantùm legere? Saul qui in apertum campum cum ſuo exercitu Dauidem deleturus aduenerat, aperta voce, fuſis lacrymis, blando ſermone, coram tribus militum milibus, ſuam fatetur culpam, victum ſe à dulci charitate cognoſcit. Quis ad tale ſpectaculum non moueatur? Quis veræ dilectionis vim nõ admiretur? Quis de hoſte ſuo talibus artibus emolliendo deſperet? Quiſquis cum altero diſſidia nutrit, & pacem tamen optare videtur, ne dixerit; implacabilis eſt & intractabilis: nulla cum ipſo de concordia ineunda iniri poterit ratio: actum eſt; æternam & immortalem eſſe ſimultatem neceſſe eſt. Fallitur quiſquis ita leuiter ſentit. Nihil Saule ferocius & immanius: nihil tam extra omnem ſpem videbatur, Ionatha filio ipſius toties fruſtra attentante, quàm efferatum in Dauidem regis animum placare: cùm tamen innocens non tantùm eſſet Dauid, verùm etiam fideliſſimus miniſter & amicus ſingularis. Si igitur potuit tam obduratum & coniuratum in Dauidis necem cor emolliri officiis charitatis; quid erit quòd quis animum deſpondeat in inimici reconciliatione, ſi his mediis fuerit vſus?

Adhortatio ad diſſidentium conciliationẽ.

Quiſquis adhuc victum te necdum agnoſcis, vt tali arte ac Marte hoſtem vincas; per officia ſcilicet charitatis hoſtilem eius animum ita incendendo, vt igne amoris colliquatus in alium planè (amicum videlicet) transfundatur: hîc tu mihi præcipua tam generoſæ victoriæ tropæa in vnum collecta contemplare, &, ſpero, mouebere, vt amplexeris. In primis animi atq. affectus tui domitor, victor, ac rex euadis, dum ira compreſſa vindictæ cupiditatem in tolerantiam, & quod eſt amplius, in amorem conuertis. Deinde inimici tui malitiam frangis, & facis amicum. Laudem ob hæc magnam, magnamque

Lucra reconciliationis animorum.

 apud

apud Deum mercedem promereris Animam tuam conſeruas quę periclitabatur, & hoſtis tui perditam lucraris. Excellentiſſimum Saluatoris noſtri exemplum (qui vt nos ex inimicis amicos faceret, pro nobis eſt mortuus) ad viuum imitatus es: & præſtantiſſimum perfectionis ſpecimen tali facto præſtitiſti. Ecce quot laudes, quot commoda, & quanta mercedis accumulatio in vno eodemque actu conſiſtunt.

Val. Maxi. li. 5. cap. 9. Pugna affectus paterni cum filio dyſcolo.

Exemplum his ſubiiciam admirandæ eiuſmodi victoriæ & conciliationis ſtupendum, ſed non imitandum. Id narrat Valerius Maximus. Ignoti quidam nominis patercùm à filio necti ſibi inſidias comperiſſet, nec inducere animum poſſet, vt verum ſanguinem ad hoc ſceleris progreſſum crederet, ſeductam vxorem ſuſpicans, ſuppliciter rogauit ne ſe vlteriùs celaret, ſiue illum adoleſcentem ſubieciſſet, ſiue ex alio cõcepiſſet: aſſeueratione deinde eius & iureiurando ſe nihil tale debere ſuſpicari perſuaſus; in locum deſertum filio perducto, gladium quem ſecum occultum attulerat tradidit, ac iugulum feriendum præbuit; nec veneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus eſſe affirmans. Quo facto, non paulatim, ſed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit; contiuoque abiecto gladio: Tu verò, inquit, pater viue: & ſi tam obſequens es, vt hoc precari filio permittas, me quoque exſupera. Sed tantùm quæſo, ne meus ergate amor eò ſit vilior, quòd à pœnitentia oritur. O ſolitudinem ſanguine meliorem, pacatioreſque penatibus ſiluas, & alimentis blandius ferrum; ac mortis oblatæ quàm datæ vitæ felicius beneficium! Elucet quidem hîc ſcintilla quædam eius quod tractauimus, vincendi ſcilicet hoſtilem animum per pietatis ac charitatis officium: ſed non imitandum dixi: propter periculum in occaſione peccati, quæ alij datur.

Plutarchus in Reg. Apopht.

Verùm aliud ſubnectamus mitius, noſtroq. propoſito meliùs quadrans. Antiochus, cùm vrbem obſideret Hieroſolymam, Iudæis ad maximum illud feſtum celebrandum ſeptem dies petentibus, non ſolùm eos conceſſit, verùm etiam tauros auratis cornibus adornatos, magnamque thymiamatum & aromatum vim vſque ad portas vrbis cum pompa ſolenni deduci iuſſit: traditaq; illorum ſacerdotibus hoſtia, ipſe in caſtra redijt. Iudæi verò regis benignitatem admirati, protinus à feſto peracto, in fidem illius ſeſe dederunt.

Marul. li. 3. cap. 3. Charitatis victoria.

Chriſtiana nunc exẽpla proferantur, multis alijs quàm ipſamet innuunt rationibus caſibusq. imitanda. Amos Ægyptius, dum in eremo manenti panem quo in diem veſci ſolebat, furto ſubtraherent homines impuriſſimi, duas ſerpentes cellæ cuſtodiæ appoſuit, quarum afflatu illi cùm furandi animo propiùs acceſſiſſent ſemineces cõcidêre; eos tamen ſuperueniens. Chriſti ſeruus manu quemque prehenſans erexit,

erexit, & criminis blanditer arguens ad pœnitentiam inflammauit; atque ita amplexus est vt ex furibus monachos faceret. Nunquid suppilari se doluit, qui suppilatoribus suis tam se benignum præstitit? non vt vlcisceretur inimicos, custodiam serpentibus mandauerat; sed vt deprehensos à flagitiis auerteret & iungeret Christo. Hæc virtus & præstantia mansuetudinis, patientiæ, & charitatis. Frequentiores tales victoriæ cernerentur, si sanctum hoc stratagema magis esset in vsu. De S. Christina simile quid legitur, quomodo amorem amore prouocarit, & quidem etiam serpentum occasione. adiiciam. Virgo ista & martyr pro fide ac veritate horrendos constanter perpessa est cruciatus. Cùm autem etiam serpentes in eam missæ fuissent, sed mordere omnino nollent; veneficum à quo ad mordendum irritabantur inuadentes, rabidis ictibus multaque veneni vi statim interimunt. At Christiana sui ipsa carnificis vicem dolens, Christum precata & serpentes in fugam conuertit, & ab eis peremtum ad vitam reuocauit: & eundem iam credentem ad certam beatitudinis spem erexit. En quot lucraremur animas, quàm gloriosa quotidie compararemus nobis tropæa, si spiritum Christi & Sanctorum sequentes, qui vnus est, de spiritu nostro sublimi remitteremus, & charitati insudaremus.

Ibidem *Sur. tom. 4. S. Christina.*

At quia tam inhumani quidam sunt, vt humanis exēplis non moueantur, bruti animalis mitigatam officio pietatis atrocitatem proponamus. Feritate insigni inter bruta omnes pantheram putant, & tamen à Demetrio Physico traditum est, cùm in fossam pantheræ catuli cecidissent, matrem in celebrem viam profectam; cùm hominem conspicata esset, leniter vt poterat mordicus apprehensa eius veste, ad lacum in quem catuli considerant deduxisse. Vir ille vbi causam agnouit, quæ feram vt eum illuc deduceret impulerat, ei catulos à fossa eduxit. Panthera vt officium officio rependeret, meritíque tanti gratiam referret, per totum illud iter hominem prosecuta, ab aliis eum feris hostibusque defendit. Fera itaque omni ferociorem esse oportet, qui benefici in se animi propensione ad redamandum nō inclinatur.

Demetr. Physic.

Oratio vt inimici amici fiant.

DA nobis Domine Iesu spiritum tuum, qui S. Iacobum, & S. Stephanum ad tui imitationem pro persecutoribus docuit exorare; ac deprecor, vt quotquot mihi molesti sunt, omnes amoris tui radio inflammati, mecum in æterna gloria collætentur. Amen.

CAP. LXV.

Ebria, dum Baccho obruitur, quid turba laborat?
Vt cute curata ſidant in Tartara ouantes.

MENS non eſt, huius Interrogationis occaſione, omnem hîc ebrietatis turpitudinem, beſtialitatem, omnimodamq; abſurditatem producere; neque incommoda vniuerſa recenſere, quæ per eam homini in tẽporali ſubſtantia, in corpore & præcipuè in anima ſolent euenire. Nam etiamſi toto hoc libro nihil præter eam tractaremus, eique pro vno hoc centum capita attribueremus, non minima adhuc ex parte pro meritis deteſtandum hoc vitium exciperemus. Intendimus autem tantùm, tali modo interrogandi & reſpondendi innuere, ac quaſi extento indicare digito, quàm inſipienter & inſanè agant, qui crapulæ & ebrietati dant operam, dum tamen tam bellè rem ſibi agere videntur.

Ebrietatis inſania.

A

Quæritur itaque, quid laboret tantoque ſtudio moliatur & agat ebrioſorum turba, dum Baccho obruitur. Reſponderetur; hoc agere tantis impenſis totque moleſtiis, vt ouantes, lætoque animo, benè curata cute ſidant, ſeſeque quaſi ſponte dimittant in Tartara. Quæ maior demẽtia? Dicit rectè & ad rem Seneca: Ebrietas nihil aliud quàm inſania voluntaria. D. Chryſoſtomus verò crebris eam ſententiuncularũ quaſi iaculis conficit; dum ſic ait: Ebrietas excæcat ſenſus. Ebrietas mater ſcortationis. Ebrioſo aſinus melior. Aſinus ſiquidem aquatum ductus ne verberibus quidem adigi poterit, vt plus quàm opus ſit bibat: poſt potum ferendis oneribus perficiendoque itineri aptior eſt. Ebrioſus ſe potu prægrauat; & tunc nec rectè incedere, nec orare, nec boni quidquam facere poteſt. Ebrietas (inquit iterum voluntarius eſt dæmon. Non tantùm quaſi dæmon quiſpiam cum ebrietate ſponte intromittatur, ſed & ipſe ebrioſus in dæmonem voluntarium tranſmutetur, ſuamet hoc operâ procurans: non tantùm quoad internam coram Deo animæ ita deformatæ cõſtitutionem, ſed etiam quoad exteriorem omnem agendi rationem. Ecquid enim aliud eſſe videatur quàm malignus aliquis ſpiritus, homo ebrietate in omne vitiorum genus deſpumans? ad omnem impudicitiam atque impudentiam, ad omnem inhoneſtatem, nequitiam, rixas, cædes, execranda periuria, & mille malitias aptior, quàm vt boni quidquam aggrediatur, vel cogitet? Omnia in ſe & extra ſe domi & foris ita inuertit, turbat, & deſtruit, ac ſi dæmon verè eſſet: adeò vt dæmoniacum faciliùs compeſcas quàm ebrium. Breuiter: homo potu captus ſuus non eſt, perditus quaſi totus, neſcit vbi vel qui ſit. Senſus ſopiti, intellectus ob-

Seneca epiſt. 84.
Chryſoſt. ſuper Geneſ. Homil. 29. ſuper Matt. Homil. 59.

B

C



Ebria, dum Baccho obruitur, quid turba laborat?
Vt cute curatâ ſidant in Tartara ouantes.

Welck is dronckaers bedryf, als ſy ſoo droncke drincken?
Haer ſelf in ſiel en lyf, met vreucht ter hellen ſincken.

Que fait vn yuroigne, Qui gourmant ne ſoigne, Qu'a wider hanaps?
Riant il va boire, De la poiſon noire, Du lac de la bas.

ctus obrutus, turbata memoria, virtutes animæ ac corporis fractæ, ipseque totus insensiblis & quasi extra se. Vbi est igitur? & quo illa omnia euaserunt? Idcirco rectè dicitur de tali, quòd absorptus sit à potu, quem ipse nimium absorpsit: demersus & sepultus est, perditus est. Sicut enim qui in aquam lapsus à fluctibus & vorticibus quantus quantus est, absorbetur, vt planè iam de eo conclamatum sit: ita de ebrio & potu obruto iudicandum est; qui ita totus gurgite ebrietatis haustus euanuit, vt nesciatur nesciatque ipse vbi sit, quid & quò euaserit. Ideoque præclarè magnus Chrysostomus: Ebrietas seipsam ignorat. Aptè congruenterque subdit rationem: Ebrietas tempestas est tam in animo quàm in corpore. Quemadmodum Iudæorum rabies & procellosa in Christum inuidia, quę tantis intumuit fluctibus, eoque insaniæ prouecta est, vt eum è medio sublatum turpissimæ morti dederent, tempestati maris comparatur, dicente Propheta sub eius nomine: *Veni in altitudinem maris; & tempestas demersit me*: ita immoderata ac furibunda illa ebrietatis insania rectè tempestas dicitur, quam contra se ebriosi excitant, & in quam se datâ operâ læti ridentesque coniiciunt: quaque ita absorbentur, vt se totos in eâ deperdant. vnde aptè D. Augustinus: Qui eam habet, seipsum non habet: nam à fluctibus & vorticibus quibus absorptus est, habetur. Adeoque se ipse non habet neque alius quispiam, vt etiam in nihilum cum ipso peccato redactus sit, quo nihil magis nihil est. Sic idem doctor: Qui ebrietatem facit, non peccatum facit, sed ipse totus est peccatum. Peccatum verò, nihil est, & nihili fiunt homines, atque adeò nihil, dum peccant.

Chrysost. de Ieiun. Ser. 1.

Psal. 68.

Aug. super Ioannem.

O cæcas hominum mentes! ita sui obliuisci! ita se sponte in vitiorum pelagus iacere! sic sensus, rationem, iudicium, consilium, intellectum, totamque animam sponte deponere! sic brutis fieri magis ab omni ratione alienos! ita dæmonibus comparari, & fieri dæmones deliberatione voluntatis! Sed quæ hæc insania? vnde istæc tanta excæcatio in homine ratione prædito? Addit D. Augustinus sententiam, quæ nobis ad istud indagandum viam sternat. Ebrietas, inquit, est blandus dæmon. ac si dicat: Horribile sit dæmonem tetrum sponte & cum voluptate imbibere; verùm quia blanditur, arridet, adulatur, mille lenociniis ingressum in hominem obtinet, à quo alioqui procul erat arcendus.

August.

Huc spectat quod Sapiens præcauet, ne quis talibus illecebris decipiatur. *Ne intuearis vinum*, inquit, *quando flauescit: ingreditur blandè; sed in nouissimo mordebit vt coluber; & sicut regulus venena diffundet.* In hac quidem vita post voluptates multa sequuntur incommoda, mordentque amarè, & atrocia venena diffundunt, quæ blandè adrepebant: sed in extremo illo nouissimo (post mortem) dum vermis qui nō moritur

Prou. 23.

ritur ſemper recrudeſcentibus morſibus miſeram animam lancinabit, premet momentum præcipuum.

Ebrioſi ſe ouantes in tartara demittunt.

D Reſponſio his quadrat, quòd ebrioſi ouantes in tartara ſe demittant, vt & in imagine exhibetur. Nam omnia redundant iocis & riſibus inter pocula; omnes ſe mutuò ad hilaritatem & ad æquales hauſtus magna cum animorum exultatione prouocant: & interim miſerandum illud ſuæ damnationis opus ridentes procurant, & ſtrenuè promouent. Non poteſt enim non eſſe verum quod dicit Apoſtolus: *Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt*: ergo ad tartara deſcendent. Et quia per ebrietatem hoc committunt; dum ſe inebriant, ſe quaſi volentes in infernum demittunt. Quàm concinnè iuxta huius tractatus rationem hoc ipſum Propheta Iob deſcribit, his verbis: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

1.Cor.6. Iob.21.

E Quando D.Paulo Damaſci inſidiæ ſtruebantur vt comprehenderetur à Fidelibus per feneſtram in ſporta dimiſſus eſt per murum; & ſic effugit manus perſequentium, ſeruatusque eſt. Ita de Dauide legimus: *Depoſuit eum Michol vxor eius per feneſtram. Porrò ille abijt & aufugit atque ſaluatus eſt.* At ebrioſus dum ſe inebriat, perinde facit ac ſi artem iſtam in ſui perniciem verteret: ac ſi animam ſeque totum in ſporta poſitum, & fune lento manu altera prehenſo, ſuauiter in os inferni demitteret: quot hauſtus ſumit, tot nobis ſemper trochleæ gyris ſaburra potus deprimente deſcẽdens: tanto certæ damnationis diſcrimine, quanta eſt fili vitæ huius caducę tenuitas. Quid hoc aliud eſt, quàm inſaniæ veriſſimæ modo ouando atque hilariter exultando æternas gehennæ amplecti miſerias? F

Act.9. 2.Cor.18. 1.Reg.19.

Legimus de quibuſdam, qui præ nimio potu ad inſaniam redacti ſunt: quales fuere Cleomenes Lacedæmonius, Anacreon Lacydes, & ſimiles. Quibus & Darius annumerari poterit, cuius ſepulchri inſcriptio ſatis arguit quàm vinolentus fuerit; quæ talis erat: Potui & multum vinum potare, & hoc probè ferre. Verùm beluina hęc inſania nihil ad eam, quâ animæ certa & immẽſa procuratur amẽtia & amiſſio.

Ælianus var. Hiſt. lib.2. cap.41.

Exempla ebrioſorũ.

Operæ pretium fuerit in memoriam reuocare, quomodo etiam ebrietas ſuos dominos maximosq. cultores internecioni tradat: quòd ſaltem pręcipuam quam vrgemus calamitatem aliquatenus adumbrabit. Omittam modò innumeros profanæ hiſtoriæ ebrioſos enectos ob crapulam. Ex ſacra Scriptura aliquot proferamus.

3.Reg.20. Iudith.12. & 13.

Bennadab rex Syrię temulentus in tabernaculo ſuo habebat maximam bellatorum multitudinem, & triginta duos reges ſecum, & tamen victus fugatusque eſt per pueros principum Prouinciarum. Holofernes bibit vinum vltra modum, quãtum nunquam in vita ſua biberat. Sopitus ebrietate, à Iudith ſanctiſſima fœmina in tentorio ſuo occiſus eſt, fugatusque totus ille ebrioſorum exercitus. Nabal ſe potu nimio

nimio & cibo obruens etiam iucundè se in barathrum sponte deuoluit. Sic legimus: *Ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium regis: & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis.* & post paucos dies: *Percussit eum Dominus, & mortuus est.* 1.Reg.25.

Balsasar rex Babylonię in pleno fluxu sacrilegi sui conuiuij *præcepit iam temulentus vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Hierusalem; vt biberent in eis rex & optimates eius, vxoresq; eius & concubinæ.* Cumque biberent & laudarent deos suos, in medio ebrietatis feruore, *apparuerunt regi digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ*: quæ scriptio ita eum perculit, totumque ita in horrorem & stuporem conuertit, vt morti proximus videretur: & eadem nocte interfectus est. Daniel.5.

Sed quid coronidis loco prædictis adiiciam? Dionysij Syracusani mirabile factum, in maiorem digrioremque ebriosorum contumeliam. Is etsi tyrannus, tamen id præcipuum habuit, quòd ei semper displicuerit ebrietas. Vnde cùm reliquos sontes grauissimis plecteret suppliciis, furibus tamen vestium, qui illas clàm in cœnis & prandiis potui deditis auferrent, ignoscebat: vt Syracusani ebrietatibus quibus erant infames abstinerent. Et nos Christiani quanto magis hac in parte circumspecti ac vigiles esse deberemus, & sobrietati operam dare, cùm infernales fures non vestium sed animę raptores semper adstent parati; vt eam cum omnibus virtutũ ornamentis suffurentur. *Plutarchus in Apologia ad Traianũ.* Furti permissio ad tollendam ebrietatẽ.

Meritò saltem quod Ægyptiis in more erat exterreat: qui in epulis suis cadauer proponebant, vel, vt alij malunt, cranium in conuiuium inferebant, tradebantque de manu in manum; dicentes: Hoc simulacrum cernens, bibe, & lætare: talis enim à morte futurus es.

Si neque tali spectaculo percellantur furentes illi Bacchi cultores, vtinam vel Leonidæ Regis Spartanorum formidabile dictum considerent. Postquam ille siquidem cum duobus millibus hominum septuaginta penè Persarum millia trucidasset, facta strage suis dixisse fertur: Prandete hîc, tanquam apud inferos cœnaturi. Quod ita accidit. Nam ex fatigatione ceciderunt super mortuos, illisque commortui pariter occubuere. Heu quàm multi repentè post crapulam ad inferos demigrant!

Oratio contra ebrietatis voraginem.

O Pie Iesu, qui immundos spiritus è corporibus obsessorum profligasti; oro te vt me contra blandientẽ illum temulentiæ dæmonẽ munias, ac me diuini tui amoris inebries haustibus: vt Regnũ cælorum, quod ebriosi nõ pissidebunt, obtineam. Amen.

CAP. LXVI.

Quid, qui emiſſitios nuſquam non iactat ocellos?
Hoc agit, vt pandas mors inuolet atra feneſtras.

Oculorum accurata cuſtodia.



Res quædam magna diligentia cuſtodiendæ ſunt eò quòd ſint pretioſæ: quædam ob ipſarum fragilitatem, aliquæ verò quia periculoſę ſunt & noxię, niſi magna earum ratio habeatur. Cumque omnes tres iſtæ rationes in oculos quadrent, & quidquid afferri queat cur alicui rei ſit adhibenda cautio; ſequitur, tanto diligentiùs viſum eſſe cuſtodiendum. Nobiliſſimum ac delicatiſſimum membrum humani corporis eſt oculus, quoad illa quę ſub adſpectum cadunt; vt etiam periculoſiſſimum. Et ideò fortè oculi in hominis formatione vltimi omnium vitam accipiunt, & amittunt primi, dum inſtante morte ſenſim membra emori incipiunt; vt quo maius eſt ipſorum periculum, eo minus ſit nocendi ſpatium. Quantum ad ſingularem admirandamque eorum pulchritudinem, ſubtilitatem, plenamque diuino artificio compoſitionem, quis eſt qui concipiat? In hanc vſque horam diſputant acutiſſimi Philoſophi qua ratione fiat viſio: an radiorum ex oculis in obiectum eiaculatione, an verò ſpecierum rei viſæ in oculos admiſſione. Neque vlli diſceptantium parti deſunt efficacia argumenta, quibus ſibi ſuam ipſi perſuaſiſſimam habent ſententiam, & propemodum etiam perſuadent legentibus. Vtut eſt, hoc ſaltem conſtat & tenemus oculis, oculos tantæ eſſe excellentię tamque raræ ſtructuræ, vt ſubtiliſſima fugiat ingenia iuſta ipſorum comprehenſio.

Oculorum artificioſa cōſtructio.

Oculos quaſi in arce humani corporis natura conſtituit, vt in ſummo loco velut in ſpecula excubias agentes toti ſeruirent corpori pro cuſtodia & directione, ſiue quid acturus ſit homo, ſiue iturus aliquò, ſeu quacunque alia in re opus fuerit illorum officio. Sic Chriſtus Dominus noſter huius admirandi operis aliorumque omnium conditor de hac ſpeculatione teſtatus eſt: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus lucidus fuerit; totum corpus tuum lucidum erit.* Nam clarè perſpiciens oculus ita reliquas omnes partes illuminat eiſque ſubſeruit, atque ſi ſingula membra oculis eſſent prædita: immò ac ſi toto corpore nil niſi oculus eſſet homo. Et ita eſt: nam etiamſi manus, pedes, genua, brachia, & reliqua membra oculos haberent, quomodo meliùs cernerent quid ſibi facto eſſet opus, quàm iam vident oculis in capite conſtitutis? Breuiter igitur, pretium, artificium, vſum, & dignitatem oculorum, quoad eorum conditionem quis intelligat? Cæci id rectè iudicant: & tametſi nihil ceterorum videant, hoc vident tamen, dum nihili

Matth 6.

Oculorum pretioſus theſaurus



Quid, qui emiſſitios nuſquam non iactat ocellos?
Hoc agit, vt pandas mors inuolet atra feneſtras.

Wat doet hy, die ſyn oogh' int ſien niet en bewaert?
Hy heft die venſters hoogh', al waer de doot inwaert.

Qui laiße s'eſbatre / Sa veue folatre / Quel malheur l'attend?
La mort æternelle / Par ces trous eſchelle / L'ame, et la ſurprend.

nihili ferè faciunt quæ retinent visu amisso: dumque libenter quiduis, vel mundum aureum si fieri posset penderent pro illo recuperando. Videturque creationis vniuersorum ordo, Deique in illis elucens Sapientia huic rationi ipsorum suffragari. Scimus siquidem Deum cælum & terram in vsum hominis condidisse; & vt tam pulchrarum rerum, quas fecerat, adspectu homo frueretur, & ad sui conditoris amorem eo magis incenderetur, fecisse insuper duo luminaria, vt lucerent in firmamento & illuminarent terram. At quid prodesset tam instructam esse tot ornamentis amplam hanc magni Patris familiam, tamque splendentes eis contemplandis adhibitas faces, nisi & oculis præditus sit homo, quibus hæc omnia contempletur? Meritò itaque magnæ æstimationis & excellentiæ censendi sunt oculi, & præcipuum principalemque inter sensus obtinent locũ. Sic de hoc principatu D. Augustinus: Oculi sunt ad cognoscendũ in sensibus principes. Ad oculos quidem propriè videre pertinet: vtimur nihilominus hoc quoque verbo & in cæteris sensibus, cùm eos ad cognoscendum intendimus. Dicimus enim non solùm; Vide quid luceat sed vide etiam quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide quàm durum sit: ita D. Augustinus. *Augus. lib. 10. Conf. cap. 35.*

Nunc verò quia oculi in editiori loco collocari vt speculatores debebant; & quia tam lucidos, subtiles, & celeres esse oportebat, ad ilico eminus quoque sagaciter conspiciendum & tempestiuè præuidendum quidquid se offerret, siue bonum siue malum; ideò & teneriores ac delicatiores esse oportuit, & eam ob causam maiori insuper indigebant custodia & munitione. Huc seruiunt non supercilia tantùm oculos desuper protegentia, verùm etiam vicinioribus palpebris muniuntur, quibus quando opus est toti obteguntur & inuoluuntur. Ideò oblongis pilis hæc inuolucra longa seria armata sunt, vt celeri suo micantique motu atomos, culices, muscas, & id genus volitantium impedimentorum ab oculis arceant velut vallo aristarum. & visum tamen tam crebris ictibus non impediant. Celeritas, flabelli structura, vsus, & imperceptibilis ferè claudendi aperiendique assiduè oculos iteratio admirationi sunt non exiguæ. Vnde & quidquid præ temporis breuitate æstimari nequit, ictui oculi comparatur. Dicit enim Apostolus: *In momento, in ictu oculi* resurgent mortui: hoc est, breuissimo temporis spatio. Naturalis oculorum munitio. *1. Cor. 15.*

Verùm arbitrari non debemus omnem hanc oculorum dispositionem, tam appositum situm, tam accuratam communitionem ad naturalem tantùm tam delicati membri pertinere custodiam; nam sicut Natura oculos tot adiumentis protexit contra omne id quod aliquo eis modo nocere poterat: ita Deus hæc eadem eis præsidia præstitit, ad illa omnia arcenda & excludenda, quæcunque per intuitus incu- Visus custodia.

 riam

riam ad animam penetrarent, eamque peccati cuspide violarent, aculeóve traiicerent. iuxta illud Prophetæ Regij: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*. Vnde nobis primum vulnus ex visu inflictum sit, A per Euæ nimirum curiositatem: vnde omnes hæreditario quodam malo dolenda oculorum lippitudine laboramus, quotidiana in res caducas euagatione, suprà, XLII. nimirum Capite tractatum est, vbi de quinque sensibus agebatur.

Psal. 118.

Oculorum primæua in Eua corruptio.

Interrogatur igitur modò, quid agat ille qui emissitios & curiosè B exspatiantes in omnem partem conuertit oculos. Dicit Responsio: C Hoc agit, vt mors per fenestras oculorum quas illi aperit, inuolet: dum vitiis scilicet per illos ingressum concedit. Tota humani corpo- D ris compago (vt & caput ipsum in se) domus cuiusdam refert similitudinem: cuius os ostium, aures atque oculi imprimis fenestræ dici possunt: quod & aliis sensuum organis non incongruè tribuatur. Sicut ostia & fenestrę ad hoc sunt, vt aperiantur claudanturque prout vsus requirit: ita de sensibus, præsertim ore & oculis statuendum est. Qui enim intempestiuè ostium suum & fenestras apertas relinquit, etiã vel data opera patefacit, seque sciens exponit periculo, quis æquis auribus querelas eius excipiet, quísve ei commiserebitur, si spoliatus, immò si grauiter fuerit vulneratus, atque adeò in proprio cubili trucidatus? Sicut imprudenter talis facit, eoque facto apertum dat suæ insipientiæ testimonium; ita qui nocte intempesta insidiantium atque in tenebris perambulantium spirituum; vel clara luce, sed impetum moliente dęmonio meridiano tentationis apertæ, negligit ostium, ac fenestras domus suæ terrestris quam inhabitat anima, relinquit apertas, aut volens aperit, certum amentię dat argumentum. Eoque stultiùs agit, quo pretiosiora sunt animæ ornaměta quàm corporis bona, quæ euidenti direptionis periculo exponuntur. Quin qui sic agit, animã ipsam, omnesq; domesticos, hoc est facultates, potentias, virtutes, gratias, merita, & quidquid ad salutem pertinet, in certum exitium coniicit: vt illa omnia scilicet ad vitam æternam fiant inualida per peccatum, quod cum morte per fenestras ingreditur.

Mors intrat per fenestras oculorum.

Quintilianus tametsi fidei lumine carens, & gentilitatis tenebris obsitus, hoc ipsum tamen quod dicimus per rimulam naturalis perspicaciæ rectè percepit & iudicauit; sic inquit: Vitiis nostris in animum per oculos via est. D. verò Augustinus, vtpote Christianus, & peculiariter à Deo illustratus, viciniùs adhuc ad nostram similitudinem accedens inquit: Oculi fenestræ sunt mentis. Quodque illac mors ascendat, dolendam animæ nostræ stragem illatura, testatur Hieremias, digna ob id procurata comploratione. Sic habet: *Audite mulieres: Docete filias vestras lamentum; & vnaquæque proximum suum planctum. Quia ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domos nostras.* C

Quintil. Declam. 1.

August. in Psal. 41.

Ierem. 9.

Res

Res digna profectò cui deplorandæ omnes proximi conuocentur, quando per oculos peccatum mortiferum irrepſit in animum: tunc drachma & ouis pereunt, quorum recuperatione vicini omnes ad congratulandum prouocantur; quia etiam tum gaudium eſt in cælis. Magnitudo autem doloris rei amiſſæ, optimè ex recuperatæ gaudio æſtimatur.

Hanc calamitatem ac iacturam Chriſtus ipſe dignatus eſt nobis præcauendo indicare, dum ait: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam* Matth. 5.
E *eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Sicut Dauidi regi accidit, priùs in animo per incautum illicitumque aſpectum peccando, quàm actu committeret adulterium. Fur namque per oculos ſubintrans mortem inuehit per cupiditatem, delectationem, & aſſenſum denique. Quid autem damni animæ illi miſeræ per prædatoriam huiuſmodi inuaſionem inferatur, ex Lamentationibus prædicti Prophetæ paucis verbis intelligemus. Ita loquitur in perſona omnium ſic peccantium: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Quando etenim homo per peccatum optima quæque animæ ſuæ amittit, vt ſunt virtutes, merita, Dei gratia, & ſimilia: meritò animam ſuam amittere dicitur, quia illa ſine his ſalua eſſe nequaquam poteſt, peritque in æternum. Præclariſſima quæque tali caſu deperire teſtatur idem hoc modo loquendi figurato: *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius.* Quo pretioſiora ſpolia, eo hoſti deſiderabiliora; & damnum eo maius quando amittuntur. Et ſimul anima amittitur; quia ſicut homo per peccatum mortale libera ſua electione à Deo recedit, & iure cæleſtis gloriæ poſſeſſione priuatur; ita eodem iure diabolo, cui potiùs quàm Deo ſeruire ac placere maluit, atque æternæ damnationi (quam prætulit cælo) debetur. Itaque animam ſuam perdit, & detrimentum eius patitur, & bonis omnibus ſpoliatur. Iure dixi, quia diabolo pro temporali voluptate eam vendidit: pro qua etiamſi mundum totum acciperet, ſtultus tamen adhuc mercator, Chriſto ipſo teſtante, iudicaretur.

[Margin: Quomodo anima per incautum adſpectum ſpolietur. — Thren. 3. — Thren. 1.]

Meritò igitur cum Eccleſiaſtico exclamemus rogemuſque: *Nequius oculo quid creatum eſt?* Illamque animam ita miſero loco conſtitutam liceat his Prophetæ verbis compellare: *Tu autem vaſtata quid facies?* Et vt conſtet friuola atque inania illa eſſe ſolatia ac refugia, quibus animæ peccati mundique illecebris irretitæ, itaque ſpoliatæ virtutibus, ſe nequidquam ſolent animare, ſibique adhuc in malo blandiri, & inde refocillationem quæritare vnde plagam acceperunt, meritò hæc eiuſdem Prophetæ verba adiiciamus: *Cùm pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtrà componêris: contempſerunt te amatores tui; animam tuam quærunt.* In hoc ſolent peccantes ſolatiũ aliquod ponere, quòd alios quibuſcum peccant erga ſe benè affectos vident: ſed affectus ille non ſalutis nec veri amoris indiciũ eſt, ſed malitiæ damnationiſque latentis velamentum:

[Margin: Eccli. 31. — Ierem. 4. — Solatium peccantiũ fraudulentum.]

animam tuam quærunt; & credis amore tui moueri: falleris. Ac ſi ceruus in tam ſtrenua venatorum proſecutione glorietur ſibiq́ue complaceat; quaſi ob venuſtatem verumq́ue elegantiæ eius amorem, & non potiùs vt iugulent, ſpolient, carnes & cornua in proprios vendicent vſus, id ſtudij & laboris impendant.

Ad animã peccatricem.

Quocirca, imprudens peccatrix anima, reſipiſce ſaltem poſt errorem, & ad vera ſolidaq́ue te ſolamina conuertito. Non oculos ſtibio ampliùs pingito; neque foris te ampliùs vanè componito; ſed tota introrſum conuerſa lacrymis potiùs fundendis operam da, quibus contractas per peccatum maculas abluas. Neque enim fruſtrà Deus idem viſus organum etiam fletus inſtrumentum eſſe voluit: vt quo ſordes tibi hauriuntur, eodem per lacrymas diluantur. Heu quàm multi iam in gehennæ incendio æternas luunt pœnas, oculorum tantùm culpâ non benè cuſtoditorum! aut quòd contractas per oculos maculas fletu non deterſerint!

Quis iam lamentabiles & ſeras ipſorum voces vel mente fingat? Vtinam cæcus natus fuiſſem; aut ſtatim in lucem editus lucem hanc oculorum tam lubricam amiſiſſem! Vtinam ſaltem oculos qui ita mihi ſcandalo fuerunt, conſilio Domini mei per veram pœnitentiam eruiſſem: & per veram conuerſionem à me proieciſſem, occaſiones peccandi per viſum procul fugiendo! Ah miſeros ſerò ſapientes! tempus talia cum fructu optandi, tamq́ue ſalutaria remedia adhibendi præteriit: quia vos à morte aprepti, à loco gratiæ & ſalutaris pœnitentiæ ad ſtatum immedicabilis mali deueniſtis.

Quamobrem viuenti cuilibet hoc vnicè cordi & curæ eſſe debet, dum tempus eſt; ne oculi eum in æternæ mortis lacum inducant, qui ei à Deo conceſſi ſunt vt ipſorum præſidio in cæleſtis gloriæ regna perueniat. Sequitor ad hoc, quiſquis ſapis, S. Euangeliſtæ conſilium, quod cuidam præſcribebat qui ſibi clarè intueri videbatur, & tamen cæcutiebat; ſic inquit: *Collyrio inunge oculos tuos; vt videas.* Ne autem in extremas tibi mundi oras proficiſcẽdum exiſtimes, vt hoc tibi medicamen compares; hîc ego tibi ſalutarem hanc Receptam ob oculos ſtatuam; vt iuxta eius præſcriptum, vnguentum hoc ipſe tibi conficias: ſeruietq́ue tibi tum vt ſpiritualem auferas cæcitatem, tum vt vitio lippitudinis oculorum cum Lia per curioſitatem ſemper defluentium remedium ſtatuas. Recepta porrò, vt vocant, eſt iſtiuſmodi.

Apoc. 3.

Remediũ oculorum ſpirituale.

Geneſ. 29.

Recipe	Ficulnei perizomatis Euæ	folium vnum.
	Statuæ ſalis vxoris Loth	grana quinque.
	Plantaginis à Dina Sichimis calcatæ	manipulos duos.
	Nocturnarum lacrymarum Dauidis Regis	vncias duas.
	Fellis piſcis Tobiæ	vnciam vnam.

Contundantur omnes hę ſpecies ſimul in marmoreo mortario cordis piſtillo

pistillo crucis Christi: sique omnia nimis arida minúsve succulenta videntur inter tundendum, sinatur liberè aliquid de sudore vultus incidere: si lacrymæ quoque ex oculis propriis influant, eo melior erit compositio. Fiat tunc fasciola ex linteo quo Iudæi oculos Christi obuelabant, oblinaturque pasta vel vnguine ex prædictis confecto, densè satis. Digito tum vno luti illius aliquid sumatur quo Christus oculos cæci nati perunxit, illoque oculos tuos perline: & tum prædictam fasciam, vt dixi, obductam circumliga. Percute tum fœdus cum oculis tuis præsente Iob velut Notario, & duobus testibus, Deo & conscientia tua, vt ne quidem cogites amplius de virgine vel alia inæquali persona, aut vlla re illicita. Fasciam illam post triduum deponito: vade tum & lauare in natatoria Siloe. Et certum est te oculos pulchros, lucidos, & rectos habiturum: oculos columbarum, sicut sponsa in Cantico Canticorum: quibus tandem præ excellenti puritate & cordis munditia videbis Deum deorum in Sion. Vt de te cum omnibus Dei Sanctis & amicis meritò tunc dici queat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, Et: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* *Cant. 1.* *Luc. 10.* *Matth. 5.*

Nunc autem vt species istas aromaticas quas præscripsimus faciliùs inuenias, tutiusque vtaris inuentis, regiones & loca describam vnde petendæ sint, immò petitæ iam suppetunt. Quoad primum illorum, folium scilicet ficulneum, ex Paradiso id venit, è perizomatis quæ Adam & Eua sibi post curiosum in vetitam arborem intuitum & peccatũ contexuerant. Grana salis è petra salis, in quam vxor Loth conuersa fuit, non procul à Sodomis adferuntur, vbi illa prę curiositate contra Dei præceptum retrospexit incendio conflagrantes ciuitates. Plantago verò ex oppido Sichem accipitur, quò Dina filia Iacob Patriarchæ vt ciuitatem mulieresque eiusdem videret ingressa, à Sichem Principe rapta & constuprata fuit. Quarta species huius confectionis ex lacrymis Prophetæ regij sumitur, quibus per singulas noctes lectum suum rigabat, immò lauabat, postquam oculos suos malè custodiuisset respiciendo Bethsabæam se lauantem in solario. Fel piscis Tobiæ est, quo ipse consilio Angeli Raphaëlis, oculos patris inunctos pristinæ restituit claritati, amaritudine pœnitentię subindicata. Piscis ille ex rapido fluuio Tigri hortatu dicti Angeli in terram attractus fuerat. Pilam, pistillum, fasciam, & modum agendi suprà expressi *Genes. 3.* *Genes. 19.* F *Genes. 34.* *Psal. 6.* *2. Reg. 11.* *Tob. 6.*

Applicatio autem fieri debet ad oculos, per attentam, seriam, & viuam recordationem, quantumque fieri potest, quasi per sensum realem omnium eorum, quæ Deus ad nostram instructionem nostrique morbi remedium & fieri permisit, & curauit describi: præsertim quæ ex certis sacræ Scripturæ locis prolata sunt. Tres dies quibus oculi spiritualiter lippientes vel etiam cæcutientes, vt dictum est, obligati

esse debent: tres sunt Pœnitentiæ partes, Contritio, Confessio, Satisfactio. Huc etiam iuuat lutum ex Christi sputo & terra confectum: hoc est miranda illa excelsæ maiestatis diuinę cum humana humilitate coniunctio. Ablutio in Siloe (*quod est interpretatum, Missus*) Christi qui in nostram salutem missus fuit passionem significat, in qua omnes nostræ sordes & maculæ ablui debent; non tantùm semel in baptismo, sed etiam postea per Pœnitentiam, & quocunque alio modo. In Siloe abluimur, quandocunque eius merito curamur.

Ioan. 9.

Commendaui Iob in Notarium fœderis tibi cum oculis pangendi, quia fidelis est & expertus, nam ipse quoque hunc vsum habebat. In testes irrefragabiles Deum dedi & conscientiam propriam: illi namque etiam soli testes tui in horrendo illo iudicio sunt futuri. Vtere hoc medicamine, & medelam accipies: quia probatum est.

Exempla pro oculorum custodia. *Vide etiam Cap.* LXXX.

Quo animo, quantaque alacritate Christiani spirtuale hoc pharmacum amplexari deberent, & quàm magna cum gratiarum actione illo vti! Meritò nos in hoc studio Ethnicorum Philosophorũ exempla confundant, qui nihil non aliquando excogitarunt effeceruntque, ad spontaneam vsque interdum oculorum extinctionem, quò minùs molestiæ offensionisque illorum gratiâ incurrerent.

Apuleius & Hermes discipuli Platonis in templorum porticibus versantes nihil aliud quàm de virtutibus cogitabant: quin sibi etiam oculos eruisse leguntur; ne illorum vsu ab hoc studio auocarentur. Et Christiani non pauci non in porticibus sed in templis versantur, nihil aliud quàm de spectandis hominum formis cogitãtes. Isęus Assyrius Sophista cùm à quodam qui formosissimam ei ostendebat mulierem interrogaretur, num formosa videretur; respondit: πέπαυμαι ὀφθαλμῶν: id est: Desij laborare ab oculis. Non adspexerat, ne amori faceret aditum. Hoc facto significabat, se à morbo illo oculorum quo curiosi laborant, liberatum. Vt etiam de omni luxu & voluptate idem ille innuebat; dicens se satis hortulum Tantali obambulasse: hoc est, satis diu dedisse operam fluxis & inanibus rerum mundanarum cupiditatibus. Pœna enim Tantali iuxta Poëtas (eo quòd secreta deorum hominibus indicasset) nota est omnibus. Fingitur namque ob id apud inferos ad amœnum fluuium stare, & arborem dulcibus pomis onustam ante se videre, semper tamen esurire & sitire: vanæ oblectationis mundanæ perpetuo exemplo.

Philostratus in Sophist.

Ouid.

Incautum periculosumque adspectum nos Alexandri denique pręstans factum effugere doceat. Is cùm Darij filias haberet captiuas, demissis oculis salutabat, idque raro; sibi metuens ab insigni illarum forma. Apud familiares autem dicere solebat: Dolores oculorum sunt Persicæ puellæ.

Plutarch. in Vit. Alexãdri.

Quare etiam acerbi dolores & amaræ vrentesque in inferno futurę sunt

sunt lacrymæ oculorum eorum, qui sibi hîc non attenderint.

Ecquur igitur non potiùs oculos in cælum attollimus, tum vt adspectu periculosa vitemus, tum vt cor quoque discat ad superna adspirare, quò lumina libenter ferri didicerit. Sic fiat vt cum Seneca dicamus, & sapiamus: Quàm iuuat inter sidera ipsa vagantem diuitum pauimenta ridere: & totam cum auro suo terram! *Seneca, in exord. lib. nat. quæst.*

Et verè si mentem aduertamus, huc oculorum aciem intendere Christianum oportebat, quò tandem salutis scopus attingeretur. At quia sublimia illa debilem obtutus nostri naturam maiestatis suæ fulgore deterrent, infirmitati nostræ consulens animarũ nostrarũ amator Dñs thesaurum illum cælestem, vt incomparabilẽ margaritam, in Ecclesię agro quęrendũ inueniendumq; nobis quasi defôdit. Huc saltem oculos cõuertamus; & si solis radios nequeũt inoffensè cõtueri, terrã Euangelicam cælo æquipollentẽ contemplentur. Considerent agrũ, & emant illũ. Sed vtroque id oculo est faciendum: non altero ad cælestia hæc erecto, altero ad terrena detorto. Nã si alterutro tantũ oculo salutifera, cęlestia, diuina contẽplamur, aut nimis arida, aut nimis humentia nobis videntur: atque ita nunquã arrident, neq; votis faciunt satis.

Sic Axa conquesta est, quòd arentem & Australem tantùm terram accepisset à patre suo Caleb, sed omnibus accuratiùs consideratis supernè inferneque irriguam impetrauit. Sic & Hiram de viginti ciuitatibus à rege Salomone pro lignorum laborumque mercede & pretio acceptis conquestus est, dicens: *Hæcine sunt ciuitates quas dedisti mihi frater? Et vocabat eas, Terram Chabul.* D. Hieronymus dat rationem cur ei displicuerint illæ ciuitates. Quia, inquit, graminis plenæ erant. Itaque vni (Axæ) nimis arẽtia omnia videbuntur, quæ dedit nobis Christus in Ecclesia, quæque in cælo promittit; alij nescio cui (Hiram imitanti) nimis graminosa & humida: vt illis qui pro nihilo habuerunt terram illam desiderabilem, terram dico promissionis. Ast Ecclesiam in terris vtroque, mentis inquam & corporis oculo considerantes, sub rebus istis in se vt apparet aridis, paruis, diffluentibus, cælestia atque æterna complectentem, simulque coniungentem, dabunt illi omnia sua, & ement agrum illum: gaudebuntque æternùm, se tam constanter tamq; feliciter oculorũ suorum aciẽ à mundi vanitatibus auertisse. *Iudic. 1.* *3. Reg. 9.*

Oratio pro oculorum custodia.

CAstißimos tuos oculos, dulcißime Iesu, obligari permisisti, indicans quantum dolorum atque amaritudinis nostri oculi tuis peperissent: Da nobis gratiã, sic valeamus eos custodire eisq; sic vti, vt, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, contemplari in cælis mereantur. Amen.

CAP. LXVII.

Quid facit, indomito frenum qui reſpuit ore?
Vrbem aperit, cæſiſque vocat cuſtodibus hoſtem.

Oris vt oſtij duplex cuſtodia.

SENSVS huius Interrogationis eſt, quàm imprudenter & malè agat qui oris ſui curam non habet; quæ cura ſe non tantùm ad ſermonem extendit qui ex ore procedit, ſed etiam ad cibum & potum, quæ in os intromittuntur. Iuxta hanc Sapientis ſententiam: *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Superiori Capite hunc in modum de oculorum cura & cuſtodia egimus; ſatiſque indicauimus, ſicuti oculi feneſtrarum partes in hoc terreſtri animæ domicilio obeunt; ita os oſtij, vt & nominis ipſius natura ac ſimilitudo non abſonat, vices atque locũ ſuſtinet. Cumque in homine non modò domus alicuius, verùm etiam ciuitatis forma conſideretur, meritò tunc os velut præcipua ciuitatis portæ cenſetur, licet tum & alij ſenſus portæ poſſint nuncupari. Quemadmodum autem porta ciuitatis non attentè cuſtodita, ciuitas in periculo verſatur, immò quaſi perdita reputatur, ſi tam craſſa negligentia ſiue noctu, ſiue interdiu committatur, dum eadem ciuitas arctiſſimè ab hoſtibus obſidetur, eique in ſingulas horas ſtruuntur inſidiæ: ita (dicit Reſponſio) Vrbem aperit, qui os ſuum non cuſtodit, & quaſi cuſtodibus ipſis cæſis hoſtem aduocat.

Prou. 13.

Corpus humanum inſtar domus & ciuitatis.

Oris negligentia in loquendo.

Negligentiam hanc ſupinam & in loquendo incuriam tam periculoſam eſſe, tantumque adferre detrimenti, fusè in LII. Capite oſtendimus: quocirca vnam tantùm eam ad rem producam ſententiam, ex qua prior Reſponſionis pars deſumta eſt. Ita Sapiens: *Sicut vrbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo continere ſpiritum ſuum.* Quid aptius euidentiuſque proferri queat quo ad oculum oſtendatur quod dicimus, eum quaſi ciuitatis portam pandere & mœnia diruere, excubias profligare, & voluntati hoſtium exponere, qui nullam habet eorum quæ loquitur rationem?

Prou. 25.

Oris negligentia in comedendo.

At nunc videamus, quomodo hunc eundem circa curam ſui committat errorem, eidemque ſuam ciuitatem, ſe videlicet, exponat diſcrimini, qui in edendo & bibendo oris laxat repagula, & curam omnem ſeponit. Pandit is portas, certum eſt & manifeſtum; ſed præcipuè quòd cuſtodes ciuitatis ſuę profliget, & hoſtes aſſiduè circumiacentes, inſidias ſtruentes, ingreſſum quærentes inſuper aduocet, iam conſideremus.

Fieri namque poteſt vt portę interdum pateſcant, & nullum tamen inde ſequatur incommodum: quemadmodũ in finitimis ciuitatibus

interdiu



Quid facit, indomito frenum qui respuit ore?
Vrbem aperit, cælisq; vocat custodibus hostem.

Die tswyghen niet en acht, noch opsynd mondtd toeknopen?
Die doodt syn eyghen wacht, en stelt de stadt wydt open.

Qui par trop debouche, Sa peu saige bouche, Est il bien muny?
Sans porte, sans garde, Sa ville il hazarde, A tout ennemy.

interdiu patent; ſed fideli adhibita cuſtodia, quæ videat qui exeant ingrediantúrve, quid inuehatur aut euehatur, res citra periculum eſt, citra certum ſaltem nocumentum. At apertis portis etiam vigiles interimere, hoc ciuitatem perdere eſt. Dicit ſacra Scriptura, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram: ergo tempus inſidiarum, proditionis, quotidianorum diſcriminum, & plurima mortis imago. Debet igitur indefeſſa portis ciuitatis noſtræ adhiberi cuſtodia, aut alioqui deploratæ eſt ſalutis, ſi patentibus portis, dirutis euerſiſque vndique moenibus etiam excubitores trucidentur. Id fit autem non tantùm, vt dictum eſt, quiduis effutiendo, & ori in loquendo conceſſa licentia: verùm etiam & præcipuè, dum inter edendum & bibendum nulla adhibetur moderatio aut cura: ſed inordinatæ cupiditati ſubſeruiunt omnia; dum quantum quodcunque, & vbicunque malo appetitui lubuerit, ventri obeditur & gulæ. non attendendo, an hoſtis an amicus ſit qui portam hanc ingreditur: nil curando quis quid inferat efferátve. Interim ſupinus ille ciuitatis ſuæ cuſtos & dominus ſenſim inſenſatur, dum cibo potuque repletur, & à crapula abſorbetur. In peccati ſomnum illabitur, corde iam grauato omnibus illis quæ improuidè ingeſſit, & quæ tam auido oris, linguæ, & gutturis ſtudio inuexit in vrbem. Et ita (prô dolor!) ratio, ſenſus, memoria, intellectus, verecundia, timor, cura, Dei cognitio, conſcientia, & quidquid excubias agere conſueuit, à blando ebrietatis dæmonio profligatur & opprimitur. Venitque ciuitas (quæ ipſe homo eſt, cui à ſupremo domino cura commiſſa erat) in extremum diſcrimen extremamque vaſtitatem iuſtæ cuſtodię defectu. Illa tum ab omnibus cæleſtibus opibus, & gratię theſauris, armis, munimentiſque ſpiritualibus ſpoliatur; & inhabitantes virtutes doteſque diuinæ, vt eius ciues, perimuntur.

Iob 7. F *Guloſus, ſupinus ſuæ ciuitatis cuſtos.*

A Tunc de tali homine dicere licet illud Propheticum: *Princeps cocorum deſtruxit Hieruſalem.* quod per Nabuzardan ducem militum Babyloniorum, in Hieroſolymitanæ ciuitatis deuaſtatione ſub Sedecia rege factum eſt; hoc aptè D. Gregorius ventri gulæque attribuit in homine, quando ille per crapulam in certam animę perniciem venit. Sic enim ait noſtræ intentioni valdè accommodè: Venter eſt hic princeps; cui magna cura à cocis impenditur, vt ipſe delectabiliter cibis impleatur. Hieruſalem eſt fidelis anima, quando illic per conſcientiæ tranquillitatem vera eſt pacis viſio, & cum voluntate diuina concordia.

Ierem. 5 ſecundùm 70. 4. Reg. 25. Gregor. 2. Parte, Curæ Paſtor.

Tam parùm autem quibuſdam hominibus eſt ſenſus atque prudentię intus, ad benè ciuitatulam ſuam contuendam; tamque multum oris foris & inexpletæ effuſionis, vt non parùm ob hanc cauſam ipſorum periclitetur anima quam modò ciuitati comparamus. Non immeritò eiuſmodi inertes vanique homines lepida illa facetia ad maiorem cautelam perſtringantur, qua Diogenes erga Myndios vſus legitur.

Diogenes Myndiis.

legitur. Myndum enim aliquando profectus, cùm videret magnas portas & exiguum oppidum, Viri (inquit) Myndij, Claudite portas, ne ciuitas vestra egrediatur.

Curandum est igitur vnicuique & solerter aduigilandum, ne ciuitas nostra Hierusalem in nobis per ingluuiem & oris incuriã hostium pateſiat libidini. Et ęquali vigilantia attendatur quid foras per oris portam prodeat in loquendo, & quid intromittatur ventrem pascendo. Quocirca teneat Sobrietas in porta custodiam, & Timor Domini excubias agat in specula: iuxta illud S. Petri consiliũ, per gallicinium non oscitanter vigilare perdocti: *Sobrij estote & vigilate.* Qui enim sobrius non est, neque ad vigilandum est idoneus. Vtque magis excitet, ex metu addit rationem: *Quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Hinc & Dominus ipse nos exhortatur ad vigilantiam: *Vigilate & orate.* Et pugnæ ratio, & hostis instantia, & propria imbecillitas nos vigilare assiduè, & auxilium fortioris implorare compellunt; hæc enim est calamitosę huius vitę miseria.

Excubiæ tutæ. *1. Petr. 5.* *Matth. 26.*

Quando verò transactâ militiâ partaque victoriâ triumphi tempus aduenerit; tunc qui fideles suæ ciuitatis custodes fuerint, commissamque sibi prouinciam rectè obierint, suamque Spartam pro meritis exornarint, illi cum magna laudis contestatione potestatem supra decem ciuitates à Domino vniuersorum accipiẽt; hoc est, pro fidelitate, constantia, obsequio, compensationis ac mercedis loco, Regni cælestis hęredes ac possessores constituentur, in quo nouem chori angelorum cum omni Sãctorum exercitu velut decem efficiunt ciuitates. Eruntque tunc cum Christo dominatores cæli & terræ, pro eo quòd tantillæ terræ corporis sui curæ suæ concreditæ benè præfuerint, & in medio tot hostium tantorumque discriminum fideliter tutati sint.

Luc. 19.

Nunc animi gratiâ instituto nostro, ad maiorem oris in loquendo custodiam, quasi auctarij loco exempla & apophthegmata paucula adiiciamus. Careo loquaculus ab Isocrate oratore erudiri volebat. Sed is, Duplicem mercedem mihi dari, inquit, posco: alteram vt loqui, alteram vt tacere discas. significans non minoris artis ac pretij esse benè tacere, quàm benè loqui.

Bruf. lib. 6. cap. 6.

Archelaus rex tonsori garrulo subinde roganti: Quomodo te rado, ô rex? Silendo, inquit. subindicando, non satis consistere, & multum loqui & officio suo rectè fungi. Lacedæmoniis ad publica conuiuia ingredientibus, qui natu erat maximus, singulis ostendebat fores, dicens. Per has nullus egreditur sermo. admonens nihil effutiendũ, si quid liberiùs dictum esset in conuiuio. Sed longè excellentiùs veris id Christianis, quàm Lacedęmoniis illis (quos Tertullianus naturaliter Christianos appellat) obseruandum, quoad ostiũ oris eiusque custodiam, tũ quid per illud ingrediatur, tũ quid egrediatur, vt iam dictũ.

Plutarchus. in Regum Apopht. *Idem.*

Silen-

Silentij orisque seruandi studio, Agathon Abbas lapillum ori inditum per tres annos gestabat. Nouerat enim scriptum, non tantùm quod suprà posuimus: *Qui custodit os suum, custodit animam suam*: sed etiam quod additur: *Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Paulus cognomento Simplex cùm quæsisset, essétne Christus prior Prophetis; insulsam interrogatiunculam silentio diluere iussus, per triennium nemini quidquam proloqui est ausus. Pambo cùm discere priùs quàm loqui proposuisset; audito pro prima lectione illo versu: *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*: Sat est, inquit; reliqua audiam cùm istud opere impleuero. In illo Tabernensi monasterio quod in eremo Scythica positum erat, Amos Abbas mille quingentis monachis præfuisse dicitur. Et cùm tot essent, horis quibus silentium indictum erat, sæpenumerò aduenę locum adeuntes, neminem ibi adesse putauerunt, donec interiùs ingressi, illos vel orantes, vel aliud in cellulis suis agentes cernerent. Sancti periculum oris norant, hinc tantam semper silentij freno curam eius habebant. Ideò rectè dicit Apostolus: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam: huius vana est Religio.*

Prou. 15. *In vitis Patrum.* Silentij exempla. *Psal. 38.* *Iac. 1.*

Quoad oris custodiam in victu sumendo, cuius neglectu & incuria ciuitas nostra nō raro ab hoste intercipitur, quia pręter hoc Capite tractata, etiam in LXV. Cap. de ea actum est: idcirco hîc tantùm nunquam obliuiscenda exempla in memoriam reducā. Primi parentes malam custodiam egerunt; & ideò cum pomo omnis etiam nostra calamitas corporis & animæ simul introiuit. Esau quoque negligens oris custos edulium gulosiùs ingerendo, primogenituræ iure priuatus est patrisque benedictione. Israelitę etiam ollas carnium, pepones, & simila Ægypti cupidè desiderantes, carnesque importuniùs à Deo impetrantes, simul iram diuinam portis oris hauserunt. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos; & occidit pingues eorum. Anxietas, cura, & solicitudo introitus huius (oris scilicet) in gula cauenda, nimis euidenter ex eo constat, quòd omnis ferè morbus illac intret, & intus grassetur: sed quòd etiam mors simul illac ad animam penetret, hoc omnem superat calamitatis mensuram.

Exempla custodiæ oris per sobrietatem à contrario sumta. *Psal. 77.*

Oratio pro diligenti oris custodia.

DEus omnium creaturarum conditor & gubernator, qui os nostrum in tui laudem, atque animæ & corporis nostri nutritionem condidisti: da vt illud sic custodiamus, vt nihil illac intret aut exeat, quàm quod tuæ diuinæ placitum est voluntati. Amen.

CAP. LXVIII.

Quis meruit summo penitissimus esse parenti?
Plurima cui virtus dedit vt sit humillimus idem.

Hebr. 11. CERTVM quidem est, impossibile esse sine fide placere Deo, teste Apostolo: sed necesse est etiam virtutibus & bonis operibus operam dare; vt sit secundùm sacri eloquij normam Fides quę per charitatem operatur. Talis fides, & homo illam habens, Deo placet. Alioqui etiamsi tantam fidem haberet vt montes quoque transferre possit, charitatem autem non habeat, nihil est, neque ipsa Fides, neque ipse sic credens; atque ita Deo placere non potest; quemadmodum id & D. Paulus in se transsumta locutione grauiter asseuerat.

Gal. 5.

1. Cor. 13. Fides per charitatem operans.

Rom. 8. Ephes. 5. Dicit alibi idem Apostolus: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Sed qui per veram viuamque fidem, corpus suum velut hostiam viuentem Deo in eius obsequium & in odorem suauitatis offerunt, illi mirificè Deo placent. Quapropter prudenter vnumquemque Sapiens admonet, vtque omnipotenti Deo per vitę sanctimoniam placere conentur, instruit: *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: & congrega cor tuum in sanctitate eius.* Ac si dicat: Animæ tuæ ipse, si quisquam alius, debes misereri; quæ alioqui sine te nec ab homine aliquo, nec à Deo seruari potest, quantumlibet ipse & totus mundus eius misereatur. Age igitur, tu tibi proximus esto, vt es verè; & animam tuam nudam vesti, pasce famelicam, cura quoquo modo indigentem, virtutibus excole, contine à malo, in omne bonum lætus effundere, & congrega ingentem meritorũ sanctorum thesaurũ: Hæ sunt enim tui cordis diuitię & deliciæ. Iacta cogitatum tuum, cor tuũ, & quidquid es, in Domino, & placebis ei, faciesque haud vulgarem cum tua anima, alioqui misera, misericordiam; placebis enim ei, cui placere est esse beatum.

Eccli. 30.

Certum est igitur, vt initio diximus, necessariam ante omnia esse Fidem veram, sine qua impossibile est placere Deo; opus esse præterea operibus bonis, tanquam fructibus ex illa radice nascentibus, sine quibus Fides mortua est; atque ita Fides per charitatem operans necessaria, vt quis placeat Deo. Nunc ad rem veniamus.

Quis maximè placeat Deo. Interrogatur non simpliciter, quis placeat Deo, vel quid in homine desideretur vt Deo placeat; sed quis maximè Deo placeat; quis inter amicos è primis, & filiorum charissimus censendus sit. Non quòd hoc quisquam in particulari queat cognoscere, nec hoc quæritur; sed quid reddat hominem Deo maximè gratum, charum, & commendationo dignum. Respondetur, illum cum primis placere Deo, cui plurima virtus:



Quis meruit ſummo penitiſſimus eſſe Parenti?
Plurima cui Virtus dedit vt ſit humillimus idem.

Wie ſtaet, met alder vreucht, meeſt in Godts goet behaghen?
Die hem in alder deucht, ootmoedelyckſt van draghen.

Qui merite d'estre, Chery du grand Maiſtre, Mignon du treshaut.
Qui le moins l'offence, Qui fait bien, et penſe, Que rien ne luy vaut.

virtus: hoc insuper additur, vt idem sit & humilis. Nã, vt dicit S. Bernardus, non magnum est esse humilem in abiectione; magna prorsus & rara virtus est, humilitas honorata. Huc facit quod Sapiens sedulò commonet: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Quia etiamsi quis omnem mundi sanctitatem haberet, hoc est, quæ in mundo haberi potest; signa & prodigia faceret, & velut totius perfectionis speculum in omni virtutum genere excellentissimus ab hominibus iudicaretur; si tamen complacentiæ aut inanis gloriæ tinea se ingerit, totum illud virtutum tantarum ornamentũ corrumpit, & concidunt omnia. Non ignorabat hoc Iudith, quæ summa humilitate superbum illum Dei hostem aggrediebatur. Dicebat ea inter orandum: *Superbi ab initio non placuerunt tibi; sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et quid mirum? Nam sicut superbus homo, quanto magis in eo dæmoni similis fit & propinquior, tanto etiam à Deo alienior redditur atque remotior: ita è contrario in humili, quò ille per humilitatem magis ac magis à diaboli natura recedit, eique fit dissimilior, eò magis ac magis appropinquat Deo. Ita vt Deus superbo tanquam suo hosti resistat, humili verò semper, vt sibi amico, plus fauoris concedat & gratiæ. Istud D. Petrus, & D. Iacobus apertè & in eandem sententiam
A contestantur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Ita Mardochæus post suam humiliationem euectus & sublimatus est ad
B regium decus; & è diuerso, superbus ac fastuosus Aman turpiter depressus, & tandem proprio suspensus patibulo, quod Mardocheo curauerat erigi. Et quidem iuxta Domini sententiam, qui est futurus iudex & vindex omnium: *Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat,*
C *exaltabitur.* Maximę humilitatis singulare exemplar Diua virgo, humilitatis magistri Domini nostri mater castissima, summè ita exaltata
D est: & superbissimus Lucifer in ima detrusus.

Virtutibus eminẽs, & humilis, idem.

Bernard. super Miss. est, Homi. 4. Eccli. 3.

Iudith. 9.

1 Pet. 5. Iac. 4.

Hester 6. & 7.

Luc. 14.

Humilitatis magister Christus, & exemplar Maria.

Hanc humilitatis sublimitatem excellenti etiam gradu collocat D. Gregorius, nostræ sententiæ consentiens & fidem faciens: Humiles, inquit, dum se deiiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Et Christus ipse in se suoque exemplo declarauit quod dicimus; humillimum, ac magnis tamen virtutibus præditum, Deo gratissimũ. Quia licet non rapinam arbitratus est, sed naturæ conditionem esse sciuit, se esse ęqualem Deo; dum tamen ita se exinaniuit, & formam serui accipiens, per summam humilitatem sic Deo Patri complacuit, vt eum summè exaltaret, nomenque daret quod est super omne nomen; facto suo testatus est, hanc excellentissimam esse ad Deum viam. Hinc Bernardus: Semper, inquit, solet esse gratiæ diuinæ familiaris humilitas. Debent igitur sine dubio verè humiles Deo esse valdè grati, si etiã familiares, quasi intimi amici. Sicut teste S. Spiritu per os sacratissimæ Virginis Mariæ innotuit, præ omnibus virtutibus quibus illa supra omnem

Humilitatis sublimitas.

Gregor. in past. Part. 3. Admon. 18.

Philip. 2.

Bernard. Homil. 4. sup. Missus.

omnem comparationem eminebat, Deum respexisse humilitatem ancillæ suę: eoque magis illi eam placuisse, eique fuisse propinquiorem, quo & ipse altior, & fuit illa demissior. Iuxta illud Prophetę regij: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Magna profectò affinitas conditionum, quę nec spatiorum intercapedine diuellitur; humilis, inquã, & Dei: immò quę eo maiori arctiorique nexu coniunguntur, quo & naturę Diuinę sublimitas, & hominis se humiliantis vilitas, longiùs à se mutuo distare videntur. E contrà superbos à longè cognoscit: quia quo se magis exaltant, eo ipse ab illis magis recedit, propter conditionũ diuersitatem. Quocirca humilitati danda est opera, vt Deo placeamus, ipsique sociemur, cui soli adhærere bonũ est. Vnde rectè D. Gregorius: Humiliare, & apprehendisti. Et D Ambrosius: Quisquis cupit Diuinitatis tenere fastigia; humilitatis ima sectetur. Quibus & aliàs idem doctor cõformiter sic loquitur: Vis capere celsitudinem Dei? cape priùs humilitatem Christi. Magnum reuera compendium, vt ad summum montis excelsi verticem facilè perueniatur, pedem eiusdem in imo apprehendere.

Psal. 137. *Gregor.* *Ambros.*

Ex quibus omnibus clarum est, vt quis Deo placeat, non satis esse Fidem, virtutes, ac bona opera habere, sed in primis magna esse opus humilitate; quæ virtutes cæteras cõgregat, congregatasque conseruat. Alioqui vt dicit Gregorius: Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat.

Gregor. in 3. Psal. Pænitent.

Iuxta Responsionis igitur sententiam, ille meretur summo parenti Deo esse penitissimus quisquis & vitæ est sanctitate clarissimus, & tamen præ humilitate sibi infimus videtur. Quod D. Hieronymi sententiâ comprobatur & concluditur in hunc modum: Nihil (inquit) est quod nos ita & hominibus & Deo gratos facit; quàm si vitæ merito magni, & humilitate infimi simus. Qui verò illi sint in particulari, nouit ipse solus, qui corda scrutatur & renes Deus: vt in sequenti Capite dicetur.

Hieron. ad Celantiam. Summa huius Capitis.

Ad præcellentem hanc profundissimæ humilitatis lectionem rectè mundo manifestandam & commendandam, ipse supremus omnium Dominus Dei filius Iesus Christus de sinu patris in terrã vênit: seseque nouę huius ac despectæ planè Philosophię præceptorem dedit: nos omnes ad se conuocans, & ad studium huius professionis excitans: *Venite ad me omnes, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Verùm nos stulti & tardi corde primum nostrum Alphabetum nec capimus, nec retinemus; quæ supra nos semper sentientes. Vnde non importunè Heraclius Imperator à Zacharia Episcopo Hierosolymitano huius nostræ lectionis admonebatur; quum enim auro & gemmis ornatus crucem Christi ferens, vt eam in monte Caluariæ honorificè collocaret, insistere in porta coactus esset, nec vlteriùs progredi valeret;

Christus ad docendam humilitatem vênit. *Matth. 11.* *Paul. Diac. lib. 18.* Exemplũ humilitatis in Heraclio.

leret; dixit ei Zacharias: Vide, Imperator, ne isto triumphali ornatu in cruce ferenda parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius, abiecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit. Quis non maxima animi sui voluptate eo induatur habitu, quo Christum scimus Patri fuisse gratissimum; & eius exemplo, quotquot vnquam Deo placuerunt, singulariter acceptos fuisse? Hoc insigne Christi & velut vestis est; hac quasi notâ suos à vanè inflatis mundi cultoribus internoscit.

Quid mirum itaque si superbi Deo non placeant, quibus nulla est cum ipso parilitas vel similitudo: nihil sui in eis animaduertit. Neque ob id etiam eos exaudit, quia excelsi & sublimes, humiles ipsius aures (humilibus familiares & accessu faciles) nequeunt inuenire. Lepidum illud Aristippi dictum his meritò suggeratur. Cùm ille à Dionysio quidpiam postulans non audiretur, ad pedes regis se abiecit, & impetrauit. Reprehensus ab aliis quasi hoc Philosophum dedeceret: Nihil hîc culpæ, inquit: quia Dionysius aures habet in pedibus. Humilium semper Deo placuit deprecatio; superborum verò fastidit iactantiam: quod in publicano oculos atque animum demissè depriméte, & in fastuoso Pharisæo se superbè efferente ipse Christus designauit. *Luc. 18.*

Duorum istorum oppositam status & agendi rationem egregiè nobis depingit in hunc modum Chrysostomus: Geminos aurigas & duas bigas in stadio positas sermo præsens proponit. In altera quidem iustitiam cum superbia; in altera peccatum & humilitatem. Et vides, bigam peccati superare iustitiam, non propriis virtutibus, sed humilitatis coniunctæ. Illam verò deuictam; non fragilitate iustitiæ, sed mole & tumore superbię. Nam, sicut humilitas per sui eminentiam, peccati pondus superat, & saliens attingit Deum; sic superbia ob sui molem, de facili iustitiam deprimit. Hæc igitur fastus inflatio ab ipsis cælis potest deprimere non cauentem; humilitas verò & ab ipsa abysso reatuum hominem sublimare. *Chrysost. super hunc locum.*

Oratio ad obtinendam humilitatem.

NVnquam tibi, ô Domine, ab initio superbi placuerunt, sed mansuetorum atque humilium semper tibi placuit deprecatio; Da nobis, quæsumus, virtutem humilitatis; vt super hoc fundamento tale virtutis ædificium valeamus exstruere, cuius culmen ad regnum pertingat æternum. Amen.

CAP. LXIX.

Quātulus aut quantus iusto est examine quisque? Tantulus aut tantus, quantus stat lance Tonantis.

Quanti quisque sit pretij.

ADMIRATIONE & animaduersione digna est ista Interrogatio; nam contentiosam illam ac fanaticam terminat litem, quæ vniuersum ab ipso initio agitauit terrarum orbem; & nostro, si vnquam aliàs, seculo efferuescit. Hoc enim sibi quisque prærogatiuæ vendicat, vt sibi summo iure persuadeat, se non solùm aliquid esse, & quantū alius quilibet sui amans, verùm etiam aliis longè antecellere. Adeò vt œstrum hoc pungens, stimulansque illa cupiditas, qua quis maior, melior, doctiorque aliis sibi videtur, neminem propè intactum prætereat. Sed vnumquemque suscitat, commouet, & incendit, etiam non raró, vbi aut nulla, aut exigua est vanæ huius titillationis materia, qua sibi in aliquo complaceat. Nam docet experientia, neminem ita esse deiectę conditionis, ita omni dote destitutum, siue in anima, siue in corpore, siue in huius vitæ substantia, quin sibi facilè persuasum habeat, se aliquid esse, se non esse miserrimum, abiectissimum, quique omnibus sit posthabendus. Dicit tamen Apostolus, non de talibus tantùm quibus res tam angusta domi, verùm etiam de quolibet mortali, licet omnibus instructissimo: *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Quapropter benè sanctus Iacobus inanes huiusmodi vocat: *O homo inanis!* Quia quando non solùm quid foris appareat, sed quid intus reuera sit, attenditur; deprehenditur inanis tantùm esse species sine substantia, instar simulacri pro homine viuo. A

Communis hominum contentio, Quis eorum videatur esse maior.

Gal. 6.

Iac. 2.


Docet nos propterea loco prædicto D. Paulus, quo argumento cognosci queat, quanti in veritate simus; quídve loco infallibilis signi sit, quo videatur quid de re ipsa sit sentiendum. Sic inquit: *Opus suum probet vnusquisque.* Quia cùm remedium vitandi elationem sit propriorum defectuum consideratio, quando quis suum proprium opus expendit & probat, si bonum est, non gloriatur nisi in Domino, quia cogitat; *Gratia Dei sum in quod sum: & cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Sin reprehensibile est opus proprium; habet quo se humiliet, non quo se aliis præferat; sicut ille stultè de se sentiens ac loquens: *Non sum sicut cæteri hominum.*

Ratio scrutandi valoris proprij.

1. Cor. 15.
Luc. 17.

Luc. 18.

Atque ita qualiscunque sit homo, seu bonus, seu malus, si sui probationem ex probatione operis sumat, vt debet, quia arbor ex fructu cognoscitur; non se inani gloria efferet, sed etiam si gloriandi materia subesset, in semetipso tantùm gloriam habebit; sibi gaudens & congratu-





Quantulus aut quantus iusto est examine quisque?
Tantulus aut tantus, quantus stat lance Tonantis.

Hoe veel oft luttel ist, van elcken Mensch waerachtich?
Niet min oft meer (diet wist) Dan soo Godt weet almachtich.

De combien est bonne, Chacune persone, En ce nostre lieu?
Elle est tousiours telle, Et point autre qu'elle, Est aux yeux de Dieu.

gratulans, atque in Domino glorians: & non in altero, hoc est non in laude alterius, neque in consideratione alterius, cui se præferat: sed vt dicit idem Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* Vera igitur hominis cognitio ex re ipsa, non ex inani persuasione aut externa apparentia sumenda est: iuxta id quod Dominus Samueli dicebat, cùm venisset vt Dauidem in medio fratrum suorum vngeret regem: *Homo videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* 1.Cor.1. 2.Reg.16.

B Hæc igitur humanum genus vexat insania, vt non tantùm se quilibet quippiam esse persuasum habeat, verùm etiam aliis putet æqualem, atque adeò pręferendum: iuxta illam ferè pruriginem quæ Apostolos adhuc incultos & imperfectos molestabat; qua frequenter inter se quærebant, quis eorum videretur esse maior. Luc.22.

Vanitas autem ista duobus istis nititur fundamentis, ex quibus scilicet ipsa sumit originem. Primùm est, quòd ipse ita de se sentiat, ex alicuius rei consideratione in qua sibi complacet: alterum, dum vana ista persuasio ex assentatorum laudibus tantùm oboritur. Ad has tibias & cannas inanes saltat omnis mundi Stultitia ac inanis Gloria: vel quòd quisquam magnus sibi & in suis oculis videatur, vel quòd ab aliis laudetur & magni fiat. Vanitas complacentiæ duobus nititur fulcris inanibus.

Quæritur igitur, quanti verè sit quispiam faciendus, hoc est, quàm magni vel quàm parui verè sit pretij. Num quanti se ipse, vel mundus facit? Non. Neque enim ille lapis est Lydius, quo valor hominis exploretur. An fortè è contrà tam parui est homo pretij quàm vel ipse se iudicat, vel à mundo æstimatur? Nec hoc quidem. Quia humiles se viles existimant; & sancti mundo sunt despectui. Quid ergo sentiendum? quanti quisque pretij est? Dicemus paulo pòst. Sed priùs incertitudinem vtriusque iam agitati iudicij fusiùs explicemus, quandoquidem omnis error, & se stultè attollentium, & alios temerè deprimentium, ex his fontibus promanat. Incertitudo ęstimationis pretij ex propria complacentia hinc clara est, quòd tanto vilior semper quisque est habitus, quanto se ipse facit pluris: & tanto stultior, quanto sapientior sibi videtur. Exemplo est Nabuchodonosor, ob similem gloriæ inanitatem ex hominum consortio eiectus, & per septennium ferarum consors factus. Exemplo est & Aman (cuius ob id crebrò meminimus) qui præ eiusmodi fatuitate & sui æstimatione nesciebat quid ageret; & ligno, quod alij præparauerat, affixus interijt. Sic Theodas quidam, dicens se aliquem esse, quasi à Deo cum magna potentia & sapientia missum: sed mera erat vanitas, & ideò cum quadringentis viris, quos ea persuasione seduxerat, ad nihilum redactus est. Ita Simon Magus, dicens se aliquem magnum Prophetam scilicet vel Deum: at fumi instar, quo altiùs euectus est, adeoque corporaliter ministrantibus angelis tenebrarum, eo turpiùs orante Discussio quęstionis valoris veri. Dan.4. & 5. Esther 7. Act.5. Act.8.

S. Petro deiectus est. His adiungo omnes eos qui fallaci proprio iudicio sibi magni videntur; quorum primi sunt hæretici, sapientes in oculis suis, & magna de se sentientes, cum totius Ecclesię contemtu. Quoad proprium igitur cuiusquam de se iudicium, pro apostilla in margine ponendum: Nihil. quia vt iniquum & fallax repellitur.

Quoad aliorum etiam totius mundi de aliis censuram, illa quoque incerta est. Nam mundus vt plurimùm contrariũ iudicat: iuxta Prophetæ testimonium: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem; & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Error iudicij huius, exemplo Christi ad oculum conuincitur & confutatur: cùm ipse omnia illa elegerit & amplexus sit, quę mundus odit & persequitur: vt sunt paupertas, humilitas, abiectio, infirmitas, tolerantia, &c. in rebus, in personis, in modo agendi, tam quoad se, quàm quoad suos. Vnde Apostolus: *Videte vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt,* (iudicio seculi) *vt ea quæ sunt, destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Non igitur vera hominis æstimatio ab ipsius pendet arbitrio; siue se iactitet, siue se deprimat: nam vt neque superbi iactantia veram pretij magnitudinẽ statuit, ita nec humilis propria demissio veram arguit vilitatem. Nec verò pendet iudicium ab hominum censura, laudis vel contemptus, quia bilanx & statera mundi dolosa est. A quo igitur pendet pretij cuiusque sententia? hoc quæritur.

Isaiæ 5. — *1. Cor. 1.* — *2. Cor. 10.*

Respondetur, tantum quemque esse verè, quantus apud Deum est. Vt ille namque solus nouit omnia, immò & cordium secretissima; ita solus quoque iustus rerum omnium est æstimator & censor.

Hoc est quod Apostoli aliquem in locum Iudæ electuri orantes dixerunt: *Tu Domine, qui nosti corda omnium.* Et quod D. Ioannes de Christo testatur: *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes: & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Item aliàs Apostoli Christo: *Nunc scimus, quia scis omnia: & non opus est tibi vt quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo existi.* Et ipse de se, vt æterna veritas, veritati dat testimonium: *Ego sum scrutans renes & corda.* Et quoad cor, & quoad corpus, omnia solus perspectissima habet; & propterea solius ipsius est de homine verum iudicium, vt & iusta retributio. Vnde addit ibidem: *Dabo vnicuique secundùm opera sua.*

Act. 1. — *Ioan. 2.* — *Ioan. 16.* — *Apoc. 2.* — *Sap. 1.* — Oculus Dei secreta cordium rimatur & renum.

Secreta hæc & certa Dei inspectio, cognitio, & de hominis pretio censura oculo cęlesti librũ sigillis clausum intuenti comparari potest, in

in quem oculus humanus,tametsi acutissimus, nequit penetrare. Exteriùs tantùm intuetur homo, & dum eo obtutu de interioribus, vbi pretium latet,loquitur & iudicat,hallucinatur & errat. Deus solus librum cordis nostri vel omnibus mundi atque humanæ sapientiæ signaculis obseratum introspicit, & infallibiliter æstimat. Nam iidem hi libri in extremo ac tremendo illo iudicio aperientur, & ex ipsis sententia proferetur irrefragabilis, vt ab indubitata iudicis scientia & æquitate causæ profecta. Et tametsi tunc libri conscientiarum toti fient mundo conspicui, nunc tamen latent & clausi sunt, soli diuinæ maiestatis oculo aperti.

Extollat se igitur qui volet quantum volet: foris librum video, nescio quid scriptum sit intus: ac proinde iudicare de re ipsa non possum. Si iudico esse magnum, probum,sapientem,de exteriori tantùm specie, quodque oculis patebat, velut de exteriore corio libri iudico. Ita si ex incertis quibusdam indiciis alium quempiã reprobaro, hunc illi postposuero vel prætulero, cæcus de coloribus iudico. Quia sicut cæco colores,& quęcunque sub aspectum cadunt, incognita sunt; ita vera virtus aut vera cuiuspiam malitia, quæ sub solius Dei notitiam cadunt, nos fugiunt. *Vanitas se exaltantiũ.*

Viderint igitur qua basi suum iudicium fulciant,qui tam leuiter & temerè de proximo loquuntur & iudicant: nunc aliquem vsque ad sidera extollentes,qui fortè coram Deo despectissimus est: nunc alium luto platearum indigniùs concultantes, & omnium ludibrio exponentes, qui tamen apud Deum summo in pretio habetur.Ita cęcutitur in iudiciis. Viderint non minùs illi, qui præ fastu & philautia se aliis inaniter præferunt.

Quàm magnus igitur, vel quàm exilis sit quisque in virtutum ęstimatione (prout cuiusque rei pretium à præstantia sumitur) hoc soli Deo cognitum est. Sicut suprà ex D.Paulo docuimus: *Ille probatus est, quem Deus commendat.* Et sicut accommodè nostro proposito dicebat olim S. Franciscus, refertque Thomas de Kempis: *Quantus vnusquisque est in oculis Dei, tantus est,& non ampliùs; ait humilis Franciscus.* Si quis hæc contra, ausu temerario voluerit appellare; viderit ille, ne post diligentiorem rei inspectionem,exactioremque causæ discussionem & examen,dicatur ei quod Balsasari Regi Babyloniorum tribus verbis in pariete descriptum fuit, & à Daniele in hunc modum interpretatũ: MANE: *numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.* THECEL: *appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* PHARES: *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Tunc tam præfractè insipiens & insolens, seriùs suoque nimio damno perdiscet, quàm fraudulenta res sit sibi complacere, sublime de se sentire, & mundi laudantis iudicio stare; & non humiliter se in conspectu *2 Cor. 10.* *Thomas de Kempis, l. 3. cap. 55. de Imit. Christ.* *Daniel. 5.*

Dei gerere: cui & omnia cognita sunt, quique iustus æstimator est omnium.

Contrariũ iudicium Dei à iudiciis hominum per exempla exhibitũ.

Atqui vt vniuersa clariùs ante oculos quasi in tabula depicta conspicemur, aliquot exempla proferamus, in quibus ex diametro repugnantia videamus iudicia, Dei veri inspectoris, & mundi hallucinantis. In primis, quid de Abel, de Iacob, aut de Ioseph mundus sentiebat? quod erat de eis hominum iudicium? Pro iis habebantur, pro quibus nunc eiusmodi habentur qui modesti, iusti, & timentes Deum sunt: ij pro simplicibus quidem & rotundis habentur; sed nihili fiunt apud mundum respectu eorum qui subtiles, audaces, & viuaces sunt, prout vitia virtutum veste palliari solent. Hoc est, non censentur eiusmodi (licet æqui & boni) cum versutis, temerariis, præsumtuosis, sciolis, & factiosis comparandi. Longè alia de Cain, de Esau, de fratribus Ioseph, industriis, solertibus, motu & actione plenis, opinio apud sæculum. Interim alia prorsus Dei censura & æstimatio, planè aliud iudicium, Abel, Iacob, & Ioseph longè fratribus eorundem anteponentis. Et ita semper stultis mundi iudiciis cum certo Dei iudicio accidit.

De diuo Gallicano mirè conuerso. *Sabellicus lib.2.*

Quis vnquam humanæ censuræ virgula filum veritatis attigisset, quando pluris fuerit faciendus diuus ille Gallicanus; an quando Romani dux exercitus, cùm post Thraces, Dacos, & Scythas bello domitos, Constantiam Constantini Principis filiam sibi matrimonio locatam ac benè conuenientem cum immensis opibus haberet, totique mundo esset admirandus; an quum his omnibus relictis, Christianæ pietatis & humilitatis cultum amplexus est; cœpitque pro Cęsaris genero miles esse Christi, cuius vel solum nomen mundo erat execrabile; & Ecclesiæ subesse militiæ, qui Romanæ præfuerat? An item illi magnificentius fuerit hostes vincere, opibus & honoribus abundare, & à mundo in sublime ferri, an in Christi familia abiectum esse, religioni se obstringere, hospitum pedes lauare, mensam sternere, & alia humilitatis officia, quæ mundus abhorret, impendere?

Surius tom. 3. in vit. Io. Damasceni, M. iij 6.

Sic & de Ioanne Damasceno rogari posset, quando pluris fuerit æstimandus, an cùm in sæculo nobilis, an verò cùm simplex monachus factus est? Quando maioris ponderis & pretij in mundi statera fuisse eum existimabimus? an cùm Damasci in foro omnibus venerandus, & prę vestium, opum, & generis splendore suspiciendus visus est; an cùm in eodem foro, veste sordida ac pannosa, cum corbibus à collo pendentibus, ab Abbate suo Saba missus, ridiculus mercator consedit; ac duplo pluris ex obedientia merces suas faciens quàm iustus erat valor, ludibrio ab omnibus exceptus est, vbi notus & antea tantopere fuerat honoratus? Deinde, quis eum tunc quoque pluris fecisset, quando potiùs quàm à Religione suscepta tamque inexhaustæ humilitatis philosophia dimitteretur, cellularum omnium secessus quotidie

quotidie exhaurire & purgare maluit? Sed Deus planè aliter iudicat quàm mundus.

Ita & Simeon ille Salus dictus, elusit mundi iudicium coram hominibus. siquidem stultus reputabatur; sed erat sapiens Deo. Is teste Euagrio & Leontio, cuius & Acta Nicænæ posterioris Synodi fidem faciunt, omni inanis gloriæ cupiditate abiecta, quanquam sapientia cuiusque generis & diuina gratia refertus esset, tamen his qui eum minimè norant delirus visus est. Inter alia narrat Leontius, duos Patres monasterij cuiusdam prope Emesam (natale Simonis huius Sali solum) inter se de lapsus Originis causa & origine diffidentes, ad Abbatem Ioannem in terra sancta commorantem pro dubij decisione profectos, ab illo ad Simeonem hunc velut ad certius oraculū fuisse remissos. Cumque accedentes eum lupinos rodentem inuenissent, alteri illorum, qui stultum illū esse in corde iudicabat, tantam impegit alapam vt per triduum senserit; dixitque ei Simeon: Cur vituperas lupinos? fuerunt madefacti quadraginta diebus: ieiunarat siquidem exemplo Christi dies noctesque quadraginta. Origenes verò ex eis non comedit (inquit) quoniam mare subiit, & non potuit egredi, & fuit suffocatus in profundo. Ista symbolicè de Origene Simeon; quòd deserens ille Christianam benè probatam simplicitatem, per lupinorum esum repræsentatam, cùm plus sapere vellet quàm oportet sapere, euanuit in cogitationibus suis: & putans se sapientem esse, verè stultus factus est. Istiusmodi igitur ludibrio Simeon Origenem cum Origenistis voluit condemnasse: dum interim ipse à mundo delirus, fatuus, & insanus iudicaretur; sed Deo tanto sublimior erat sapiens.

Surius to. 4 1. Iulij. Simeon Salus. *Euagrius. Leontius.*

Ita & sancta Elizabeth vidua, S. Brigitta, S. Clara, & præ omnibus sanctissima ac gloriosissima Dei genitrix virgo Maria, tanto in Dei oculis sublimior, quanto in propriis humilior, & in seculi iudicio despectior. Caueat sibi quisque igitur, ne vel ipse sibi magnus videatur, neque mundi nitatur iudicio; sed studeat Deo placere, & ipsius se conformare sententiæ, à quo & vltimam est accepturus.

Oratio ad humiliter de se sentiendum.

SEmper ad altiora conatur, magniq; fieri desiderat humanum ingenium, sed veram celsitudinem nō quærimus: elide in nobis, Domine Deus, stimulantem hunc propriæ exaltationis vermem, vt ad perfectam nostri cognitionem humilitatemq; perueniamus, quandoquidem talium est Regnum cælorum. Amen.

CAP. LXX.

Quò ferar, afflictis inopino turbine rebus?
Mentem aduerte Deo: melioraque præcipe votis.

In aduersitate consilium.

NEMO facilè determinarit vtrùm facilius sit, an aduersa fugere, an verò in aduersis reperire consilium, quando illud antea non prçuideris, nec te contra obuentura munieris. Sic D. Augustinus: Non facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quçsita. Quocirca opportunè nos ista Interrogatio nostri commonet officij, vt sciamus in quo præcipuè sit collocanda fiducia, & ad quod proximè fugiendum solatium ac consilium, quando afflictis rebus inopino quasi turbine corripimur: præsertim si constantis more viri, clypeo patientiæ & prouidentiæ in omnem euentum præmuniti non fuerimus. Vt sciamus, inquam, quid tum facto opus; & de cetero, quo animo esse nos oporteat ad omnia similia quæ in posterum possent accidere. Innumera siquidem incommoda caput nostrum quotidie circumuolant, tum quæ corpus, tum quæ spiritum concernunt. Neque ferè transit dies, quin vel aliquid aduersi repentè oboriatur, vel meritò debeat exspectari.

August. in Epist.

Verum solatium sanumque consilium.

Quæritur igitur quid consilij in tristi aliquo euentu, vndecunque ille prosiliat, & qualiscunque sit tandem? Dicit Responsio: Mentem aduerte Deo. hoc est, conuerte te ad Deum, & bono esto animo. Vtque præstantiam huius consilij meliùs cognoscamus, audiamus quid dicat Cicero: Ratio in consolando plurimùm valere debet. hoc est, præcipua vis, totumque solatij ac consilij fundamentum in ratione consistit: sine qua friuola & debilia sunt omnia, quæ in medium consolandi vel consulendi gratia proferuntur. Eiusmodi sunt Christiana & diuina solatia in ratione fundata, & ob id solida ac efficacia. Ita diuus Paulus volens Thessalonicenses consolari, vt non contristarentur sicut & cæteri qui spem non habent, non verbis tantùm consolatoriis, sed ex Resurrectionis certitudine ratione desumta, illos solabatur: exhortans vt seinuicem verbis illis, verbis efficacibus, verbis rationem proferentibus, & verbis realibus consolarentur. Mundus, exclusa recta solatij veri ratione, verbis communiter solatoriis vtitur, casum deplorando; miseriam vel extenuando, vel etiã exaggerando; non modò nihil veri solatij afferendo, sed nec parùm subinde dolorem augendo.

Cicero.

1. Thess. 4.

Aliter Saluator ac consolator optimus Christus, viduam vnici filij mortem cum turba collacrymantem solatus est, dicens: *Noli flere*. Idque solida ratione, non mundi more, qui solùm id solandi gratia ita dicit:

Luc. 7.



Quo ferar, afflictis inopino turbine rebus?
Mentem aduerte Deo; melioraq; præcipe votis.

Wat is my best te vade, in druck en teghenspoedt?
Keert v tot Godts ghenade, en schept dan eenen moedt.

Lors que la Fortune, M'est trop importune, Quel sera mon port?
Contre son orage, Roidy ton courage, Et soit Dieu ton Nort.

dicit: ſed quia filium erat reſuſcitaturus, eique reſtituturus. Solantur homines ſe inuicem inanibus tantùm verbis, dum dicunt: Ne fleueris, eſto bono animo; & ſicut D. Iacobus dicit de eiuſmodi: *calefacimini & ſaturamini*; & nihil præter verba ſuppeditant: quibus quo fortiùs miſer inniteris, eo te grauiùs lædis; vt cui baculus arundineus in manu confringitur, & ſegmenta manum vultumque conuulnerant. *Iac.2.*

Reſponſio igitur ſolidum dat ſolatium ac conſilium in rebus afflictis: vt ſe quis ex animo ad Deum conuertat, quia ipſe ſuprema ra-
A tio, ſapientia, bonitas, & potentia eſt. Sic filij Iſraël diuino fruentes conſilio ad ſerpentem æneum ſe conuerterunt, Chriſtum crucifixum *Num.21.*
in eo per fidem contemplantes, & à ſerpentium ignitorum morſibus
B ſanati ſunt. Ita Paulus in præſentiſſimo naufragij periculo ad Deum *Act.27.*
omnes conuerti & bono eſſe animo hortabatur, & factum eſt vt om-
C nes animæ euaderent ad terram. Sic & Sara ad Deum confugit, quan- *Tob.3.*
do eam ancilla ſeptem virorum interfectricem appellabat, & ſolidam accepit conſolationem Tobiæ angeli miniſterio in vxorem data.

Heu quàm inconſultè agunt, qui in afflictione à Deo diſcedentes à diabolo conſilium & ſolatium petunt! ita agunt qui dæmoniacos, diuinos, hariolos, magos, ſortilegos, & id genus inferni propolas accedunt. Quid hoc aliud eſt, quàm vnum malum maiori malo & multis malis velle curare? immò omnia ſimul perdere?

Conuertitor ad Deum miſer, dum aliqua te premit aduerſitas; & ſolidum accipies ſolatium ac conſilium in ratione fundatum. Ipſe enim eſt qui vel immittit vel permittit malum, quodcunque obtingit; idque paterno affectu in filiorum ſuorum conſeruationem, non in perniciem. Nec mortibus nec plagis noſtris gaudet, ſed peccata noſtra, vt vulnera, talibus medelis curat. Optimum igitur conſilium eſt, ſtatim cum vera peccatorum pœnitudine ad ipſum conuerti, meliora concipere, & totum ſe eius diuinę miſericordiæ ac voluntati committere. Hoc eſt quod exemplo & verbo nos Propheta regius docet, dum ait: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*. Dum enim virga percutit, baculo ſuſtentat clementiſſimus Dominus, ne in caſtigatione deficiamus. Vt rectè dicebat Tobias cæcitate percuſſus, & refocillatus: *Tu Domine flagellas & ſanas*. Et Propheta: *Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus*. *Ezech.33.* *Pſal.22.* *Tob.13.* *Ier.m.31.*

Meritò ad Deum conuerſio conſulitur in aduerſis: quia ſicut oues per deuiationem à paſtore, ita homo per peccatum à Deo deflectit, & auertitur à ſummo bono ad bonum corruptibile & malum, certo animæ ſuæ diſcrimine. Deus verò vt paſtor bonus, ouiumque ſuarum zelator, tribulationem & aduerſitatem ſicut glebas terræ in nos proiicit, morbos, bonorum aut amicorum iacturam, opprobria, confuſionem, & quidquid diuinæ ipſius prouidentiæ placuerit, vt icti ſapiamus, *Ad Deum conuerſio, præſentiſſimum in rebus afflictis remedium.*

 piamus,

piamus,& instar bonæ ouis ad ipsum conuertamur; saltem per correptionem, si per blandum ipsius compunctionis & commonitionis sibilum non redeamus. Hoc igitur solatium & consilium vnicum, in quacunque aduersitate constitutis; vt qui à Deo per peccatum auersi sunt, per obstaculum eorum quæ tunc sibi aduersantia sentiunt, ab illis auersi ad Deum à quo fugerant conuertantur. Sic filius virgam persentiscens, totum se ad patris matrisque conuertit sinum, & quęrit per verbera, quod per peccata fugerat. Iamque totum se, si sapit, voluntati patris submittit; neque ampliùs, illâ contemtâ, suam cupit implere. Ita peccator à Deo correptus, tribulationem à manu Dei, vt benigni patris accipiens, se ad diuinã eius misericordiam conuertit, totumque se in eã proiicit, à qua dependere deinceps & dirigi desiderat.

Simile à filio & patre irato.

In Responsioue adiicitur: Melioraque præcipe votis. non tantùm in melius mores corrigito; quod se ad Deum conuertenti est necessarium: sed etiam concipe meliorem spem, & animo esto bono. Idque ratione: quia quemadmodùm parum spei concipi potest, quando quis solatiis tantùm humanis nititur, quæ communiter cum verborum lenocinantium sonitu transeunt, & in fumum desinunt: ita qui hanc consolationem & consilium sequitur, certus est se solidam percepturum salutem. Tribulatio enim vel per eiusmodi ad Deum conuersionem ab ipso tolletur, vt quæ immissa fuerat quò eum ad saniorem mentem adduceret, aut in maius ei bonum conuertetur. Non enim tunc solùm valet aduersitas ad pristina peccata diluenda, Deique iram placandam, verùm etiam ad magnum pręter id meritorum cumulum coaceruandum: & ita ad maiorem in cælesti patria gloriam obtinendam. Sic enim promisit Dominus, qui, vt audiuimus, & aduersa immittit, & cum præmiorum fœnore ab illis liberat. Ita inquit: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.*

Sumendus in re mala animus bonus.

Psalm.90.

Duo hîc exempla in hominum studiosorum gratiam adiiciam, in quorum priore quasi ad oculum conspicabimur, quantæ imprudentię sit in afflictione oborta, consilio hoc spreto, naturæ malè moratæ & moderatæ ductum sequi: in altero verò contrarium. Erat Solonis nomen tota Græcia & Asia celebre, quia leges Atheniensibus dedisset. Ceterùm cùm Miletum peregrè venisset, frequenterque cum Thalete (qui & ipse vnus ex septem fuit sapientibus) congrederetur, ac fortè ambo in publico deambularent, tum ex composito, filij mors ei nunciata est. Ad quem atrocem nuntium, vir alioqui sapientiæ fama nobilis, consternatus animo, repentè sese humo afflixit, capillum & barbam vtraque manu vellicans, fœdansque iniectu pulueris, ora palliumque cœpit laniare. Ad quod fœdum spectaculum, & indignum personâ quam gerebat, cùm ex toto foro ingens factus esset concursus, & ipse cum muliebri eiulatu ad satietatem spectatus indecorè iacuisset,

Sabellicus lib.3.cap.4. Solonis animi impotentia.

cuisset,tum Thales(cuius opera fuerat is nuncius allatus)Solonem leniter tangens; Bono, inquit, sis animo; filius tuus viuit. At experiri volui, quî te tali casu esses habiturus.

Aristippus,tametsi etiam Ethnicus,nos tamen meliùs docturus est. Cùm is aliquando ad Rhodiensium littus graui naufragio eiectus esset; ibique non sine magna solicitudine cogitaret,quanto in discrimine fuisset; vidit in arena figuras quasdam Geometricas: & conuersus ad comites,mœrore posthabito,hilari vultu ita exclamauit: Benè sperandum est:nam & hîc quoque hominum vestigia cernimus.Ibi non defore solatium significans, vbi scientię colerentur. Multo maiori ratione Christiani in afflictione animum sumant, quia ad Deum omnium auctorem conuersi, in tribulationibus vt certis notis & figuris vident descriptam suam salutem, & post naufragium huius mundi, certissimum beatitudinis portum. *Laërt.lib.2. Vitruuius de Architectura lib.6.* Aristippi fiducia.

Diui Iob in aduersis tolerantia, iam sępiùs decantata; qui hoc singulari fundamento nitebatur: *Sicut Domino placuit,ita factum est*.D. Remigij dictum factúmque, animi in aduersis tranquilli, atque in Deo fixi clarissimo argumento, his libet apponere. Dei spiritu reuelante cognoscens secuturam anno sequenti magnam annonæ caritatem, secutus sancti Ioseph prouidentiam, multos in villis Episcopij aceruos tritici (quos metas vocant) fecit: vt populo fame laboraturo inde subueniret.Impij verò homines,Dominica quadam die inebriati,cœperunt inter se dicere: Quid ille Iubilæus(sic enim appellabatur propter longæuam senectam Remigius)facere vult de illis metis quas congregauit? An ciuitatem nouam cupit exstruere? quia sicut turres per muros ciuitatis, ita per circuitum cortis, acerui illi erecti stabant. Et suadente Diabolo,se mutuò adhortati sunt,vt ignem in eos iniicerent. Quod cùm S. Remigio celeri nuncio esset relatum, ascendit equum, & accurrit, vt tantam hominum temerariorum vesaniam compesceret. At cùm eò peruenit, iam acerui omnes ardebant. Beatus autem Remigius,& ætate,& vespertino algore frigidior, de equo descendens, se eminus calefacere cœpit, tranquillo corde & ore dicens: Semper bonus est focus.Itaque ex necessitate virtutem faciebat. *Iob 1. Surius to. 1. post Hormisdæ Epist.*

Oratio in aduersitate.

QVandoquidem aduersitatẽ,Domine Deus,non minùs quàm prosperitatem donum tuum esse cognoscimus: in sinum tuæ misericordiæ me proiicio, vt venia peccatorum accepta,tuæ placeam voluntati. Amen.

CAP. LXXI.

Quid mihi ſpem ſiſtat, cùm res defluxerit ipſa?
Æthereæ volucres; depictaque lilia campis.

Viuendi neceſſitas ſolicitudinē viuendi parit.



VIVENDI neceſſitas parit in homine ſolicitudinem, ſolicitudo anxietatem, anxietas puſillanimitatem, puſillanimitas diffidentiam & deſperationem. Id verò totum defectu debitæ ſpei & fiduciæ in Dei miſericordia prouenit, dum aliqua neceſſitas premit. Videt enim & experitur homo, vt vitam hanc caducam ſuſtentet, victu, veſtitu & ſimilibus opus eſſe, ſine quibus non viuitur. Ex illa verò neceſſitate viuendi, vitamque ſic ſuſtentandi, incipit ſolicitè cogitare quibus modis neceſſaria illa conquirat. Cura illa angit; quia non ſtatim omnia ſuppetunt. Angor autem ille fatigat, torquet, & diſcrutiat, ſi non iactet cogitatum ſuum in Dominum; ſique ſpe & confidentia illa deſtituitur, qua in Dei benignitate quieſcat; qui vt omnia condidit, ita mirabili prouidentia omnia conſeruat & adminiſtrat. Hoc Gentilis ille Orator intellexit, dum ſic loquitur: Stulta cura eſt, quæ ſpem non habet. Diuus verò Ioannes Chryſoſtomus prædictam illam vitiorum originem & genealogiam attingit, his verbis: Solicitudo deſperationis eſt filia. Hoc eſt, Defectus ſpei in Domino, parit anxiam ſolicitudinem; & iſta tum peiorem parit cognominem, vt dixi, filiam, Deſperationem; qua planè animum deſpondent, qui iam non aliquo ſpei defectu laborant, ſed omnem ſpem prorſus abiiciunt. Peſſima eſt hæc generatio, in qua ſemper filia matre deterior fit, & in miſeri hominis perniciem fœcundior. Hinc fit non rarò vt ſtirps iſta & infelix progenies in corde humano ſuccreſcat, non quidem è neceſſitate ſata, ſed in plena rerum affluentia: neque ſolùm anxietatem & curam ſuperfluam, verùm etiam inſatiatam progignat auaritiam. Vt non minùs diues interdum, immò ampliùs ſit ſolicitus, quomodo vitam hanc ſit tranſacturus, quàm cui egeſtas & ſoror & mater eſt. Quid igitur de talibus dicemus, quos extrema neceſſitas cogit ſolicitos eſſe, ſi & opulenti ſtimulante auaritia in medio fortunarum ſuarum atque opum anhelant?

Quintil. Declam. 6.

Chryſoſt.

Vnde etiā auaritia gignatur in locupletibus.

Spe animus erigendus eſt.

Quæritur propterea hac Interrogatione, quid nobis ſpem ſiſtat & A ſperare doceat; cùm res ipſa defluxerit, omniaque illa deſtituerint nos, quę ad vitam neceſſaria ſunt: adeò vt nec res adſit, nec æs quo rem compares, neque etiam ſpes. Quid meritò ſic conſtitutis ſpem ſuppeditet, collapſámve reſtituat?

Matth. 6.

Reſponſio dicit quod Chriſtus Apoſtolis ſuis dicebat: *Reſpicite volatilia cæli, & lilia agri.* Hęc Chriſti doctrina ex paterna in nos cura pro- B C

fecta



Quid mihi Spem ſiſtat, cum Res defluxerit ipſa?
Æthereæ volucres, depictaque lilia campis.

Wat moet my doen betrouwen, vor ſonder goet, oft ghelt?
Der voghelen aenſchouwen, en lelien op tveldt.

Qui nous admoneſte, Que l'eſpoir on mette, En Dieu, a tout temps?
Le libre ramage, De l'oiſeau ſauuage, Et les lis des champs.

fecta est Considerans siquidem in nobis superfluam hanc vitę curam & anxiam solicitudinem, & vt omnium conditor ac pastor, sciens meliùs nobis quid ad hoc esset necessarium, ad nimiam hanc curam præscindendam dedit nobis aues & lilia magistrorum vice: illas quoad victum, ista quoad amictum. Nam vt D. Paulus dicit; *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Pręcipua enim cura & solicitudo hominis ad alia se debet extendere, longè meliora, maiora, atque excellentiora, quàm ad istam corporalis necessitatis procurationem. Ideò Dominus ac magister noster eadem opera hoc ipsum apertè explicabat: *Ne soliciti sitis*, inquit, *animæ vestræ quid manducetis; neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca; & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli; quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrûm cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri* D *quomodo crescunt; non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. Sufficit diei malitia sua.* Hucusque verba sunt Christi, Domini ac Præceptoris nostri.

1.Tim.6.

Matth.6.

Volatilia cæli quoad victū nominatim. Lilia agri quoad amictum.

Ex his Domini nostri salutaribus monitis summa Responsionis accepta est, ad Interrogationem, quid nos in spem erigat, quando re omni destitueremur. Neque alia opus erat super his explicatione, cùm sint per se clarissima; nisi quòd fortè aliqui nimium simplices existimare possint, hîc à Domino omnem curam & operam prohibitam esse, quinimò omnem quoque diligentiam, cùm ad aues nos remittens dicat: *neque serunt neque metunt*: cumque ad lilia: *non laborant neque nent*. Errant sine dubio eiusmodi sinistri interpretes verborum Domini. Nam non prohibet laborem, neque debitam pro cuiusque necessitate solicitudinem, sed anxiam illam & cum diffidentia coniunctam. Homo enim nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum. Et hæc est communis humani generis sententia: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Hoc est victum & amictū tibi labore tuo comparabis. Ideoque cuilibet suus est sudor, & labor, & officiū, in quo honestè ad Dei gloriam, & ad vitæ huius necessitatē exerceatur. Adeò & ob id otium in S. Scripturâ valdè reprehenditur; & piger ad formicam mittitur, vt ab illa & laborem discat, & diligentiam atque insuper prouidentiam: sicuti proximè sequenti Capite ex professò tractabitur. Solicitudo

Nō labor, non cura, neque diligentia vetantur, sed anxia tantùm solicitudo.

Iob 5.

Genes. 3.

Contra otiosos.

autem illa & cura,qua quisquam sua quàm vtilissimè disponit & dispensat, qui maximi frugi est; quin illa quoque qua de necessariis secundùm cuiusque statum & onus prospicitur,non solùm licita est & tolerabilis,verùm etiam laudem meretur,& in virtutum numero reponitur. Hinc Iosephi prudentia commendatur, qua in summa illa mundi egestate Ægypto & toti mundo quasi horrea condidit; itaque egit,vt *Saluator mundi* vocaretur; sine cuius prouidentia & solicitudine, mors præ inedia cuique videbatur ineuitabilis.

Genes.41.

Anxiam igitur curam Dominus culpat & prohibet,quę simul cum debita in Deum fiducia stare nequit, sed altera alteram excludit. Ita agunt,qui sua industria, suo labore & curâ omnia se putant acquirere,parum vel nihil Deo tribuentes. hoc Ethnicorum & barbarorum est hominum. D. Chrysostomus ait apposité & breuiter: Soliciti esse vetamur, laborare iubemur. Anxiam solicitudinem vetat: sed eam quam & in auibus videmus, non reprehendit.Non ita siquidem Deus pascit volatilia, vt quæ ipsa nihil ad hoc agant. *Non serunt neque metunt*: verum id quidem: illud tamen laboris obeunt gnauiter, quod eis à Naturæ conditore est inditum & ordinatum. Volitant de ramo in ramum,de tecto in tectũ,de campo in campum; socicitè indagantes, quà eis obuentura sit esca à Deo ipsis præparata. Hinc & rostro & vnguibus grana, micas, vermiculos quæritant, eruunt,prensitant. Vnde communiter in mensis, coxendix & pes galli gallinacei vel caponis,aut eiusmodi pulli conuiuialis viris traditur,cum lepido dicto: *Viris cura incumbit*: alendæ scilicet familiæ. Sicut gallus scarificando magna solicitudine terram sarrit & subigit, victum sibi gallinisque quæritando.

Chrysost.

Auium labor,industria,cura.

Hoc autem differentię est inter talem quæ cum Deo coniuncta est solicitudinem, & inter eam quę sibi nititur; quòd qui priorem illam habent, quidquid sua industria & labore acquirunt,Dei benignitati acceptum ferunt. Si bonam messem habent; dicunt cum gratiarum actione:Deus mihi vberem largitus est messem:& ita qui mercatu vel alia arte proficiunt: Deum dedisse profitentur. Alij verò sibi suęque industriæ tribuunt omnia. Volucres vt priores illi quęrunt,cursitant, volitant,venantur,& aliquando multo labore est opus,& tamen verè dicitur: Deus pascit illas: ideoque & ipsæ in gratitudinis argumentum Deum laudant, canentes quælibet iuxta rostrum & genus suum.

Grati omnia Deo accepta ferunt:

Ingrati sibi adscribunt.

Benè propterea nos monuit eadem illa lectione Dominus: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius*, hoc scilicet quod facto opus est,vt eo perueniatur tanquam per viam: *& reliqua adijcientur vobis.* Adiicientur non otiosis,nō sine labore,sed tunc benedicet Deus labori vestro, & erit fœcundus; qui alioqui sterilis est futurus. Ita siquidem videmus multos in seculo suis curis & laboribus immersos, vt non vacet vel

Regnum Dei primò quærendũ, vt alia quoque inueniantur.

vel ſemel caput,oculos,aut manus in altum tollere,& Dei meminiſſe: & interim omnia retrorſum labuntur,& cancrorũ more procedunt. Quid mirum eos non inuenire quod quærunt, cùm nec vbi nec quomodo inueniendum eſt quærant? Dici Dominus: *Quærite primùm Regnum Dei*; Dei honorem,animæ veſtræ ſalutem, & alia ad vitã hanc neceſſaria, illa via inuenietis. Si igitur alia quęris via aut modo, tibi imputa ſi fruſtraris. Vnumquodque enim ibi,tum,& ſic quæri debet, vbi,quando & quomodo inueniri poteſt. Non enim mare, nec quidem littus aratur ſeritúrve,nec ibi meſſis quæritur: ita neque venatu, nec inflato cornu,nec latratu canum in campis piſces captantur, quia nec ibi ſunt, nec eo modo capiuntur: ſic in rebus de quibus ſermo eſt agi debet; quærendo regnum Dei ante omnia; & illæ res ſine quibus hæc vita non agitur, adhibito debito ſtudio conquiruntur.

Non fruſtrà dicebat Dominus Apoſtolis,poſtquam iam tota nocte nihil cepiſſent: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Quia qui ſuopte labore nituntur, per totam laborantes noctem nihil capiunt. Ad dexteram retia in capturam laxare debent: cùm Dei nutu & ope, primùm quod vitæ æternæ eſt quęrentes, & tunc inueniendo quod huic vitæ congruit,honeſtã operã dantes;ſicq; inuenirent vtrumque. *Ioan.21.*

Quibus benè conſideratis certò conſtat, vitam hominis Chriſtiani, omnemque eius actionem, ita cum ſolicitudine diuini honoris, proprię ſalutis, atque ædificationis proximi debere eſſe contemperatam & conditã;vt & prima cogitatio & poſtrema,vt & cuiuſque actus initium & finis,guſtum illum ſalutarem, ac diuinum odorem ſpiret. Quique id ſentiunt & ſapiunt, primo diluculo cor ad Deum eleuant, gratias agentes; diem illum cum omnibus ad eum pertinentibus Deo offerentes.optantes vt cuncta ipſorum oratio & operatio ab ipſo ſemper incipiat, & per ipſum cœpta finiatur. Sacro Miſſæ officio deuotè audiendo dant operam: aut, ſi non patiantur eo die negotia, domi preces ſuas antequam prodeant,fundunt: etiam iiſdem interdiu nonnunquam repetitis, prętertim circa prandium; tanquam medio iam diei peracto curriculo reſpirantes. Illi & veſperi, priuſquam cubent, acta dei per Conſcientiæ examen ſecum reputant; & ſi quid commiſerint, veniam precantur; ſicuti latiùs in LXXIII. Capite,Deo dante, dicturi ſumus. *Pius totius diei decurſus.*

Qui ita in Dei timore viuunt,verè coram Deo ambulant:cum proximo in charitate, ſinceritate, & pace conuerſantes. Opus ſuum, mercaturam, officium,cum omni æquitate & diligentia exercent; & tamen Deo omnia committunt, ab eius bonitate quidquid euenerit acceptantes. Si ex voto atque animi ſententia ſucceſſerit; Deo acceptum ferunt cum gratiarum actione: ſin aliter quàm ſperarant euenerit; æquanimiter ferunt, & in ſalutem animæ conuertunt: quam *Boni nituntur Dei prouidentiã,& quod ſui officij eſt faciunt.*

in

in primis commendatam habent, & quò omnia ſua dirigunt; quod idem eſt atque Regnum cælorum quęrere, & (vt viam) iuſtitiam eius.

Videre igitur eſt, quemadmodum anxia illa Deoque inuiſa ſolicitudo omnem in homine ſubuertit vitę ordinem,& finem ipſum (hoc eſt ſalutem) auertit: ita cum Dei benignitate ac prouidentia coniunctam ſolicitudinem omnia in hac vita tranquilla reddere, & vitæ æternæ viam reperire.

Vtinam ſaperent filij hominum atque intelligerent, tamque opportunum ad regnum cęlorum,& ad vitę huius commodam vſuram, compendium amplexarentur! Et certè ſi vel minimum veræ lucis acciperent,ex ſuiſmet actibus rem iſtam perſpectiſſimam haberent. In domum ingredi cupiunt: & neglecto oſtio quod oſtenditur, certatim capite in parietem impingunt. In cælum ire volunt, & vitæ neceſſaria inuenire: viam autem per Chriſtum oſtenſam negligentes, aliâ contendunt hæc aſſequi; & vtroque fruſtrantur. Cùm inſuper dicat
1.Cor.3. Apoſtolus: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus.*

Vtque diuinam prouidentiam erga ſui cultus ſtudioſos meliùs habeamus commendatam,vnum ex veteri Teſtamento de Elia & alterum ex nouo de S. Paulo exemplum proponemus. Elias in magna illa fame, cùm cælum ad eius orationem tribus annis & menſibus ſex ſic clauſum eſſet,vt ne gutta quidem aquæ decideret,à coruis Dei iuſſu paſtus fuit; *Coruis*, inquit Dominus, *præcepi,vt paſcant te.* Corui tamen paſtum potiùs aliis ſolent ſuffurari. Ea eſt Dei admiranda benignitas. *Corui autem deferebant ei panem & carnes manè; ſimiliter panem & carnes veſperi: & bibebat de torrente.* Torrente exſiccato,mirabili iterùm modo idem propheta per viduam Sarephthanam fuit enutritus: cuius hydria farinæ non defecit; & lecythus olei non eſt imminutus:donec pluuia deſcendente terræ fœcunditas eſt reuerſa.

Corui miniſterium.

3.Reg 17.

S.Paulus primus eremitarum,ſexaginta annis à coruo etiam dimidiatum panem afferente paſtus fuit. Vtque certior tum in hoc, tum in ſequēti facto Dei prouidētia eluceret; accidit vt ſuperueniente S.Antonio nouo hoſpite,integrum coruus ille panem adminiſtraret; Paulo tum dicente cum gratulatione condigna: Eia! Dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors. Sexaginta iam anni ſunt, cùm accipio quotidie dimidij panis fragmentum; nunc ad aduētum tuum militibus ſuis Chriſtus duplicauit annonam.

Hieron in vit.S.Pauli. Iterùm, Corui miniſterium.

At viciniora noſtris temporibus,noſtroque vſui paulò familiariora narremus. Cùm Romæ apud S. Sixtum,centum fratres cum S. Dominico ſub Euangelica degerent paupertate, die quodam miſſi ſunt ab eo duo fratres,Ioannes Calaber,& Albertus Romanus,vt elęemoſynam peterent.Illis à manè vſque ad tertiam fruſtrà laborantibus,& iam

Surius to. 4. Vitæ ſancti Dominici lib.3.cap.4.

iam reuertentibus occurrit quędā mulier, deditque eis vnum panem, dicens: Nolim vos prorsus vacuos redire. Eo accepto, vir quidā pauper rogauit obnixè, vt darent ipsi eleemosynam. Cùm se illi excusarent, illeque instaret, dederunt ei panem. Redeuntibus factus obuius Dominicus, per reuelationem actorum gnarus, iucundo dixit vultu: Iam nihil habetis, filij? Narrant ei vt euenerant omnia. Atque vir sanctus ad eos: Angelus Domini is fuit; & Dominus pascet seruos suos. Eamus oratum. Egressus inde ab Ecclesia, iussit fratres ad prandium adesse. Post quorundam hæsitationem, quòd deesse scirent alimoniam, tandem omnibus signo dato aggregatis, sanctus vir mensæ benedixit. Cunctis sedentibus ad mensam, legi cœptum est, & vir Dei Dominicus, iunctis manibus, orationi se dedit. Et ecce, duo formosissimi adolescentes panes candidissimos, singulis singulos, ab infimis incipientes apposuerunt: statimque se omniū conspectui subtraxêre. Dixit autem vir Dei: Comedite panem vobis missum à Domino.

Deinde ait iis qui mensis ministrabant, vt vinum adferrent. Illis dicentibus, se nihil vini habere: vir Dei plenus Spiritu sancto; Ite, inquit, ad dolium, & de vino in illud à Domino infuso, nobis haurite. Eunt illi, & inueniunt dolium optimo vino redundans, quod haustum fratribus attulerunt. Comederunt itaque & biberunt, singulari Dei munificentia recreati.

Si adhuc cuiusque necessitati accommodatius exemplum requirimus, audiamus quid eidem alio acciderit tempore. Procurator domus indicauit aliquando sancto viro, deesse panes. Ille iucundo spiritu benedixit Deum, & exiguū illud, quod supererat, iussit frustratim mensis apponi. Erant tum in monasterio fratres plus minus quadraginta. Ingressi itaque in refectorium, post benedictionem, singuli buccellas sibi appositas cum gaudio frangunt; moxque duo iuuenes, eiusdem & formæ & habitus, multos inferunt panes, quibus tacitè beato viro oblatis, subitò recedunt. Tum vir sanctus ad omnes extendens manus, Iam nunc, inquit, fratres, comedite. O miram Dei benignitatem, talem se timentibus escam præparantis!

Oratio contra diffidentiam de Dei benignitate.

APeris tu manum tuam, Domine, & imples omne animal benedictione: Da mihi, quæso, benè tibi seruiendi gratiam: quia victum & amictum illis non es negaturus, quibus cælum tuum teq; ipsum largitus es. Amen.

CAP. LXXII.

Torpentem quánam excutiet piger arte veternum?
Paruula sit magni exemplo Formica laboris.

Contra otium & pigritiam.

INTERROGATIO ista & Responsio optimè quadrant cum A præcedenti Capite, contra eos qui Christi doctrinam, solicitudinem nimiam vetantis, in velamen & fomentum otij ac pigritiæ arripiunt. Ita illi, etiam per sectæ modum, se aliosque in errorem mittebant, qui in arboribus desidentes, expectabant quoad Deus eos pasceret, cibumque in os otiosis ingereret, qui nec volucres sic pascit. Eoque dementię deuenerunt, vt multi pertinaciores præ inedia ex ramis mortui corruerent. Nominatim id nostro tempore in Benschop Diœcesis Vltraiectensis anno 1539. accidit: qui etiam inde Teutonicè **Boom-klimmers**, hoc est, arborum conscensores per derisum vocabantur.

In arboribus supini sedentes Deum tétantes.

Quàm detestandum sit otium, commune illud dictum designat, quo omnium malorum mater dicitur, iuxta illam Sapientis sententiam: *Multam malitiam docuit otiositas.* Propheta Ezechiel inter præcipuas causas vastationis Sodomæ, etiam hoc vitium commemorat, dum sic ait: *Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ: Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Quid enim mali non exoritur ex saturitate ventris & otiositate? Nam qui crapulæ & abdomini dant operam, & benè pasta interim membra sinunt otio torpescere; aptissima sunt diaboli instruméta, quæ in omne malum moueat, inflectat, & impellat. Rectè vt ideò diuus Hieronymus moneat: Facito aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum. Nam, sicuti aues non nidificant super alis molarum, nec in illis multum desident, nisi dum illæ à solito suo motu quiescunt; ita diabolus neque locum neque quietem in illis reperit, qui semper in motu & in actione sunt, se aliquo bono exercitio occupantes.

Eccli. 33.

Ezech. 16.

Hieron. ad Rust. Monach.

Subiit aliquando eremi tædium Antonium Abbatem, dubiusque consilij clamasse fertur; Seruari cupio, sed cogitatio aduersatur. Hîc mirum accidit: media illa animi fluctuatione intuitus est hominem monastico habitu, nunc calathos texentem, nunc orationi intentiùs vacantem; audiuitque supernè vocem: Et tu sic facito. Quod oraculum secutus, per hæc duo tam constanter perseuerauit, vt omnium monasticæ disciplinæ sit obseruantissimus iudicatus.

Sabellicus lib. 2. cap. 9.

Visio S. Antonij ad vitandum otium & tædium.

Hinc religiosis, & etiam eremitis, aliisque sanctis personis in vsu semper fuit, manuum labore se statis temporibus exercere: quod & ipsa diua virgo Maria legitur obseruasse. Videmus & nobiles matro-

nas



Torpentem quânam excutiet Piger arte veternum?
Paruula ſit magni exemplo Formica laboris.

Hoe ſal hem den luyaert, tot neerſtigheyt beſt keeren?
Aenſiet der mieren aerdt, die ſullent u wel leeren.

Qu'eſt ce qui prouocque, A l'oeuure, et ſe mocque, De tout laſche coeur?
La Formy inuite, Que chaſcun l'imite, Au ſoin, et labeur.

nas non necessitate aliqua cogente, neque lucri, sed otij tantùm vitandi gratia, aliquid operis actitare. Immò & Sancti aliquando, si non esset quod de nouo facerent, facta dissoluebant, reficiebantque, ne otium domi ipsorum locum vllum haberet. Sciebant cor hominis
B otiosi puluinar esse diaboli, super quo commodè & tranquillè quiescens, nihil non mali excogitat. Hoc & Gentiles non latuit: vnde valdè apposité Poëta:

Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter? Ouid. lib. 1. Remed
In promtu causa est: desidiosus erat.

Hinc idem Poëta: *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.*
Dicit propterea grauiter Menander: Idem est otiosus, & malus ciuis. *Menander.*
Hinc & inter apes, otiosæ vt fures plectuntur. Notauit eam ob rem benè D. Augustinus, quàm noxium sit à bonis exercitiis per otium desciscere, vt dicat, otio periisse Romam, deletâ Carthagine. Quæritur igitur præsenti Capite, quánam arte piger torpentem veternum *August de Ciuit. lib. 1. cap. 30.*
C excutiet, & otio vitato diligentię se dedet? Respondetur cum Sapien-
D te: *Vade ad formicam ô piger; & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Et iam formicæ comparatione pigrum stertentem increpat, his subdens: *Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas; & pauperies quasi vir armatus.* qui scilicet te oppressum ad nihilum rediget. Adeò vt pi- *Prou. 6.* Ad formicam piger.
E ger dici possit quasi cor proprium in manu sua perfodere, cuius tunc
F omnia membra fracta labascant, & patibulum eum vt sibi debitum præstoletur. Ideò ad diligentiam eum potiùs excitans Sapiens, prædictis sic adiicit: *Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua: & egestas longè fugiet à te.*

G Quod ad formicæ naturam attinet, verè admiratione dignum est, quod Plinius de illa scribit, quodque iam ferè omnibus per experientiam innotuit. Non est vllum animalium formica robustius, si proportionem spectes: vt verè dici possit; formicam esse leone fortiorem. Tribuit formicis Plinius Rempublicam, rationem, memoriam, & solicitudinem. In antra sua, velut horrea subterranea, grana important, delibata primùm, & deroso germine, ne in terra repullulent & crescant. Quę maiora sunt quàm vt commodè inuehi queant, illa ante antri ingressum secant, & frustratim ingerunt. Humida grana tempore pluuio inuecta, splendenti soli exponunt siccanda, vt messis diutiùs conseruetur. Noctu etiam plenilunij tempore operantur; at non, crescente luna, vel eadem decrescente. Interlunio cessant. Interdiu siquidem etiam tum cessant ab opere, tempore inter veterem & nouam lunam medio, dum luna non apparet. Iam verò, quàm diligentes & *Plinius Natur histor. li 11 ca 30.* Formicæ natura.

strenuæ in labore! quàm alacres! quàm obedientes! quàm indefessæ! Et quia à variis partibus onera sua aduectantes adueniunt, quarum vnæ de aliis ignorabant; hinc ne confusio oriatur, & indigesta frugum moles molestiam pariat; stati dies sunt omnia perscrutandi lustrandique, & suo quęque loco & ordine disponendi. Tunc videas eas capita conserentes, quasi se mutuò interrogantes & conferentes consilia. Ex assiduitate autem euntium ac redeuntium sulcati videntur calles: neque solùm per terram tritæ vię, verùm etiam lapidibus inducta ex frequentatione semita notari potest. Vt meritò ad formicam mittatur piger, non solùm vt diligentiam, industriã, & prouidentiam ab illa discat; sed nominatim vt etiam vias eius consideret. Nam licet per vias eius, non iam agendi rationem & mores intelligeremus, sed tantùm vias illas quas commeando & remeando terræ & saxis ipsis imprimit; meritò sufficiat ad faciem pigri pudore suffundendam, qui præ ignauia vix manum vel pedem moueat ad operis quidpiam attingendum; quique ne tantillum in toto continet corpore, quod frugi esse velit. Possent etiam tales ad apem mitti, vt prudentiam, vrbanitatem, diligentiam, & omne ferè virtutum politicarum & Christianarum genus addiscant. Nam nihil est quod in admirando eximioque isto animalculo reperiatur, quo Christianus tã in interiori quàm in exteriori homine nõ excolatur & exornetur; si ęmulari velit: quemadmodum hac super re ex professo in Apiario nostro Christiano Teutonicè conscripto tractauimus.

Vię formicæ naturales & metaphoricæ.

Apis laus.

Qui verò talibus magistris & exemplis ex natura sumtis, & à Deo propositis non mouentur, neque quidquam propterea de intoleranda sua desidia remittunt; digni sunt quibus D. Pauli consilium & remedium adhibeatur: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Quòd si fortè opportunum non fuerit hoc vti pharmaco, vel etiam adhibitum non satis efficaciter aut ex voto operetur; posset & alterum applicari, pro conditione personæ, priore fortè efficacius: & tergum eius fricari ac mulceri eo vnguine, quo asinorum terga liniuntur; iuxta Sapientis consilium, sic præscribentis: *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium.* H

Aliud contra inertes consilium.

2. Thess. 3.

Tertium remedium pigritiæ.

Prou. 26.

Gymnosophistæ sapientes Indiæ otium tantopere detestati sunt, vt cùm edulia mensis apponerentur, priùs adolescentes interrogarent; Quid à lucis ortu didicissent vel fecissent. Qui nihil respondebat, impransus foras triclinio extrudebatur. Habebant odio quàm maximo desides, quos omnes quia nihil egissent in hac vita, tanquam non vixissent, bestiarum sepultura sepeliebant.

Apuleius 1. Florid.

Inertes inedia castigati.

Florentiæ in Hetruria patrio instituto animaduertitur in eos, qui otiosè & ignauiter in ea ciuitate agunt. Ex his expostulatus aliquis vnde victum sibi quærat & vestitum, si expedire non possit, nec vitæ innocen-

Sabellicus lib. 6. cap. 1.

Otiosorum pœna alia.

innocentiam probare; vt sceleris conuictus plectitur, aut tanquam ciuitati perniciosus, vrbe eiicitur. Si ita hodie cum otiosis ageretur, victumque & vestitum nescio qua arte sibi comparantibus vtriusque sexus hominibus; immensa malorum seges in herba,& etiam in semine suffocaretur. Nam verum est quod scribit Hieronymus: Teneatis firmissimè,quòd omnis concupiscentiæ,& immunditiæ,atque peccati mater est otiositas. Vnde idem ad Demetriadem postquam & studij & orationis pensum præscripserat,ad opus manuum etiam adhortatur:Habeto,inquit,lanam semper in manibus,vel staminis pollice fila deducito. Hæc obseruans,& teipsam saluabis & alias; erisque magistra sanctæ conuersationis, multarumque castitatem lucrum tuum facies,Scriptura dicente: *In desideriis est omnis anima otiosi.* Nec idcirco tibi ab opere cessandum est,quia Deo propitio nulla re indiges: sed ideò cum omnibus laborandum est, vt per occasionem operis, nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet seruitutem. Simpliciter loquar: Quamuis omnem censum tuum in pauperes distribuas; nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris, vel in vsus proprios, vel id exemplum virginum cæterarum,vel quod auiæ matrique offeras,maiora ab eis in refectionem pauperum pretia receptura. Hucusque D. Hieronymus. Consonant ista iis quæ dicit Apostolus: *Magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Neque enim de iis tantùm conqueritur Dominus, velut de ingratis, qui mala committunt, sed etiam de iis qui omittunt bona; communi vtrosque complectens sententia: *Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.*

Hieron.de Monachis Ægypti. *Idem ad Demetriadem.* *Ephes.4.* *Psal.34.*

Iuxta hanc sententiam dicit sermone quodam D.Chrysostomus, nihil boni facere, nihil aliud esse, nisi facere aliquid mali, Exempli causa,inquit,si seruum habeas,non rapacem,non ebriosum, non contumacem, sed sobrium, moderatum,vitij omnis expertem: idem tamen totos dies si domi sedeat otiosus, omittatque ea quæ ad suum munus attineãt,nónne grauiter vapulabit? Atqui nihil maleficij commisit: sed satis maleficij est, munus suum neglexisse.

Chrisost. de Virt. & vit.

Oratio contra otiositatem & pigritiam.

QVandoquidem dies veniet, Domine,quo non licebit operari, sed inutilium seruorum manus & pedes ligabuntur; excitet me obsecro, atque agilem faciat tuus Spiritus,ad operandum & ambulandum, dum dies est; vt cum fidelibus seruis & operariis denarium diurnũ vitæ æternæ accipere merear. Amen.

CAP. LXXIII.

Vespere quem mulcet liquida ac sincera voluptas? Qui solidam virtute diem expendisse reuoluit.

Dies benè exactus lætum vesperum parit.

INTERROGATIONE ista quæritur, quis sub noctem, quando die transacto quies petitur, tranquillo ac læto sit animo Tunc enim homo, semotis arbitris, strepituque diei cessante, sentit in se aliquid, quod durante negotiorum turba nō percipiebat. Responsio ex breui Thomæ de Kempis sententia manifesta est: *Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuosè*. Cumque propterea valdè sit consultum, diem piis bonisque actibus transigere, vt præter meritum operum, etiam quis eo commodo fruatur, vt placida lætaque conscientia fretus, se quieti componat: triplici diei hanc quęstionem & responsionem applicemus vt illis fructuosè transactis, optatum animabus nostris gaudium sub illorum finem oboriatur. Diem vnum naturaliter vocamus, à manè in vesperam. Spatium item vitæ cuiusque, vt & generaliter totius mundi, ab initio ad finem vsque, dies in sacra Scriptura nuncupatur. Sicut cuiusque natiuitas diei ortus est, ita mors occasus. Et totius mundi decursus, spatium diei vnius duodecim horis distinctum, sub quarū vltimam, vt diei vesperam, nos in vineam vocati sumus. Sed quoniam magni huius diei exitus ab exitu diei vitæ nostræ dependet, huius diei decursum & finem expendamus attentiùs. A

De imitat. Christi li. 1. cap. vlt.

Dies naturalis, Dies vitæ, Dies mundi.

Seneca epist. 62.

Dicit rectè Seneca: Instar totius vitæ dies est. Vtque dies vnus vitam totam refert, ita vita tota diem vnum. D. Augustinus inquit: Dies imago vitæ, nox mortis. Quęritur igitur, quis vesperi verum sentiat in animo suo gaudium? Respondetur, quòd is, qui diem expenderit fructuosè. Sicut namque, cui id in naturali die contigerit B lætatur, quando conscientia teste nihil commiserit quod contristet, nihilque omiserit quod ad boni viri officium pertinebat, quia lectum suum totumque cubile, quasi floribus ac suaueolentibus herbis stratum videt: ita quando sub vesperam diei vitæ totius, testante propria C conscientia, rememorabitur eorum quæ egerit. Gaudebit quòd Deo seruierit ex animo, mandatis eius obseruādis incubuerit, in proximum charitatis opera exercuerit, virtutibus operam dederit, se conatus fuerit omnibus æquum & charū exhibere: & si in aliquo deliquerit, gaudebit nihilominus, quòd conuenienti remedio saluti animæ per pœnitentiam tempori consuluerit. Vt hoc gaudium talibus quotidianum est, saltem quotiescunque se ita per diem gerunt, ita & in morte accidet, & in vltimo illo vespere, mundi inquam fine, quando in anima & corpore æqua omnibus fiet retributio.

Mors quieta ex vita benè transacta.

Heu

GAVDEBIS SEMPER VESPERE; SI DIĒ EXPENDERIS FRVCTVOSE.



Veſpere quem mulcet liquida ac ſincera Voluptas?
Qui ſolidam virtute diem expendiſſe reuoluit.

Wie tſauend vinden mach, ſyn hert en moedt vol vreuchden?
Die den gheheelen dach, heeft ouerbracht in deuchden.

Quand le iour ſe borne, Qui deſprit peu morne, A contentement?
Qui de la iuſtice, A couru la lice, Tout le iour durant.

Heu quàm dolendum, multos instar otiosorum ac pigrorum operariorum se gerere ! qui serenum optabilemq́ue diem totum ferè fabulis, nugis, iocis, otiis, poculis, deambulationibus, & nescio quibus deterioribus transigunt, & dum nox ingruit, diligentes esse volunt; cùm alibi fenestræ atque ostia clauduntur. Et tunc multum videntur operæ pręstare velle, dum mors ostium pulsat. Sicut & viatores pigri, nusquam non ob voluptatulas suas in via hærentes, & tunc primùm cogitantes de itinere conficiendo, cùm aduesperascit; maioresq́ue cadunt altis de montibus vmbrę. Tunc currunt, tunc anheli properant, quando iam ciuitatis portæ occludendæ sunt. Cùm tamen ambulandum fuerit, dùm dies esset; & properādum, dum lumen splenderet, ne tenebræ comprehendant, vt monuit Christus. Operandum ambulādumq́ue, dum dies est.

Notatu dignum meritò dictum Vespasiani omnibus qui tam exiguam diei præsentis, temporisq́ue labentis habet rationem, vt vix semel recogitent, vosui momenta celerrimè, & irreuocabile tempus volare; neque considerent quid pensi expleuerint, quamq́ue inutiliter totum diem consumserint, nisi cùm iam dies exspirare videtur. Titus siquidem Vespasianus, Vespasiani filius, dum in cœna aliquando recordaretur, se illo die nemini quidquam præstitisse; memorandam illam edidit vocem : *Amici, diem perdidi.* Vespasiani dictū memorabile.

Ad vitam itaque prudentiùs vigilantiusq́ue instituendam, consultum est, vnumquemque diem pro vltimo vitæ die reputare: siue cùm surgitur manè, siue cùm vesperi incumbitur : atque ita semper viuere, sicut mori, & à Christo iudice inueniri cupimus. iuxta illud viri sapientis dictum : Non licet præsentem diem rectè viuere, nisi quasi vltimam victurus cogitaueris. Ita & Socrates docebat, qua in re potissimùm quies illa & tranquillitas animi consistebat. Is interrogatus, quínam tranquillè viuerent? Illi, inquit, qui nullius absurditatis sibi conscij sunt. Ideò & Phocion Atheniensis dicere solebat, illum longè commodiùs suauiusq́ue dormire, etiam humi cubitantem, qui bono & securo est animo, quàm qui intus conscientię stimulis angitur, etiāsi aureo lecto decumberet. Quanti igitur nos Christiani securam hanc conscientiam facere debemus, vt tranquillè non tantùm sub noctem, sed & in morte conquiescamus, à qua pendet æternitas ! *Apud Stobæum.* *Anton. in Melissa par. 2. ser. 77.*

Oratio vespertina ante quietem.

GRatias tibi ago, Domine Deus, quòd me hoc die seruaris, & feliciter eum transigere permisisti: Da mihi gratiam tuam, vt sub tua protectione hanc noctem quietè conficiā, & cras tibi maiori cum fructu deseruiam; vt die vitæ, ac mortis vespere consummato, in æterna tecum merear quiete gaudere. Amen.

CAP. LXXIV.

Quis contrà, anxiferã petit ægrâ mente quietem? Cui lucem exactam combussit praua cupido.



Virg. lib. 1. Georg. Inquies nocturna ob diem malè exactam. *Prou. 4.*

NOTVM est illud Virgilij dictum, quo veteres suorum aliorúmve effrenem cupiditatem, curæque expertem licentiam reprimere solent: Nescis quid serus vesper vehat. Quod & illis communiter dici solet, qui præsentibus tantùm intenti voluptatibus, nihil planè cogitãt quid postea sit futurum. Nam vt plurimùm, quemadmodum dicit Sapiens: *Extrema gaudij luctus occupat.* Videntur enim tristitia, luctus, & pœnitudo ex insidiis sub finem gaudiorum mundanorum assurgere; sicut grassatores & prædones, quando comitatum aliquem intercipiunt, à tergo, vbi debiliores, præpediti, impedimenta, sarcinæ, & similia esse solent; quæ plus quàm priora prædæ exposita sunt. Vtque puerorum ludus ferè in lamenta desinit, ita lætitiæ humanæ luctu terminantur. Post longa colloquia, prolixa conuiuia, tripudia, risus, post vana spectacula, & præsertim post obscœna consortia, & impuræ libidinis expletionem sequitur cordis amaritudo, conscientiæ remorsus, capitis & mentis dolor, inquietudo animi, contentionis acerbitas, dissidiorum exundantia, phantasiæ terribiles, insomnia, & horrendæ per noctem species, ac malorum nostrorum incentor diabolus in medio plausum præ gaudio excitans. En quantæ miseriæ & calamitates pro modico stultitiæ, pro guttula lætitiæ, & mica vanitatis, pro tantillo voluptatis, quo sensualitati satisfacere lubuit, & necdum licuit! Quantum damnum qualemque iacturam sponte suscipimus, pro re vana, futili, momentanea, & plena fallaciarum! sed animæ pernicies omnem superat comparationem & deplorandi modum.

A (margin) — B (margin) — C (margin)

Luctus lætitiam sequitur.

Eccls. 2.

Dicit propterea rectè Sapiens: *Risum reputaui errorem; & gaudio dixi: quid frustrà deciperis?* Significans, risum ac mundi voluptates omnes hominem in errorem blandè aggrediendo inducere, ac nequiter decipere: perinde ac si quis nihil tale suspicantem, prætextu amicitiæ ac fauoris, in certam ducat perniciem. Vnde prudenter Aristoteles: Voluptates abeuntes considerandæ. Nam dum accedunt, pulchræ, amabiles, fructuosæ apparent: sed transactæ docent quid fuerint; cùm tot ærumnæ, tot molestiæ, & tanta incommoda inde oriri conspiciuntur. Qui venientes tantùm considerant, amplectuntur: qui abeuntes, detestantur.

Aristot.

Interrogatur igitur modò, quis cum animi anxietate & mœstus noctem operitur, dũ somno est membra compositurus, cum certa quasi inquie-



Quis, contrà, anxiferam petit ægra mente quietem?
Cui lucem exactam combussit praua cupido.

Wie gaetter teghen nacht, met twist en droefheyt rusten?
Die t'Daechs heeft ombedacht, gheuolght syn quade lusten.

Qui porte en sa couche, D'une viue touche, Les tristes regrets?
A qui la iournee, Sans fruit s'est trainee, En vice et forfaits.

D inquietudine nocturna, & mille mentis impedimentis. Respondetur, illum plenam anxietatis ac mœroris habiturum noctem, ac vesperum illi allaturum plurimum doloris, qui diem iuxta cupidinis suæ voluptatisque praue dictamen exegerit. Et quid mirum, eum parum quietis etiam in molli strato percipere, siue in animo siue in corpore, qui malis suis affectibus seruiendo, lectum suum tribulis & spinis strauit? quin immò seipsum vepribus totũ inuoluit, per diem totum sectando carnis suæ desideria sub finem pungentia. Deliciæ sunt spinæ, inquit D. Chrysostomus. Fugiendę igitur illæ ei qui noctem quietam, lætumque diei ac vitæ finem exoptarit. Spinis indormit, qui cum mala conscientia quietẽ petit. D. Chrysost. super Matt.

Augustus dum intelligeret, quendam, diuitem quidem, sed ęre alieno valdè grauatũ, & infinitis aliis vitæ huius calamitatibus afflictum obiisse; qui tamen tot malis non obstantibus tranquillè se semper gesserat; &, vt dicitur, securus in vtramque aurem dormierat; inter alia è supellectilibus defuncti, quæ publicè venum exponebantur, lectum illius sibi emi curauit; quò & ipse inter tot curas dormiret quietiùs. Sciebat Imperator, ex animi hoc constitutione & conscientiæ habitu dependere, vt quis mœstus vel lætus quieti se daret, tranquillaque nocte frueretur: sed lepide id ita actitabat, vt ostenderet quantùm beneficium sit, iustam quieti animi & quietæ noctis causam habere. Augustus Imp. Lectus securitatis.

Pythagoras dicere solebat, virum iniquum plus pati mali afflictum conscientia, quàm eum qui corpore castigatur & cæditur: multo enim grauiores sunt animi malesani quàm corporis morbi. Nunc cogitemus, quàm illi dormire sit volupe qui vapulat, dum feruent verbera. Stobæus Ser. 22.

Nulla pœna grauior, iuxta Isidori sententiam, pœnâ conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis, bene viue. Secura mens tristitiam leuiter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquã securus est reus animus: mens enim mala conscientiæ proprijs agitatur stimulis. Isidor. lib. 2. solil.

Quies igitur conscientiæ procuranda, vt sit noctis mortisque tranquilla requies. Nam & istud inter illa non malè censetur vitam quæ faciunt beatiorem, vt sit nox non ebria, qualis absorpta malis conscientia: sed soluta curis.

Oratio pro quiete conscientiæ.

HEi mihi, Domine Deus, quomodo dies hæc mihi transacta est! quàm me inquietum mea reddit conscientia! Iam nunc peccata cõfiteri, vitamq́; emendare propono: Ne, quæso, hac nocte in mortem obdormiam: sed cras manè, nouus homo ad vitæ nouitatem resurgere valeam. Amen.

CAP. LXXV.

Quid typhus,tumidi ventoſaque gloria mundi?
Ros,Fumus,Stipulæ,baccataque Vincula gemmis.

Mundi vanitas.



ES quædam ſunt quæ eminus conſideratæ admirandæ videntur, donec coram viſæ cognoſcuntur, & tunc deſinit admiratio. Quàm excellens & ſtupendum quid apparet tenuis illa ac ſplendeſcens bractea, & tinnitum,ſi moueris, & fulgorem pluſquam aureum emittens! ſed nota vileſcit. Sic & A mundus cum omni ſua gloria apud ignorantes & amatores eius in admiratione & pretio eſt. Illi mundum, & quæ mundi ſunt,ſuſpiciunt, amant, quærunt, & magna cum animi voluptate amplectuntur: vt ſunt diuitiæ, honores, magni nominis ęſtimatio, dignitates,lætitiæ, B voluptates; quidquid denique homo carnalis pro animi ſui deſiderio C poſſit excogitare & optare. Et quid eſt hoc totum quod tanti æſtimatur, tantoperè expetitur, tantis impenſis totque periculis quæritur? D Ecquid eſt tandem, quo habito ita exultatur prę gaudio; eodemque amiſſo,ita concidit animus, vt ſimul omnis ſpes concidiſſe videatur, nihilque eſſe quo mœſtitudo mitigetur?

Quęritur igitur quid ſit totus ille mundi faſtus & gloria,qua ſe tam mirificè iactat? Quatuor in Reſponſione ponuntur, quibus vanitas mundi comparari poteſt: ros, fumus, ſtipula ſeu fœnum, & vincula ſeu laquei gemmis ornati;& ſi qua eiuſmodi, quæ præ fragilitate, inanitate, & vilitate contemtibilia ſunt. His & ſimilibus omnis mundi gloria & lætitia in ſacra Scriptura comparatur.

Sap. 11. Rori gloria mundi comparatur.

In primis quoad rorem, ita dicit Sapiens: *Orbis terrarum, tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* E Si totus orbis terrarum,inſtar guttæ roris eſt in terram cadentis, & ſtatim vel ſole vel ſolo illum abſumente euaneſcētis,quanto magis res & vanitates orbe ipſo comprehenſæ ei poſſunt comparari? Addo,quòd antelucano tempore ros apparet, ſed orta luce non poteſt ſubſiſtere. Ita quibus tenebræ in mente principatū tenent,aliquid eſſe apparent mundi ſpecioſa phantaſmata & reculę ludicræ: ſed quando noctem illam excæcatæ mentis,dies diuinæ gratię eliminat,& ſol ei iuſtitiæ incipit eluceſcere,tunc plena vanitatis ſunt omnia, & vt ros in tenuiſſimum vaporem reſolutus,nihili fiunt. Hoc Propheta Oſee,de Idolorum vanitate loquens, & cuiuſque ſenſualitatem,affectum,ac deſiderium quo mundo afficitur contemnens,ſic ait: *Erunt quaſi nubes matutina; & ſicut ros matutinus præteriens: ſicut puluis turbine raptus ex area; & ſicut fumus de fumario.*

Oſee 13.

Sicque eadem opera ad ſecundum adducimur, cui mundi præcellentia F

lentia



Quid typhus tumidi ventosaq; gloria Mundi?
Ros, Fumus, Stipulæ, baccataq; Vincula gemmis.

Wat is toch al den pracht, en glory vander Weerelt?
Dauw, Roock, Hooy ongheacht, en Stricken syn bepeerelt.

Qu'estce de la pompe, Du Monde, qui trompe, Nos sens attellez?
Ce n'est que Rosée, Que Foin, que Fumee, Que Laqs emperlez.

lentia componitur. Sicut fumus, inquit, de fumario abreptus. Qui præterquam quòd ex se res sit vtilissima, oculis naribusque infestissima, etiam breuissimo tempore in nihilum redigitur, suaque sponte perit. Dicit Apostolus Iacobus: *Quæ est enim vita vestra? Vapor ad modicum parens: & deinceps exterminabitur.* Non solùm vitæ nostræ naturalis inconstantia, fragilitas, & incertitudo notatur; sed etiam quidquid in vita homini potest accidere, & quidquid humana mens possit optare: vt sunt illa quæ apud homines huius seculi maximi fiunt. Vapor sunt ad modicum parens. quando olla succenso igne bullit, euaporat, & in guttulas condensatur instar roris, si quid opponitur: & si assurgere permittatur, aliquid videtur esse, sed ferè vbi incipit apparere, ibi incipit deficere. Quod in fumo non obscurè animaduertitur: in ascensu ludit, spatiatur, gloriaturque in aëre ac si quid esset; si vento impellente à cœpto prohibetur ascensu, aliâ viâ nihilominus procedit in altum, vt & nubibus se inferat, vnaque inter alias nubes esse videatur. At quò altiùs se effert, eò faciliùs citiusque dissipatur, & suomet studio perit. Ita & omnis gloria mundi, gaudium, voluptates, deliciç, magni honores, opum iactantia, & quidquid tandem mundanorum corda sui splendore allicere & afficere solet; quò illa omnia sublimiùs eleuantur, eò citiùs turpiusque deficiunt, & collabuntur. Adeò vt & ipsi homines, tam vani vt in his glorientur, meritò vt fumus cum ipso mundi fumo dissipentur. Talibus imprecandi more prædicit Propheta regius, quod & nostris temporibus quamplurimis accidisse vidimus, qui vanitatem hanc nimiùm dilexerunt, & nomen suum suis facinoribus nimis splendidum efficere conati sunt. Sic dicit Propheta: *Sicut deficit fumus, deficiant: & sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Non po est enim gutta roris, nec fumi vapor, nec cerę mollities ante iustam, solidam, ardentemque zelo recti diuinam faciem consistere. Ideoque rectè alibi idem dicit: *Mox vt honorificati fuerint & exaltati, quemadmodum fumus deficient.* Non immeritò propterea Vetronius Turnus, qui vana, fallacia, ac mendacia aliis consilia, solatia, & promissa vendiderat, vt qui fumum vendidisset, iussus est ab Alexandro ad stipitem alligatus fumo suffocari. Ita & mundus meritò pro tali impostore plectatur per verum iustumque contemtum. Nunc ad tertium veniamus.

Mundus fumus est. | Iac. 4. | Fumus est mundi vanitas. | Psal. 67. | Psal. 36. | Lamprid.

G Fœno vel stipulę non iniquè omnem mundi pompam conferri, ex eodem constat Propheta, qui de talibus hominibus sic vaticinatur: *Fiant sicut fœnum tectorum; quod priùs quàm euellatur exaruit; de quo non implebit manum suam qui metit; & sinum suum qui manipulos colligit. Et non dixerunt qui præteribant; Benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.* Et verè ita se habet cum mundi vanitatibus, & hominibus eas sectantibus. Quo se magis oblectant, quo ea quæ mundi sunt

Fœnũ est mundus. | Psal. 128.

fortiùs amplectuntur, quo se in illis sublimiùs extollunt, quo se magis vt solis splendori hominum obtutibus exponunt, eò citiùs contabescunt, perdunt quæ tenebant, & sine vllo cuiusquam fructu cuncta depereunt, nec manum, nec sinum, multo minùs horreum impleturi: sed & animam & corpus perdentes, nec quidem posteris suis stabilem aliquam relinquunt substantiam. Iuxta Prophetę dictum: *Dormierunt somnum suum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Post vitę huius vanitatem, quæ somnij instar ipsis fuit, quando ad mortis somnum veniunt, vacua se manu reperiunt, qui pleni omnibus videbantur. Neque tantùm illa transierunt, in quibus delectabantur, verùm etiam futurorum expectatione frustrantur, & planè vacuos se deprehendunt. Quoad ista, quia terrenis præpediti de cælestibus vix cogitarunt: quoad illa verò; quia mundana omnia delectabilia, instar venti vel aëris, quo strictiùs manu comprehenduntur, eò citiùs elabuntur: & quo (vt fœnum in tecto) altiùs soli exponuntur, eò celeriùs arescunt & pereunt. Vnde idem Propheta: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Nónne id multis & magnis etiam nostri ęui potentibus accidit, qui toti mundo terrori erant præ sublimitate, præ dominandi libidine, prę feliciore votorum suorum licet peruersorum successu? Nónne ita integris etiam familiis videmus accidisse? Vbínam sunt? vbi diuitiæ? vbi potentia? vbi satellitij frequentia? vbi iactantia facinorum? amicorum obsequium? studium plebiũ? famæ nominisque amplitudo? prosapiæ dignitas? totius mundi admiratio? quónam hęc omnia euaserunt? vbi saltem locus eorum, quibus vix terra tota sufficiebat? Transiui, & ecce non erant; quia ipsi trãsierunt & in nihilum redacti sunt, transiitque memoria eorum cum sonitu inanis gloriæ, ventosi fastus, & laudis humanæ, plusquam vanæ. Magnus mundus videtur cominus eum intuentibus; sed si è cælo videatur, puncti instar appareret: talem iudicant, qui è summo cælestium amore eum contemplantur: vt ea vtitur similitudine D. Chrysostomus.

Psal. 75. Somnij instar est mundi iactantia.

Psal. 36. Multę magnæ familiæ quò euanuerunt?

Chrysost. Homil 15. ad populum Antioch.

Si hæc & huiusce modi cogitarent, cordique infixa gererent, qui sæcularibus insaniis dementati nesciunt quid actitent, non tanti fumum & fœnum facerent; neque seipsos ita secundùm arescentem hanc externam carnis speciem exornarent; cùm, testantibus Apostolis Petro & Iacobo, atque Propheta Isaia, *Omnis caro fœnum; & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.* Morte hominem etiam florentissimum corripiente seu carpente, exarescit fœnum carnis, & omnis decor corporis naturalis, omnis etiam externus ornatus, & quidquid illum in mundo oblectabat, decidit; sicut flos vngue decerptus, vel stirpe eius arescente.

Isaiæ 40. Iac. 1. 1. Pet. 1.

Neque

Neque tum tantùm arescit & decidit flos & venustas carnis, quando eam mors sua demetit falce, sed etiam aliquando diu antequam mors eam adoriatur. Longa siquidem interdum homines tabe consumuntur, & præ ęrumnis milleque incommodis viua fiunt quodammodo cadauera; lurida exesaque facie, pallidis oculis in imas depressis cauernas, monstro similes, amicis ipsis graues & inuisi, & telluris inutile pondus. Tunc apparet quàm verè sit omnis caro fœnum, & flos eius decidat, etiam interdum ante mortem; vt floridi splendentesque antea, iam sint adspectu horridi, & toti mundo despicabiles: vt & ipsi ferè nesciant quid sibi primùm deplorandum sit; an quòd præteritam vitam in tot tantisque vanitatibus consumserint? an quòd non liceat mori, quando iam eos tædet viuere? heu quàm ridiculū facinus, immò lacrymis dignissimum, si benè attendamus! Quis vnquam crederet, eò aliquem dementię venire, vt fascem vel manipulum fœni bysso & serico vestiat, auro & gemmis ornet, & in eo se ita oblectet, vt toti mundo se ob id spectabilem existimet? Sicut olim Xerxes ridendo modo platanum vt amasiam torquibus armillisque appensis ornauit. Id faciunt, qui carnem hanc sic ornant, delicatè tractāt eiusque commoditatibus sectandis totos se deuouent, carnis amatores. Verum quidem est, fœnum alicuius est pretij: sed tamen fœnum fœnum est.

Senij incommoda.

Fœnum auro ornare.

Ælianus lib. 2.

H Quartum cui gloria mundi comparabatur, etiam suum locum mereretur, vt eius vanitas ac fraudulenta oblectatio meliùs dignoscatur. Ponebantur igitur quarto loco vincula gemmata, seu laquei vnionibus lapidibusque pretiosis adornati. Dat huic comparationi ansam non incongruam Sapiens, dum sic ait: *In medio laqueorum ingredieris.* Ac si dicat: Agnosce pericula in quorum medio versaberis, dum per mundi voluptates viam vitæ huius carpere voles. Non sine causa D. Antonius sibi videre visus est mundum laqueis respersum, vt vix pes poni posset citra periculum. Cumque rogaret, quis illos euadere posset, audiuit quòd humilis, qui præ sui despectu atque submissione, quasi per terram serpendo, sub extensis laqueis tutus perreperet: aut qui mundi voluptates quasi pedibus præ contemtu calcaret.

Gemmati laquei, mundanę voluptates.

Eccli. 9.

Athanas. in vita B. Antonij.

Qui enim laqueos calcat, non facilè capitur, ita qui mundi illecebras contemnit: at qui illas magnifaciendo quasi laqueos ne pede conculcet cauet, incidit & capitur. Ita qui omnia ista inferiora oblectamenta sectatur, vt sunt gaudia, honores, epulę, tripudia, voluptates, & id genus stultitiæ: quibus se homines oblectant, felicesq; existimant, dum illis frui contingit. Quocirca etiam magna pars hominum hoc studij strenuè obeunt, vt eiusmodi laqueos seminent; tales inescationes semper in promtu habent, vt hunc in laqueos, illum in pedi-
I
K cas, alium in foueam pelliceant. Sicut enim aues in decipulā, mures soricesque in muscipulam, & pisces in nassam vel rete inducuntur, sub

Fraudulētia mundi.

Decipulæ varię.

ſub prætextu nutrimenti, quod illis non in eſcam, ſed in capturam proponitur: ita omnia mundi blandimenta & plauſus, ad deceptionem & interitum ſeruiunt. Vtque ſine metu, ſine reluctatione, immò cum voluptate laqueus in collũ admittatur; mille leporibus, mille delectaminibus, mille fictis fucatiſque iucunditatibus, vt gemmis & vnionibus adornatur. Alioqui ſicut equus iugo imponendo obluctatur, ita homo iſtis mundi captioſis laqueis, niſi amabiles, melliti, & omnibus modis exoptandi viderentur. Huius pretioſæ ac pernicioſæ venationis, gemmatæque illaqueationis clariſſimum exemplum habemus in muliere illa impudica, quam deſcribit Sapiens: in eaque aptiſſimè mundi lenocinia depingit; ſic habet: *Conſidero vecordem iuuenem, &c. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas,* (nota muſcipulam) *garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis: nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Apprehenſumq; deoſculatur iuuenem, ac procaci vultu blanditur.* (ecce mundi blandicias ac fraudulenta oſcula quò tendant ad capiendas ſcilicet animas.) Et poſtquam multis blanditiis ineſcauit, ſequitur: *Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam; & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur; donec transfigat ſagitta iecur eius. Velut ſi auis feſtinet ad laqueum. Et neſcit quod de periculo animæ eius agatur.* Tam clara ſunt hæc, vt explicatione non egeant, ſed tantùm fugâ. Vt Sapiens ibidem admonet: *Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abſtrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris ſemitis eius. Multos enim vulneratos deiecit; & fortiſsimi quique interfecti ſunt ab ea. Via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.*

Prou. 7. Deſcriptio venationis animæ pernicioſę.

Ecce exemplar infatuati hominis, mundi vanitates, tametſi ad interitum ducentes amplectentis tamen; quia blanditiis, vt quibuſdam gemmis ornatæ videntur. Anne iucundum & honorificum aut vlla ratione expetendum ſuſpendium, eo quòd laqueus auro vel lapide pretioſo ſit decoratus? An felix olim Darius, quòd aureis compedibus cateniſque, & quidem ab amicis, vinctus teneretur? An felix Baiazetes, eodem modo à Tamberlano honoratus, oneratus inquam? Nónne inſaniæ ſpecies eſt, glorię mundi, vt aureæ catenę collum inſerere, & ſtrangulari? Voluptates & honores mundi torques ſunt aureæ camelorum Madianiticorum, quas Gedeon inter ſpolia accepit. Quibus qui conſtrictus manet, per anguſtam cæli portam tranſire nõ poteſt; vt neque camelus ipſe cũ ſuo gibbo & ſarcinis per foramen acus.

Compedibus aureis ſtringi. *Iuſtinus lib. 11.* *Iudic. 8.* *Matth. 19.*

1. Mach. 2. Pro concluſione ac perfecta talium vanitatum deteſtatione, dicamus quod Mathatias filiis ſuis dicebat: *Gloria eius ſtercus & vermis.* hominis ſcilicet ſuperbi, peccatoris, & mundani. *Hodie extollitur, & cras non inuenietur.* At qui gloriam Dei & cæli quærit, illam reperiet, & in

illa

illa in æternum inuenietur. At videamus nunc gloriæ huius insolentem exstimulationem, per vnum atque alterum exemplum valdè exoticum & absurdum. Inuentus est qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet: vt opere pulcherrimo consumto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur (ecce laqueum gemmatum.) At benè consuluerant Ephesij, decreto memoriam teterrimi hominis abolentes, immò vetantes ne quis cuiquam suorum filiorum nomen illud inderet: nisi Theopompus in historiis eum suis comprehendisset. Ecce quo insaniæ abripit gloriæ cupiditas ac mundi inescatio. *Valerius Max. lib. 8. cap. 15. Strab. li. 14. Herostratus.*

Rhodope, Græcum in Ægypto scortum, parto turpi quæstu ingenti thesauro, quanquam humili ipsa fortuna orta esset; (seruâ enim fuerat) tamen famæ desiderio incensa, minorem quæ cernitur pyramidem exstruxit: quæ quanto molis magnitudine vincitur, tanto aliàs ipsa operis excellentiâ superauit. En, meretrix ac liberta cum tantis regibus magno operis impendio contendere ausa fuit: nec minùs se in lupanari, quàm illi in palatiis, famæ cupida, nomini ac gloriæ dare operam velle ostẽdit. Quid hoc aliud est, quàm, vt inquit Apostolus, gloriam in confusione præ insania quærere: & se iucundè, exultanter, & vltrò perdere? Is Mundus, hoc Mundi consilium. Eum sequitor, & ne animam perdito, si in certa pernicie salus est. *Fulgosius lib. 8.* *Philip. 3.*

Sic egit Empedocles, qui cùm Panthiam Agrigentinam à graui morbo curasset, atque ob id se penè pro numine coli animaduerteret, immortalitatis atque famæ studio incensus, in Ætnam insiluit, atque medios ipsius in ignes se coniecit. Ita mundi amatores œstro vesaniæ eius perciti, philtroque insani amoris ipsius ebrij, se læti gratantesque in gehennam præcipites dant. Sic scribit Munsterus araneas quasdam in Albania reperiri, quæ homines ridendo mori cogant. *Fulgosius li. 8. cap. 15.*

Cum his conferri possit ranunculus, quam herbam sceleratam Apuleius vocat, quæ sumta mortales sensibus & intellectu priuat: neruos præsertim faciei sic contrahit vt ridentem interim videatur efficere, cogatque tandem quasi ridendo mori. En tibi igitur in scelerato hoc germine, ridẽtis, insani, mortiferique mundi hieroglyphicum; quo sui amatores excæcet, dementet, & blandè conficiat. *Apuleius.*

Oratio contra Mundi vanitatem.

Postquam à te, æterne Deus, per peccatum abscessimus, vanitati huius Mundi subditi fuimus: Da nobis gratiam, quæsumus, ita omnem terrestris huius exilij gloriam contemnendi, vt ad æternam in cælis gloriam peruenire mereamur. Amen.

CAP.

CAP. LXXVI.

Quis tam fluxarum capitur dulcedine rerum? Cui tellus insulsa sapit: cui nautea cælum est.

Bernard. in serm.

DIVVS Bernardus sententiam vnam habet, quæ Quæstioni huic ac Responsioni multum luminis est allatura; sic inquit: Cui Christus incipit dulcescere, necesse est ei amarescere mundum. Quocirca, quando quis talibus mundi illecebris delectatur, illique insulsa sapit tellus, quæ gustui cælestium deliciarum planè repugnat, signum est euidentissimum, nihil illũ saporis in cęlestibus reperire; sicuti qui acidis amarisq; gaudet, ille dulcia auersatur. Hic igitur tam fluxarum rerum (quales mundanę omnes) dulcedine capitur, cui cælestia nõ sapiunt, neque cordi sunt. Hinc A & Esau nota talium figura fuit, qui auiditati gulæ satisfacere studens, pro edulij vnius iusculo ius primogenituræ deseruit; dicens fratri suo Iacob: *Da mihi de coctione hac rufa; en morior: quid mihi proderunt primogenita? Et accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt; paruipendens quòd primogenita vendidisset.* Ita faciunt omnes qui rebus terrenis tantoperè afficiuntur, & ad illa ita inardescunt, vt morituri videantur si voti compotes non fiant, illisque carendum sit: ac propterea cæli potiùs se iure ac hæreditate abdicant, quàm genio suo in crapulis, voluptatibus, & cupiditatibus, ad quas se ferri sentiunt, non consentiant indulgeantque. Non expendunt miselli delectationem, quam ex his venantur, esse momentaneam, æternum verò mœrorem ac pœnam.

Cui terra sapit, huic desipit cælum.

Genes. 25. Esau insulso gustatu.

Inordinatus etiam gustus iste & sapor, quem homines mundani & B vani in rebus istis insipidis & amaris imaginantur sibique fingunt, figuratus fuit in fatuo illo atque insulso appetitu filiorum Israël, qui Manna cælestem panem fastidientes, nescio quarum rerum desiderio flagrabant, dicentes: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq;, & cepe, & allia. Anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Legimus, illos qui ab Vlysse in Africam missi fuerant, postquam dulces suaueolentesque fructus ex loto gustassent, oblitos redire in patriam. Vnde & prouerbium: Lotum gustauit. Reperit quod optauit, resque ei successit ex voto, voluptate retentus est, inescatus est. Lotophagi quidem loci illius incolæ vocantur; possent tamen sic etiam illi vocari, quotquot mundi huius dulcedine capti, ita eadem destinentur, vt obliuiscantur patrię cęlestis, & viæ quæ ad eam ducit, atque à viis suis malis reuerti nesciant.

Fatuitas filiorum Israel. *Exod. 16.* *Num. 11.* *Homerus in Odyss.*

De talibus iure optimo dici posset illud, quod de filiis Israel ita stupidè inescatis dicit Propheta Regius: *Pro nihilo habuerunt terram desidera-*

Psal. 105.



Quis tam fluxarum capitur dulcedine rerum?
Cui tellus inſulſa ſapit; cui nautea cælum eſt.

Wie iſſer ſoo verwoet, die hier ghenoechte in maeckt?
Die de blyſchap, en tgoet des hemels niet en ſmaeckt.

Qui ſe donne peine, Pour choſe ſi vaine, Qui ſe perd en l'air?
Tel qui ſe deſgoute, Du ciel et ne gouſte, Que la fade chair.

ſiderabilem. Spreuerunt terram optatiſſimam ſibi promiſſam; optantes potiùs in ſolitudine mori, aut in Ægyptum redire, quàm terram à Domino promiſſam, lacte & melle manantem ingredi; & pro ea obeunda aliquid periculi aut laboris ſubire. Immò detraxerunt terræ eidem etiam qui eam inſpexerant, dicentes: *Terra quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos.* Ita voluptuarij huius mundi cæleſti patriæ detrahunt, quia ſordibus ſuis delectantur, vt illi Ægypti quiſquiliis; vbi tamen tam amara & tam grauia onera ſuſtinuerāt, & extrema paſſi fuerant; ſicut mundus ſuos tractat. Num.13.

Quæ ratio huius inſipientiæ? Fortè ſicut piſces marini ſalſis aquis delectantur, & enecantur dulcibus; ita homines mundi, tanquam piſces maris huius amari, gaudent iſtis amaritudinibus; videnturque emorituri, ſi illis priuati, melioribus lactentur. Ah quàm prauum peruerſumque habent amatores ſæculi palatum! Dulciſſima eloquij diuini fluenta, mellitique fontis vitæ æternæ limpidiſſimæ lymphę eis non ſapiunt; & ſapit nauſea ſentinæ craſſà, turbida; amara ac lutulenta aqua ciſternarum diſſipatarum, paludum, & lacuum fœtentiū vallis huius lacrymarum. Oſtendunt ſanè tales, ſe prorſus terreſtres ac carnales eſſe, de quibus dicit Apoſtolus: *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt.* Iterùm: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* ſed ei tantùm in intellectum & in affectum cadunt, quæ ſenſum eius carnalem, terreſtrem, & animalem afficiunt oblectantque. Non ſecus quàm ſus in volutabro luti ſe longè magis oblectat, quàm ſi in roſis voluatur. Et tunc in talibus ſequitur tandem, quod dicit Apoſtolus: *Quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.*

Palati corruptio in mundi amatoribus.

Rom.8.

1.Cor.2.

C

Philip.3.

Quid mirum igitur, dum os, guttur, ſtomachus, & venter talium, talibus tantiſque corruptionibus plena ſunt; eis dulcia, ſana, ac cæleſtia non ſapere eos talia faſtidire & nihili facere? Guſtus & guſtandi facultas omnis vitiata eſt, & contrariis præoccupata; febricitantium, vel potiùs phreneticorum more, omnia nociua appetentium, & reiicientium quæcunque eſſent ſalutaria. Niſi enim hæc eſſet palati mentiſque inuerſa potentia, quomodo tam deſiderabilibus cum indignatione contemtis, tam noxia concupiſcerent? Ideoque tanquam de re incredibili, quæ neque fieri poſſe putetur, cum admiratione rogat Iob: *Poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? Aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?* Sicut filij Prophetarum amaritudinem pulmenti guſtantes, metuenteſque ne mortē ſibi tali paſtu conſciſcerent, clamauerunt dicentes: *Mors in olla, vir Dei*; & non potuerunt comedere: neque etiam lubuit ampliùs periculum facere, donec farinam in ollam miſiſſet Eliſeus, & amaritudinem illam ſuſtuliſſet. Iob 6.

D

4.Reg.4. Mors in olla.

Quid igitur aliud dicemus, dum mundani homines, non obſtante

amaritudine mortis æternæ, quum simul cum mundi voluptatibus auidè abliguriunt, in his gaudent delectanturque citra vllam formidinem; quàm quòd inebriati malum suum nō sentiunt quod fugiant? Sic enim consueuit mundus sui amantes inescare & inebriare, quibusdam primùm adhibitis oblectamentis, & in speciem benè sapientibus; & tum, cùm ratio, sensus, & iudicium sepulta fuerint, amaris & insipidis infarcit sine discrimine: iuxta illud Architriclini dictum in nuptiis Canæ Galilææ: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint; tunc id quod deterius est*. Hoc ipsum D. Gregorius hac sententia confirmat, dum ait: Mali, dum pro mundo tolerant, leue putant; absinthio ebrij sunt. Et propterea expectanda illis venit seuera illa sententia; qua Christus de omnibus qui se ob amorem mundanarum voluptatum cælestibus epulis & gaudiis indignos reddunt, sic dicit: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* tunc intolerabilem illam patientur inediam, de qua Propheta: *Famem patientur, vt canes*: qui præ fame nimia quasi rabidi, circumeunt ciuitatem, per plateas omnes discurrentes, & quærentes quo suam rabiem expleant: & non inuenient miseri, quo se solentur, quia solatiis transitoriis dediti, solatia futura & æterna non quæsierint.

Ioan. 2. *Gregor.* *Luc. 14.* *Psal. 58.*

Quid Salomoni optimum illum diuinarum rerum gustum eripuit, per quem velut ebrius Sponsæ Christi amator, aptissimus à Deo habitus fuit, qui excellentem illam Christi animæ nostræ sponsi dilectionis suauitatem, & iucundum amoris excessum, non solùm Cantico Canticorum vt dignissimo modo describeret, verùm etiam persona sua vt singulari figura repræsentaret: quid, inquam, ei tam diuinum exemit gustum, nisi contrarius gustus rerum mundanarum & carnalium, qui sanctum saporem infatuauit?

3. Reg. 3. Salomonis infatuatus gustus.

Quid diuiti epuloni causæ fuit, vt tantum deliciarum, tantumque voluptatis in epulis carnalibus & mensæ corporalis apparatu poneret; vt eam ob rem, æternum in lingua singulariter & palato cruciatum, absque vel gutta solatij sustinere cogatur, nisi quia tā parum gustus inueniebat, vel etiam quærebat in diuinis cælestibusque deliciis? Ita desinunt omnibus illis salutaria sapere, qui se vanitatibus mundi sinunt inescari; vt quotidianus, (prô dolor!) vsus docet.

Luc. 16.

Ad maiorem fallacis huius saporis & voluptatum mundi detestationem, exemplum vnum ex profanis auctoribus adiiciam non ignotum neque ignobile in suo genere. Omniū quos eneruauit mollities, & deliciæ corruperunt, principem locum, maioremque apud posteros ignominiam meruit Assyriorum rex Sardanapalus: qui ob id meritò etiam princeps eorum omnium habetur, qui quòd carnales suas sectantur cupiditates, inter viros recenseri indigni sunt. Hic eò se illece-

Fulgosius lib. 9. cap. 1. Sardanapali proiectus animus.

lecebrarum demisit, vt relicta maiestate (qua Princeps tanto debet excellere, quanto sublimior est ceteris) positis masculi sexus indumentis mentitus sit fœminam, interq; puellas & eunuchos delituerit, inter scortorum greges purpuram colo neuerit, pensa puellis partitus fuerit: totus absorptus mundi carnisque illecebris. At quem finem res illa habuit? Præfectus eius Arbaces his indignatus, bellum illi intulit: quo ille audito, non vt vir regnum defensurus, sed vt mortis metu mulieres solent, primò latebras circumspexit; mox tantisper animum reuocans, cũ pauculis restitans, tandem victus domum suam regiam festinanter adit, vbi statim exstructa pyra, se suasque diuitias in incendium mittit. Suoque sepulchro insculpi iussit:

Ede, lude, bibe, charum præsentibus exple
Deliciis animum: post mortem nulla voluptas.

Vitiosum carmen, vitiosæ rei argumento conueniens.

Ita ecce ad ęternum feruntur incendium, qui postpositis cælestibus epulis verbi diuini, sanctorum Sacramentorum, meditationum cælestium, piorum exercitiorum, & similium gustu repudiato, insanis mundi voluptatibus se recreant; ęternam inediam cum ceteris gehennæ suppliciis perpessuri: &, quod grauissimum omnium est, cælesti illo epulo & gaudio cārituri.

En quomodo natura Corallij horum arguit insipientiam: id ex D. Ambrosio referamus. Sed iam, inquit, assurgamus ipsi de profundo maris, & aliquantulum sermo noster emergat, atque ad superiora se subrigat. Spectemus ea quæ vsitata multis, & plena sint gratiæ. Quomodo non indecorus lapis corallium in mari herba sit; si verò in aërem transferatur, lapidis firmitate solidetur. Quis non videat hîc quasi virgula designari modum, quo insipidi sapientes mundi (si naturam velint imitari) à tam fœda ac fatua salsi maris huius vilitate & oblectatione, ad iucundissimã pulcherrimamque humanæ dignitatis præstantiam possint emergere. Si nimirum corallij instar caput semel cœnoso hoc fæculentæ voluptatis gurgite efferentes, puriori aëri, adeoque ætheræ aurę conentur inserere, è vili alga futuri corallium, hominum oculis, atque ipsi omnium creatori gratissimum. *Ambros. Hexæm. cap. 11. li. 5.*

Oratio contra gustum mundanarum rerum.

Calix mundi amarus, dulcissime Iesu, foris melle litus est, & cum iucunditate mortem imbibimus animarũ. Reple corda nostra cælesti dulcedine, vt mundi delectationem contemnentes, suauissimis animæ deliciis in hac peregrinatione nutriamur, & ijsdẽ in patria cælesti, cùm apparuerit gloria tua, satiemur. Amẽ.

CAP. LXXVII.

Crebriùs auratos Mundi quis glutiit hamos?
Eius seruitio studium qui mancipat omne.

Maximè à mundo decipiuntur, qui ei seruiunt maximè.



VALDE ad rem facit istæc Interrogatio: verùm quia duobus præcedentibus Capitibus de mundi vanitatibus & illecebris actum est, iam tantùm præcipuè fraus illa & fallacia explicanda erit, qua illi potissimùm à mundo decipiuntur, qui ei fidelissimè & studiosissimè placere & obsequi conantur. Quæritur itaque, quis crebriùs, & vt plurimùm turpiùs, à mundo decipiatur, auratos eius hamos & blandas inescationes deglutiendo? Responsio clara est: Qui maximè ei seruit. Hoc enim in omnibus videre est, quorum quosdam quasi digito indicabo, loco omnium mundi cultorum.

Esther 7. Luc. 15.

Aman speculum singulare mundi amatorum; qui pro omni suo in A mundi gratiam seruitio & studio, proprio patibulo affixus, toti mundo risui & ludibrio expositus est. Huic filium prodigum annectamus, B qui omnem suam substantiam consumsit in mundi obsequium, eius illecebris inescatus; & tandem omnibus exutus, fœdè à mundo explosus est; pro mercede tot impendiorum, exsibilationem cum extrema calamitate recipiens. Et verè hoc certissimum omnibus mundi cultoribus ius & stipendium expectandum est, iuxta illud Sapientis indicium: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Blandè quidem arridet, & oculis grata est mundi species; sed finis spectandus, qui semper tristis est, nisi quis prudens tempestiuè elabatur, seséque eius tricis eripiat. Fallax iste ac malè ominatus mundi cum suis cultori- C bus lusus, non incongruè lusui illi comparetur, quo felis ludificat murem, quando post miras cum illo ioculationes, eum tandem strangulat & absumit. Ita etiam cui cum mendace, fallaci, & impostore ne- D gotium est; quales sunt isti circumforanei, nugiuenduli, empirici, qui E mira hominibus obtrudunt, vt pecuniam ex marsupio emungant. Quis maximè à talibus decipitur? certum est, eum qui maximè eis F fidit, & plurimum tribuit; quique præ cæteris consilium ipsorum sequitur, plus ceteris risui omnium exponi. Ita eis accidit, qui mundo plus detulerunt, plus fidei adhibuerunt, plus in eius obsequium & laboris, & temporis, & pecuniæ impenderunt. Illi etiam ampliùs de eius impostura participant; & pro tam studioso obsequio dignissimum fiunt ipsi mundo ludibrium.

Prou. 31.

Impostores.

Mundus, in ludificando excellit.

August. 8. li. Conf. cap. 6.

Hinc ex D. Augustino tam fatuos clientes, amentesque vanitatum asseclas sic meritò alloquamur: O amatores mundi, cuius rei gratiâ mili-



Crebrius auratos Mundi quis glutijt hamos?
Eius ſeruitio ſtudium qui mancipat omne.

Wie werden daer, met recht, van Weerelt meeſt bedroghen?
Die haer, als ſlaue, en knecht, ghetrouwſt te dienen poghen.

Qui plus ſot ſe laiſſe, Mener a la leſſe, Du monde pipeur?
Qui par veu d'hommage, Seruiable engage, A luy tout ſon coeur.

militatis? Maiórne esse poterit spes vestra in mundo, quàm vt amici mundi sitis? Verba duorum aulicorum Imperatoris sunt, qui in casam eremitæ & in S. Antonij vitam incidentes, conuersi sunt, in has voces erumpentes: Quid quærimus? cuius rei causa militamus? Maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi, quid non fragile plenúmque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum?

Dionysius Syracusanus iunior, ludibrium mundi factus, à fortuna ad summam felicitatem euectus, cùm nimium felicitati suæ fideret, ab eadem ipse deceptus est. Nam non solùm, vt Iustinus refert, Corinthi propter inopiam eum puerulos litteras in triuio docuisse asserunt: sed & ob extremam mendicitatem, cùm stipem petere cogeretur, tympana pulsando extremam ætatem exegisse. *Ælianus lib. 9.* *Iustinus lib. 21.*

Domitius Nero ab immensis delicijs, quibus ante vtebatur, in omni re sua immodicus, omnium odio eum premente, in serui sui domum profugit; atque illic vrgente siti, qui aureis vasis assueuerat, veluti nouus Diogenes (quia aliter non poterat) è caua manu poculum sibi fecit. Et cùm calcei deessent, atque ipsi nudis pedibus per cannetum nuperrimè desectum, transeundum esset, vt occultè locũ peteret, in quo latêre posset, magna ex parte pronus per terram in quadrupedis speciem perrexit; atque, ne acuti cannarum stipites læderent, vestem subdidit. Ad hanc necessitatem redactus est, qui olim vrbes, prouincias, ac regna dare consueuerat, vt calceos in pedes non haberet, manúque pro pedibus vteretur: & deficiente vase, manum pro poculo adhiberet. Hæc mundi merces & fraus in omnes qui ipsi maximè fidunt. *Fulgosius lib. 7. cap. 6.*

G Neque mirum: quia sicut dicit Apostolus, *Mundus transit, & concu-* *1. Ioan. 2.*
H *piscentia eius.* Tanto igitur necessum est eum frustrari ampliùs, quanto ampliùs ei confisus, & vt arundini innixus fuerit. Sicuti etiam quando quis in ripa stans naui præterlabenti pedem imponit, vel ex ea manum ripæ iniicit; quò firmiùs incubuerit vt eam remoretur, eíque innitatur, eò certiùs vehementiúsque sua spe & opera frustrabitur, rapidiúsque in profundum demergetur. Periculum autem hoc indicat & euadentium raritas, & pereuntium multitudo. Nã, vt dicit D. Bernardus: In mari Massiliæ de quatuor nauibus non perit vna; in mari verò huius mundi de quatuor animabus vix euadit vna. *Bernard.*

Oratio contra mundi fraudulentiam.

D*Eus, qui fallaciam huius mundi nobis tam clarè detexisti, & prædixisti; accẽde in nobis desiderium tibi fideliter seruiendi; ne inani mundi huius fidentes arundini decipiamur, sed in solida tua promissione securè conseruari mereamur. Amen.*

CAP. LXXVIII.

Ergo, quid eſt Mũdus, mundũ licet induat omnẽ? Vanius hoc nihil eſt: Nihilo quin vanior ipſo.



POSTQVAM de gloria, faſtu & frauduleta mundi deceptione tractatum eſt; iam abſolutè quæritur, quid ſit mundus, hoc eſt, quàm parùm; etiam ſi omnem mundum, hoc eſt, ornatum muliebrem induat, ſeque ſummè exornet. Reſpondetur, nihil eo vanius, immò vaniorem ipſo nihilo eſſe. Probroſa ſanè & mordax reſponſio, illi qui tam excelsè & ſublimiter ſe gerit & de ſe ſentit. Intolerabilis videbatur Amano illa vilipenſio, qua non ita vt optabat à Mardochæo excipiebatur. Quin immò, plus illa eum torquebat, quàm omnes eius diuitiæ, omnis gloria & ſublimitas eum oblectabant. Ita & inexplicabilis contemtus erat, & ignominia maxima faſtuoſo illi Goliæ, quando Dauid cum baculo tanquam ad canem ad eum accedebat: præſertim cùm ei etiam intrepidè puſillus ille in os diceret: *Percutiam te, & auferam caput tuum à te: & dabo cadauera caſtrorum Philiſthijm hodie volatilibus cæli & beſtijs terræ.* Ita intolerabilis eſt iſta mundo ſuperbiſſimo faſtuoſiſſimoque ignominia, qua de ipſo dicitur quòd ſit vanitas vanitatum, & minus vaniusque nihilo; cùm tamen in omnibus ſuis tanta vtatur ſupercilij celſitudine, vt nihil, nec in cælo quidem eſſe videatur, cui eius ſplendor & magnificentia conferri poſſit.

Quid ſit Mundus? Nihil. — *Heſter 5.* — *1. Reg. 17.*

A Verè tamen, licet ringatur, & præ indignatione findatur medius, ſortilegio celebri comparari poteſt; cuius præmia & donaria mirè fulgida quidem ac pretioſa apparẽt; ſed poſtquam ſortes & ſortium pretia in vrnam iniecta, iamque extrahenda ſunt; pro magna ſpe atque exſpectatione rutilantium illorum præmiorum, quæ nemo ſibi non certò pollicebatur, nihil niſi vacuæ chartulæ producuntur; clamaturque aſſiduè ab inſtante præcone: Nihil; Nihil; Nihil.

Sortilegiũ ſplendida promittẽs, & nihil rei tribuens, mundus.

B Et ita ſe res habet. Mundum mihi, quæſo, parumper attendito, quãdo ita faſtu pluſquam giganteo tumet, vt ſe vix capiat, ſuusque ſibi locus anguſtior videatur, quàm vt eo ampliùs queat contineri: immò ac ſi vterum geſtet, nouumque hic mundus mundũ pariturus videatur: vt olim de monte veteres fabulati ſunt, qui quòd plus ſolito videretur intumeſcere, montem ex illo alium progignendum ruſtici arbitrabantur: dumque diu ſatis eſſent partũ præſtolati, prodiit muſculus. C Vnde de omnibus qui magna pollicentur, vel præſtituri magna videntur, & nihil aut parum re ipſa perficiunt, communi prouerbio dici ſolet illud Horatij: *Parturiunt montes: naſcetur ridiculus mus.* D

Mons parturiens, mundus. — *Horatius Art. Poët.*

Ita





Ergo, quid eſt Mundus, mundum licet induat omnem?
Vanius hoc nihil eſt: Nihilo quin vanior ipſo eſt.

Wat iſt van ſweerelts toch, en wonderbaer bediet?
Al ydelheyts bedroch, met eenen grooten Niet.

Qu'eſt donc l'apparance, Et la grand'boubance, Du mondain attueil?
La Vanité vaine, Moins que rien, qui meine, L'homme a treſgrand dueil.

Ita nihil mundus, post tot tantasque magnarum rerum falsas species producit solidi; immò totus inanis, ridiculus, & nihil est. Talia sunt quædam, quibus proprium est multum præ se ferre, & nihil esse.

E Quidni vilitatem,& vt ita dicam, nihilitatem mundi fastuosi bullis illis comparem, non iam communibus sponte in aqua surgentibus,sed illis quas pueri ex concha,smegmate aquæ immixto, straminea fistula, magno,licet puerili, studio exsuscitant? Hinc enim pueri (vt stulti insensatique sęculares ex suo orbe)non parum accipiunt oblectamenti. In hoc namque flatili orbiculo ædificia cernunt, turres, palatia, vrbes,cælum denique & terram,ac si paruus mundus esset,qui puellari pugillo in concha continetur: præsertim quando in aera volitare permittitur, vel etiam super palma manus resultare. At, quanto magis propiusque eo lusu delectat tanto faciliùs in nihilũ, vnde prouenerat,redigitur; &(heu luctum!) oculos intuentium mordaci sua aspergine mœstificat. Et ita, mundanæ more lætitiæ, extrema gaudij luctus occupat. Bulla in concha, mundus.

Neque Sapiens tantùm id bis térve iisdem planè verbis inculcat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: sed etiam vox & testimonium ipsorum damnatorum id confirmat; ita teste sacra Scriptura clamantium: *Nos insensati,&c. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens: & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquã; cuius,cùm præterierit, non est vestigium inuenire,neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut auis,quæ transuolat in aëre,cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius,sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum,& post hoc,nullum signum inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est; vt ignoretur transitus illius. Sic & nos nati,continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitatę autem nostra consumpti sumus.* Sequitur ibidem: *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis,quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.* *Eccli. 1. & 12.* *Sap 5.* Testimoniũ damnatorum de mundi vanitate.

Ecce, tametsi plenis immedicisque mundi voluptatibus, honoribus,& diuitiis affluxerint,& tota vita durante toti in illis fuerint gloriantes, luxuriantes, exultantes, & tanquam beatitudinem summam nacti iactantes; tamen quando eò venerunt,vbi verè videre est, quid sit mundus cum omnibus suis rumoribus & moribus; vident fatenturque nihil esse,seque natos statim esse desiisse;& omnia tanta celeritate transiisse,atque euanuisse,sicut omnia illa quæ in qualemqualem comparationem adduxerunt, vt iam antè audiuimus: vt ob id se insensatos meritò ipsi protestentur,& doleant. Vnde & Propheta regius eodem prorsus spiritu loquens, sic deplorandam horũ stultitiam depingit:

Psal.72. pingit: *Abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Veruntamen, deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem! Subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Vanitas mundanorum sic in suis voluptatibus somniantium etiam à Propheta Isaia expresßè describitur, his verbis: *Sicut somniat esuriens & comedit; postquam expergefactus fuerit, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit; & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit; sic erit multitudo gentium.* Sic cum mundi cultoribus & amatoribus agitur, quando omnia transierunt, somnium videtur fuisse: quo quid vanius, respectu rei ipsius de qua somniatur? Et vbi est ingenij subtilitas, rationis vigor, acumen industriæ, de quibus interdum gloriamur; & interim vmbram pro re, & somnium pro veritate complectimur: canem illum Æsopicum imitantes, qui carnem ore gestans, vmbram eius in aquis luna splendente apparentem auido morsu prensitans, veram carnem amisit. Ita nos aërem retibus, fumum manu, vmbram totis vlnis, & somnium toto animi studio, expanso velut sinu, captamus, vera æternaque beatitudine dimissa. Quis non hîc cum viro secundùm cor Dei exclamet, quasi miseros à tanta insania reuocans: *Filij hominum, vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nónne satis miser est, cui inuito mendacium obtruditur, nisi id etiam ipse studiosè conquirat? An non satis deplorandus, qui inscius & nolens in vanitatem inciderit; nisi & non habitam ambiat, & diligat inuentam? quis domum quærens, vacuam malit quàm plenam? quis bursam vacuā, scyphum, horreum, armarium, armamentarium, caput, corpus, & similia (quæ continendis rebus seruiant) vacua malit quàm plena? Ita qui quæ in mundo sunt diligunt, non modò vana diligunt, sed ipsam adeò diligunt vanitatem.

Somnij instar mundi vanitas.

Isaiæ 29.

F

Canis Aesopicus.

Psalm.4.

In signum, vacua illa & vana esse omnia, quæ mundani homines tanto cum affectu & tanta cum animi voluptate concupiscunt, & amplectuntur; vacua etiam sunt omnia illa instrumenta, vt suprà attigi, quibus maxima talibus hominibus lætitia & exultatio exhibetur. Vt sunt tympana, fistulę, sambucæ, lyra, cythara, & id genus alia. Videte stultitiam: inflatur saccus coriaceus, inflatur tibia, pulsantur tympana, sonumque edunt; & incipiunt saltitare homines, & instar vitulorum pinguium gestire, lasciuire, & mille leuitates exercere: quid id aliud est, quàm vanitatem hominis per instrumentorum vanitatem excitare, & facto ostendere, vana esse omnia? Dumque transiit sonitus, cessat saltus & iterùm in nihilum euanuit. Iterùm dicere lubeat: Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem? errorem? perniciem?

Instrumēta lætitię mundanæ vacua vanitatem mundi testantia.

Rectè D. Augustinus: O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur: putas si dulcis esset, qualiter amaretur? Formoso quomo-

Augustin. serm. 111, de temp.

quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non reuocas manum? Idcirco prudentes nos esse oportet & iustos rerum ęstimatores. Transit mundus, trāseat; neque vanitati eius innitamur, vmbras, mendacia, fumos, & inanes species fugientes, Christo, qui veritas & æterna Patris Sapientia est, adhæreamus. Illi adhærere bonum est. Sortilegium mundi pompaticum contemnite, vbi omnia in sortem conferuntur, & nihil præter nihil accipitur. Sors tua tibi, ô Christiane, cecidit in præclaris. Hæres cæli, Deique cum Christo cohæres factus es. *Dixi*, inquit nostro etiam nomine, Propheta: *Tu es spes mea, Domine, & portio mea in terra viuentium.* Hac contenti simus. Ceterùm, mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo. Ecqua voluptas sit, cum reo cruci vel patibulo affixo epulari, sedere, iacere, illius frui amplexibus & osculis? omnia horroris plenissima sunt. Phy igitur mundo, & omnibus eius vanitatibus; Christo confixus sum cruci.

Sors Christiani Deus.

Psal. 141.

Gal. 6.

Veræ vanitatis mundi specimen atque exemplum ex Philone breuiter narremus. Cùm Agrippa à Caio Augusto rex ordinatus, Roma recedens & in Iudæam rediens, Cæsaris hortatu per Alexandriam iter institueret: intolerandam in illa ciuitate sustinuit ignominiam Erat quippe quidam insanus, nomine Carabbas, non ex illo conspicuo furiosorum genere, sed leuiore correptus insania. Is interdiu noctuque nudus oberrabat per compita, nec æstum nec frigus deuitans, puerorum & adolescentum ludibrium. Hunc miserum propulsum ad gymnasium in superiori loco statuunt, vt spectari posset ab omnibus; moxque capiti diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream induunt, pro sceptro frustum arundinis humo sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis insigniis, & in regem transformatum, more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alij salutatum accedebant: alij sibi reddi iura petebant: alij consulebant eum de Republica: post hęc acclamatum est à circumstantibus, magna voce, *Marim*, appellantibus, quod nomē Syris significabat Dominum. Ecce tibi mundi typum in fatuo ludicrè sublimato, & in Agrippa nouo rege deriso luculenter expressum.

Philo in Flac.

Oratio contra mundi vanitatem.

MVndus trāsit, Domine Deus, & omnis concupiscentia eius, & veritas tua manet in æternū: abstrahe corda nostra ab omni vanitate, & tibi glutino tuæ dilectionis affigito: ne, quando dormierimus somnum nostrum, vacuis inueniamur manibus, dum cuncti resurgētes mercedē pro labore sunt percepturi. Amē.

CAP. LXXIX.

Qua capitur ſpecie, qui ſidera lumine veſtit?
Virtutum: Argenti hæc radios pręſtinguit & auri.

Veſtium & ornatus origo & progreſſus.
Geneſ. 3.



POSTQVAM homo primam ſuam in Paradiſo veſtem innocentiæ & iuſtitiæ originalis amiſit, cœpit in veſtium ornatu & pretio, & in iis qui eò ſpectant, voluptatem capere. Primùm quidem neceſſitate tantùm impellente, in quam ſe per peccatum coniecerat, vt veſtium vſu indigeret; ſed poſtea etiam vanam delectationem & honorem in veſtitu quęrendo & collocando. A Primum ſiquidem indumentum, ſeu potiùs tegumētum, quo pudori ex nuditate ſurgenti conſuleretur, erant perizomata, quę ipſi primi parentes conſutis ficus foliis ſibi confecerant. Tunc fecit eis Dominus Deus tunicas pelliceas, ad tegendam quidem nuditatem, ſed etiam ad frigus cælique iniuriam arcendam. Inde ad lanam & linum ventum eſt; effinxitque ſibi humana induſtria veſtes laneas & lineas. Inde vlteriùs ad vermium ſerica excrementa & byſſum: tandem ad B aurum & argentum, conchas, murices, vniones, gemmas, & lapides pretioſos. Adeò vt nihil vltrà videatur expectandum, quàm vel vt ad primum iterùm veſtimenti genus redeatur, vel vt mundus finem accipiat: cùm inſuper omnia illa ſupradicta ita inter ſe contexta, commiſta, & mille modis variata & variegata ſint, vt nihil supereſſe videatur, quod in eo genere amplius queat excogitari: & tamen in vno diu conquieſcere nequit mundus.

Gentilium in ornatu ſtudium.

Ethnici, qui non plus ſapiunt quàm capiunt, quamq; ſe humanum protendit ingenium, magnū momentum in externo hoc ornatu conſtituunt; quia ſummam ſuam felicitatem in talibus poſitam exiſtimant: hinc etiam eiuſmodi ſtudiis maximam nauant operam. De his ſic loquitur Propheta: *Filiæ eorum compoſitæ: circumornatæ vt ſimilitudo templi.* & forma corporis aptiſſimè comparatæ, & veſtium ornamentorumque corporalium ſplendore ita excultę, ita armillis, dextrariolis, inauribus, torquibus, lunulis, frontalibus, & ſimilibus circumornatę, vt templi alicuius etiam aulæis & coronis aliiſque donariis circumquaque dependentibus ornatiſſimi ſpeciem referre videantur. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*, inquit Propheta: & ſibi beati videntur.

Pſal. 143.

Chriſtiani ſciūt, quid de corporali ornatu ſit ſentiendum.

Idque inquam de Ethnicis, qui lumine Fidei deſtituti videre nequeunt neque diiudicare, quis ſit ornatus ille, quęue ſpecies qua Deus capitur & delectatur. Deus, inquā, qui ſidera decoro illo veſtit lumine. At nos Chriſtiani à Deo circa huiuſmodi illuſtrati quando perſpicilia recti viſus ac iudicij, naſo noſtro imponere volumus; hoc eſt,



Quâ capitur ſpecie, qui ſidera lumine veſtit?
Virtutum: Argenti hæc radios præſtinguit, et Auri.

Welck is dan het cieraet, daer Godt voor al afhoudt?
Dat is der deuchden daet: bouen gheſteente en goudt.

De quelle parure / L'autheur de Nature / Se delecte plus?
De la Vertu belle / Au pris de la quelle / Rien n'eſt le ſurplus.

quando humanum nostrum intellectum captiuum tenemus, & fidei, obedientiæ, atque obsequio subiugamus, facilè videmus quid de cor-
C porali ornatu censendum sit, quantumque in eo gloriandum. Fide namque cognoscimus, non alia nobis quàm peccatorum occasione concessa corporis indumenta; sicut cataplasmata, & fasciarum obligationes, vulnerum vlcerumque occasione traduntur. Vt pudere nos potiùs debeat, quàm gloriari delectet in vestibus, cùm illæ nobis seruiant magis ad ignominiam inobedientiæque nostræ memoriam refricandam, quàm ad laudem aliquam vel honorem. Sic enim nec cauterium, scapulis cuiusquam furis inustum, occasionem aliquam præbet se iactitandi, vel sibi complacendi, sed potiùs se humiliandi, quia recentē semper commissi vel furti vel criminis gignit recordationem.

Vestes cataplasmata.

Vestes cauterij instat.

Iam verò non eò tantùm ventum est, vt in tegumētis corporis nostri gloriemur, ęquè ac vulneratus vel luxatus quispiam in suis cataplasmatis & colligaturis: sed etiam illa nos eadem argento & auro & lapidibus pretiosis ornamus: nobis persuadentes pulchrum hoc esse & honorificum. Quod sine dubio clarissimum est vel stultitiæ argumentum, vel nos Fidei nostræ non vti lumine, quo hæc omnia discernamus. De sic se ornantibus dicit Apostolus: *Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Cui & D. Petrus consentit: *Non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus; qui est in conspectu Dei locuples.*

Insania circa cultum corporis.

1.Tim.2.

1.Pet.3.

Docuerunt nos Sancti suo exemplo ita de corporis indumentis, vt dixi, sentiendum: data esse scilicet quibus tegamur (quod ex peccato originem sumsit) & in signum pœnitentiæ peccati illa nos circumgestare; sicuti sceleratus aliquis torquem ferream, vel catenam, vel aliud signum gestaret: Sancti vestibus ad pœnitentiam etiam vsi sunt. Sic Apostolus: *Fide, alij circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

Hebr.11.

Vnde ista (putamus) inter homines iudiciorum & rationum agendi diuersitas, nisi quòd aliis alij animam pluris quàm corpus faciant, atque ita etiam ornatum animæ corporis cultui præferunt; virtutes, gratiarum varietates, & eiusmodi spiritualia ornamenta, gemmis & auro. Alij verò, quibus vel cerebrum, vel cor, vel spiritus deficit, corpus animę pręponentes, etiam longè studiosius exteriorem cultū inte-
D riori præferunt. De quibus rectè D. Augustinus: Ecce, omnia pulchra sunt cum iniquis, & ipsi turpes, secundùm animam scilicet. Non enim cogitant, neque animaduertunt, animam principalem esse hominis portionem; eamque ob id à Deo, vt rem pretiosam, corpori vt loculo conuenienti esse inclusam. At ipsi capsam exteriorem contemplantur

Augustin.

Anima corpori præponenda.

cum admiratione, nihili facientes thesaurum intus conseruatū. Propterea exteriùs ornant, intus negligunt. Quod dum stultuli faciunt, ita sapiunt, ac si fur qui ad suspendium ducitur maiorem haberet curam ornandi corporis, quàm animæ conseruandæ.

Virtutum ornatus optimus.

Dicit itaque optimè Responsio, virtutum ornatum Deo maximè placere, illumque radios argenti & auri præstinguere Hic est enim ornatus Reginæ, Christi Regis sponsæ, animæ Fidelis; quam ob id sponsus tanto dignatur honore, vt ad dexteram suam collocet: *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato; circumdata varietate*. Tanti est operimentum illud fulgentis charitatis, vt eius comparatione vilescat aurum: tanta est omnium aliarum virtutum varietas, vt nulla vestium variegatio cum ea conferri possit. Qui hunc virtutum ornatum habet, alium non magnopere quærit, neque pro illo manum mouerit; cùm sciat se per istum summo Regi Christo placere. Talis animæ pulcherrima fuit figura, Hester illa pulcherrima. quæ tanta gratia & pulchritudine naturali pollebat, vt nō quæreret muliebrem cultum; neque ei vt ceteris opus erat studiosè se adscititiis ornamētis comere & polire; quia, teste Scriptura, *erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur*: & propterea prę ceteris Regi Assuero placuit: quæ tamē sex mensibus oleo vngebantur myrtino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vtebantur: & quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, & vt eis placuerat componebantur, dum ad regem suo ordine essent ingressuræ. Posuit autem Assuerus rex diadema regni in capite Esther, fecitque eam regnare. Quicunque igitur summo Regi Christo placere desiderat, & ipso tandem iubente ac donante in cælis regnare, mundi corporisque ornatum contemnat, qui animam solet dehonestare, fœdioremque coram Deo reddere: & assumat virtutum decus; humilitatis, pudicitiæ, mansuetudinis, sobrietatis, patientiæ, charitatis, misericordiæ, pietatis, & cæterarum. Hæc optima fuêre Christi, amicorumque eius, & gloriosorum Principum terrę Apostolorum vestimenta: his ornamentis resplenduerunt tot Sanctorum & Sanctarum millia. Et virgines nominatim, etiam corporis pulchritudine frequenter speciosissimæ, & in sæculo præstantes, hoc tamen virtutum ornatu eminenter fulserunt: quales fuerunt S. Catharina, S. Agnes, S. Cæcilia, &c. at præ omnibus, Virgo virginum, Domini nostri mater sacrosancta, Domina angelorum, in qua Deo complacuit.

Psal. 44. Anima virtutibus prædita, Regina est.

Hester. 2.

Qui animam ornatam habet, de corporis ornatu non est solicitus.

Virginum sanctarum laus.

E F G H

Hic virtutum ornatus non teritur vsu, sed augetur, redditurque venustior. Qui his indumentis caruerit, gehennæ flammis æternùm vestietur. *Induet maledictionem sicut vestimentum*, inquit Propheta. Meminerint tantæ dignitatis huius virtuosi ornatus, qua regni maiestas obtinetur; & è contrà vilitatis ornatus corporalis, quo gehennæ incendia

Psal. 108.

cendia hereditantur, quicunque ita cultui corporis vacant, vt animæ cultum postponant. Meminerint exempli sororis S. Bernardi.

Sed rem ipsam, vt in vita S. Bernardi describitur, audiamus. Cùm igitur illa venisset, quasi visura fratrem suũ, & adesset cum comitatu superbo & apparatu, ille detestans & execrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquieuit exire ad videndam eam. Quod audiens illa, confusa & cōpuncta vehemēter, cùm ei nullus fratrum suorũ occurrere dignaretur, cumque à fratre suo Andrea quem ad portam inuenerat monasterij, ob vestium apparatum stercus inuolutum argueretur, tota in lacrymas resoluta; Etsi peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. Et, si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat seruus Dei animam meam. Veniat, præcipiat; quidquid præceperit, facere parata sum. Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater eius: & primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, & in omnibus sæculi pompis & curiositatibus interdixit; ac formam vitæ matris suę, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & sic eam à se dimisit. Illa verò obedientissimè parens præcepto, repentè secundùm omnipotentiam dexteræ Excelsi mutata est. Stupebant omnes, adolentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu & victu, in medio seculi vitã ducere eremiticam. Hucusque ex vita S. Bernardi.

Soror sancti Bernardi cultum externum deposuit.

In vita S. Bernard. li. 1. ca. 6.

In virtutum porrò commendationem adiiciam quod Antisthenes dixisse fertur. Ensis & clypeus excutiuntur: sapiens autem ac virtute præditus, nunquam non armatus est, eoque vinci non potest. Ecce quantum præsidium in virtutum ornatu, quę & armaturæ loco sint in militia nostra quotidiana; vt illis muniti vinci nequeamus; cùm alioqui corporis ornamenta parum ad telorum iactum cōducere soleant. Idem virtutes ei mercium generi comparabat, quæ in naufragio vnà cum possessore enatant. Et quid veriùs, quàm quòd virtutes in morte solæ auctori suo ex hoc mari enatanti adhæreant, eumque in extrema necessitate solentur? Omne igitur studium isti ornatui Deo tam grato impendendum.

Laër. lib. 6.

Oratio ad ornatum animæ acquirendum.

Domine Deus omnipotens, qui cælum sideribus, & floribus tellurem, pulchriùs quàm regali gloria exornasti; Da mihi gratiam, vt corporis ornatu contemto, animam exornem virtutibus, vt gratiam in oculis tuis, quæ cor intuentur, obtineam. Amen.

CAP. LXXX.

Quæ de florenti tibi ſtat ſententia formâ?
Flos iſte ambroſiam modò, cras ſpirabit auernum.

Riſu dignum formæ ſtudiũ etiã apud deformes.



VERE admiratione & animaduerſione dignum, homines communiter tantã ex pulchritudine & forma voluptatem capere, vt etiã videri formoſus quis deſideret, tametſi verè non eſſet. Si tantum quilibet ſtudij poneret, vt probus fieret, quantum vt pulcher appareat, quàm boni & ſancti eſſent homines! Nam non fruſtra labor ille impenderetur, cùm meliorem ſe quiſque reddere queat, non autem pulchriorem, aliáve ſpecie, quàm qua eum Deus creauit. Quocirca, ſicut ſuperuacaneum eſt, vel ad ſtaturam aliquid vel ad formam adiicere, vel quærere quod nequeat inueniri; ita è contrà, valdè vtile ac fructuoſum eſt, vitæ emẽdatiori & ſanctiori operam dare: quia ibi proficitur, neque oleũ neque opera perditur.

Pulchritudo, flos caducus.

Quæritur itaque modò, quid de florenti forma & corporali pulchritudine ſit ſentiendum: cùm tam multi tanti eam faciant; vt licet non ſint, videri ſaltem ſpecioſi contendant. Reſpondetur, eam inſtar A floris modò ſuaue redolentis eſſe, qui cras, vel paulò pòſt, fœdiſſimè fœteat. Ex Sapiente iam antea audiuimus: Vanam eam eſſe corporis pulchritudinem, fallacemque eiuſmodi omnem gratiam. Nam præterquam quòd frequenter verè non ſubſit, quantumque id appareat, etiam cùm verè, valdè caducum & incertum eſt. Quia, ſicuti ex Apoſtolo Petro aliàs diximus: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, tanquam flos fœni; exaruit fœnum, & flos eius decidit* Quod & D. Iacobus ſimili modo loquendi confirmat: *Flos eius decidit: & decor vultus eius deperijt.* Ita enim in formoſiſſimis breui temporis ſpatio videmus accidere. Vt verè dicat Theophraſtus: Forma eſt tacita deceptio. Non enim ſolùm multos decipit, ſilenterque in laqueum inducit, ſolo intuitu ac ſecreto oculorum ſpiculo; verùm etiam pulcherrima venuſtas ac forma, quæ omnium in ſe oculos præ admiratione rapit, plurimaque videtur de ſe polliceri, illa eadem paulò pòſt tacitè & præter omnem expectationem, minimo caſu, morbi, vel metus, vel mœroris, aut alterius occaſione, leuiſſima nonnunquam, ita ſui poſſeſſorem, & omnes qui eam cum ſtupore ſuſpexerant, decipit; vt vix credant eandem eſſe ita iam deformatam formam.

Prou. 31. *1. Pet. 1.* *Iac. 1.* *Theophraſtus.*

Euripides.

Ita etiam rectè de pulchritudine ſenſit Euripides: Pulchitudo res infelix eſt. non iam tantùm ob illam deceptionem, licet multiplicem: ſed etiã, quia eius occaſione multi in deplorandas veniunt infelicitates & miſerias, tum corporis, honoris, & ſubſtantię, tum potiſſimùm

in



Quæ de florenti tibi ſtat ſententia Formâ?
Flos iſte, ambroſiam modo, cras ſpirabit Auernum.

Seght my, nae menſchens roem, Wat v van ſchoonheyt dynckt.
Een vierkende ſchoon bloem, die morghen leelyck ſtinckt.

Du gentil corſage, Et du beau viſage, Qu'en doibt-on ſcauoir?
Que ceſt vne roſe, Au matin d'eſcloſe, Qui fleſtrit au ſoir.

m iacturam animæ incomparabilem. Dicat vt ideò idem auctor sententiam, dignã quæ ex Christiani alicuius ore credi possit promanasse: *Deformis sim potiùs, quàm pulcher & malus.* Nam Mopso quodam, Sententia
E Thersite, atque Æsopo ipso deformior est, quisquis malis moribus Christiano præditus est, etiamsi Adonide, Narcisso, vel Helena ipsa formosior digna. vultu appareret,

Heu, quàm multi (timendum est) in inferno ęternis cruciantur ignibus, sola pulchritudinis occasione, tam viri quàm fœminę! His formę venustas, lapsus & peccati & damnationis causa fuit, à qua fuissent immunes, si turpes fuissent, aut saltem non excellenter formosi, eámve cautiùs custodissent. Forma eis velut hamus fuit, quo plurimos secum in ardentis laci voraginem pertraxerunt. Dixit propterea rectè Poëta: Lis est cum forma magna pudicitię. ac si dicat: Pudor & castitas valdè periclitãtur, vbi adest pulchritudo: ac si nõ benè queant consistere, nisi cum maximo certamine & discrimine, in quo plerumque superat pulchritudo cum pudicitiæ detrimento. Istud quotidianis (prô dolor!) exemplis cõstat in stultulis illis, quæ tanti faciunt formosæ videri, vt parum ob id curent, si castæ non maneant. Damnum pulchritudinis. *Ouid. Epist. 9.*

Ex his facilè videre est, quàm vana, fallax, infelix, & noxia sit sæpè pulchritudo: sed bonum esse, ac Deo ex conscientiæ pulchritudine placere, magnificum esse; parum referre de facie. Quocirca consilium Demetrij mihi summoperè placet: Si pulcher es, benè fac: si defor- *Demetrius.*
B mis; naturæ defectum bonis actibus instaura. Vt & Socrates eam ob Speculi causam discipulos suos in speculo se contemplari iubebat, dicens: Si bonus tibi pulcher videris; vide vt probè viuas: quia nimiùm dedeceret, vsus. pulchrum esse & malum. E contrà, si tibi deformis esse videris, eò *Socrates.* rectiùs te gerito; & corporis defectum morum probitate compensa. Superat namque facilè morum virtutumque ornatus (qui est animæ) formam ac ornatum faciei & corporis, præsertim cùm hæc in malum
C caderent. Dicit namque appositè Sapiens: *Circulus aureus in naribus* *Prou. 11.* *suis; mulier pulchra & fatua.* hoc est mala, quæ imprudenter se gerit: de qua fatuitate in III. & IV. disseruimus.

D Pulchritudo ista corporalis quid aliud quàm exterior forma sepul- *Matth. 23.* chri dealbati, pictæque vel etiam capsulę inauratę, plenę ossibus mortuorum, vel rebus aliis turpiùs fœtentibus? Quocirca, rectè D. Am- *Ambros.* brosius: Pictus es, ô homo! & pictus à Domino Deo tuo. Bonum ha- *Hexam.* bes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco *lib. 6.* sed veritate fulgentem; non cerâ expressam, sed gratia. Deles picturam Dei, mulier, si vultum tuum materiali colore oblinas: si acquisititio rubore perfundas. Illa pictura vitij, non decoris est: illa pictura fraudis, non simplicitatis est. Illa pictura temporalis est; aut pluuia aut sudore tergitur. Illa pictura fallit, & decipit; vt neque illi placeas,

placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum sed alienum esse quòd placeas; & tuo displicias auctori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat; nónne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit? hucusque Ambrosius.

4.Reg.9. Iezabel præcipitata, stibio depicta.

Tales adulterinæ pictrices Iezabelem illam imitantur, quæ introitu Iehu audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram. Et sicut illa per eam præcipitata à canibus deuorata fuit; ita illæ quæ stibio & purpurisso, aliisque sexcentis artibus, summi artificis Dei opus in se peruertũt, formã sibi datã reformãtes, in infernum deturbatę, à canibus auernalibus in æternũ depascentur. E

Dolendus animæ neglectus.

Id considerent & recogitent omnes, quotquot huic curiosæ transformationi, & refixioni vultus sui tam sedulam nauant operam; & animam toto ferè anni tempore illotam, impexam, incultam, fœdam fætentemque relinquunt, olla quauis aut carbone Aegyptio atriorem. Horum inquam, meminerint, expendantque quo tunc futuri sint animo, quando die illo nouissimo, vt amentes, quasi homines exusti secundùm corpus, & quasi dæmones secundùm animam, discurrent, & quò se vertant, nescient. Ita Propheta de talibus: *Vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustæ vultus eorum.* Quibus verbis indicat, quemadmodum nunc se mutuò occasione formæ, ornatus, & curiosæ nouitatis quotidie valdè attentè obseruant, cum admiratione & stupore considerant; ita tunc è contrà se inuicem præ stupore, horrore, & fœditate respecturos esse, ac si in se mutuò hominis combusti viderent effigiem, ambustumque cadauer. Idque tanto maiori cum terrore & turbatione, quanto horribilius est talem hominem videre ambulantem, discurrentem, loquentem, vociferantem, brachia iactantem, velut mente captum; quàm simpliciter videre exustũ, mortuum, palo affixum, vel humi iacentem. Vbi & horrorem augebit occasio tantę infelicitatis & miserię non ignota; quòd nimirum tam soliciti fuerint pro pulchritudine faciei excolenda, & faciem animæ secundùm imaginem Dei creatæ ita neglexerint. Ita, inquã, neglexerint, vt vix semel seriò perpenderint, se animam habere; animæ verò isti suam esse faciem, suam esse pulchritudinem, ornatũ & splendorem: neque vnquam cogitarint quomodo illa maculetur, deformis fiat; quáve ratione mundetur.

Isaiæ 13. Horribile visu.

Formæ venustas, ad malum comparata, grauissima.

Hęc autem omnia eò grauiora futura sunt, quo maiori cum affectu se totos eis suaque impenderint: idque nõ iam solùm ex innata aliqua curiositate, vel studio complacendi sibi, vel etiam oculis hominũ, vana quadam oblectatione: sed etiam, quod longè deterius est, ex praua intentione, cum deliberata voluntate ac desiderio alios ad malũ formę venustate trahendi, pelliciendique ad carnalia desideria. Sicuti ex Sapiente

piente audiuimus: *Mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* De talibus animarum venatricibus & venatoribus, seuerè & verè diuus Hieronymus: Si vir vel mulier se ornauerit,& vultus hominum ad se prouocauerit; etsi nullũ inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum. Quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.

Prou.7.

Hieron. in Epist.

Quocirca, qui sapit, consilium exemplumque Romanę illius nobilis matronæ Paulæ sequatur, de qua ita idem commemorat: Cùm à nobis crebriùs admoneretur vt oculis parceret, & eos reseruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quã contra Dei præceptum, purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi. Affligendum est corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ viro & sæculo placui, nunc placere Christo desidero. Ita illa dicebat & faciebat: vtque paucæ illam in tali vitæ commutatione imitantur, sic etiam paucę ad eam gloriam in altera vita venturæ sunt. Nam quæ ita facies suas diabolica quadam metamorphosi quasi in laruas & spectra conuertunt; certæ sunt, nisi deposita larua pœnitentiam agant, se à Christo iudice, quando cum fatuis virginibus clausa ianua venientes dicent: Domine, Domine, aperi nobis, audituras horrendum illud responsum: Amen dico vobis: Nescio vos. Egon has formaui facies? ego horum vultuum plasmator? hóccine opus manuum mearum? Ego vos ad imaginem meam creaui? & quæ est hæc imago, quæ superscriptio, quam video? Ite, alium quærite saluatorem, si alium quæsistis creatorem. Non noui vos. Quò nisi ad æternam damnationem ituræ sunt, quos ipsa repellet salus? Heu luctuosam repulsam! fœdum pulchritudinis exitum!

Hieron in vita S. Paulæ.

Matth. 25. Deformãtes se, à Deo non agnoscentur.

Tunc optabunt formosulæ illæ se turpissimas inter natas mulierum extitisse, vel aliquo modo se deformasse, & truncatis naribus & auribus horribiles adspectu fuisse, potiùs quàm per fluxã istam pulchritudinem, ad horrenda æternorum suppliciorum loca deuenire. Credo, si cum Demosthene Laidis amores ob pretij magnitudinem fastidiente, tam futilis rei tam immensum pretium tempori expenderent, cum ipso etiam meritò dicerent: Tanti non emò pœnitere. Nunc exempla aliquot subiiciamus tam ex sacris, quàm profanis, quæ tum ad maiorem formæ neglectum faciant, in se & in aliis; tum ad omnimodam studij illius detestationem, quo per formam & ornatum insidiæ aliis struuntur, ad perniciem animę.

Demosthenis dictũ.

Quidam, Pior nomine, Ægyptius genere, ętate iuuenis, cùm mundo renunciasset, exijt è domo paterna; & propter insignem amorem spiritalem, Deo est professus se nullũ ex suis visurum ampliùs. Quinquaginta ergo pòst annis, soror eius, quæ consenuerat, & ab aliquo resciuerat fratrem suum viuere, veniebat in mentis emotæ periculum,

Pallad. hist. vit. 87. Pior abb.

nisi ipsum videret. Cùm autem non posset venire in vastum desertum, rogauit illius loci Episcopum, vt scriberet ad sanctos patres qui erant in solitudine, vt ipsum mitterent, & eum videret. Cùm ergo ei vis magna adferretur, patribus obediens, statuit vno alio adsumto abire: & significauit domui sororis fratrem suum Pior aduenire, & foris stare. Cùm autem sensisset strepitum ostij, & quòd eius soror ei veniret obuiam, Pior clausis oculis, clamauit ad ipsam: O soror, ego sum Pior frater tuus, ego sum: ecce, vide, adspice quantum velis. Illa ergo facta certior, Deum glorificauit; & cùm multa fecisset, non potuit ei persuadere vt domum ingrederetur: sed oratione facta in limine, reuersus est in solitudinem, propriam patriam illic sibi virtute comparans. Si ita multi suos oculos, & qui speciosi videntur, suam pulchritudinem custodirent, multa peccatorum millia vitarentur, & animæ innumeræ seruarentur.

In comtulos. *Laërt. lib. 6.* Nunc vt illi adolescentuli comtuli habeãt quo se corripiant & corrigant, dum ita se comunt ac poliunt, ac si fœminini sexus forent: audiant quid Diogenes cuidam ipsorum simili dixerit. Conspecto siquidem adolescentulo, cultu gestuque parum virili: Non te pudet, inquit, qui tibi peius velis quàm ipsa natura voluit? Illa siquidem te virum fecit; tu teipsum refingis in fœminam.

Memorabile refertur exemplum, pro illis omnibus, qui formæ suæ pulchritudine in aliorum scandalum & ruinam abutuntur. Ethnicum id quidem, sed omnibus Christianis meritò admirandum. Excellentis in Etruria pulchritudinis adolescens, nomine Spurina, cùm mira specie complurium fœminarum etiam illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, citra tamen suam culpam: oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. Huius & D. Ambrosius facit mentionem, libro 3. de Virginitate.

Valerius Max. lib. 4. cap. 5. Spurina adolescens se defędãs.

Non desunt & Christianis eiusmodi exempla; sed pauci reperiuntur qui desiderio illa imitandi teneantur. S. Brigida virgo inter Scotiæ puellas pulcherrima, cùm à potentibus, & quidem Christianis viris in matrimonium peteretur, & illa virginitatem Deo vouisset, eundem orauit vt aliquo corporis vitio ipsam deuenustaret, quo porcorum, procorum inquam, inquietudo facilè sedari posset. Itaque cùm oculorum decore maximè placuisset, alterum subito vlcere percussum amisit. Cui ergo charior oculis fuit virginitas, nónne tanto pulchrior fuit in conspectu sponsi cælestis, quanto istis terrenis (qui iam illam quam paulo antè tam ardenter appetierant, desponderi sibi dedignabantur) visa est deformatior?

Surius to. 1. S. Brigida.

Ibidem. Angadrisina virgo in Gallia Lothario regnante fuit, quæ cùm à parentibus

rentibus Auiberto Principi viro (qui postea Rothomagensem Ecclesiam erexit) inuita desponsaretur ; multis cum lacrymis Dominum obsecrauit, ne suam pollui virginitatem pateretur. Moxque lepræ morbo totum corpus occupante, ob fœditatem intacta dimittitur : & ne in incerto esset, cur id mali ei accidisset, vbi cœnobium virginum ingressa sanctum velamen accepit, continuò sana euasit. Puto, quæ tam enixè orauerat, lepram etiam ipsam, quoad vixit, pati maluisset, quàm virginitatem amittere. Atque ita quam terrenus sponsus fastidiuit, cęlestis amplexus est. Ex his omnibus & vanitas formæ corporalis agnoscitur, quantumque illa mali importet malè custodita : ac propterea animæ pulchritudinem vnicè esse excolendam : illiusque in nos charitatem vnicè memorandam, qui (vt generosa Christi Agnes loquebatur) collum ac dexteram nostram fulgentibus ac sempiternis gemmis ornauit, qui & sanguine suo tinxit genas nostras: cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. *Surius to. 1. in vita S. Ansberti.* S. Angadrisina.

Pulcherrimum huiusce pulchritudinis nunquam satis admirandæ exemplar in historia, tametsi sæculari, adumbratum habemus, quo discamus Christo animarum nostrarum sponso grati esse, eiusque vultum cordi nostro infixum gestare. Refert Xenophon, Cyrum, cùm bello regem Armeniæ superasset, filium quoque eius cum vxore cepisse, erat autem filio nomen Tigranes. Interrogauit itaque Cyrus Tigranem, quo pretio redimeret vxorem, quę adstabat : respondit ille: Dabo libenter vitam pro illa. Cyrus tanto amore delectatus, vtrumque liberum dimisit. Interrogauit postea Tigranes vxorem, quid illi visum fuerat de Cyri forma & magnanimitate. Respondit illa : Non ego in Cyrum oculos conieci, sed in illum qui dixit, *Se vita sua me redemturum.* Ita nos meritò rapiat Christi in nos immensus amor, qui quòd animam suam pro nobis posuit (qua maiorem nemo charitatem inueniat) dignus est vt cordibus nostris impressus inhæreat. Sicque in eo omnis nostra pulchritudo consistat, vt ex iugi tantorum beneficiorum memoria, *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferendo, vita quoque Iesu manifestetur in carne nostra mortali.* *Xenophon.* *2. Cor. 4.*

Oratio vt animæ pulchritudo acquiratur.

O Domine Iesu, speciòse forma præ filiis hominum, in cuius faciem desiderant angeli prospicere, cuius pulchritudinem & Sol, & Luna, & stellæ mirantur : Da mihi formæ caducæ contemtum, & sinceram puritatis animæ delectationem, quam ad tuam imaginem condidisti ; vt eam illibatam tibi in die mortis merear exhibere. Amen.

CAP. LXXXI.

Stoica quo valeam capere hæc paradoxa magiſtro?
Eia, Sepulchreti ferales aſpice campos.

Matth.19. SALVATOR noſter Chriſtus de ſublimi illo caſtitatis ſtatu Apoſtolis ſuis verba faciens, tandem addebat: *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Ac ſi dicat: Non omnes hanc doctrinam, hoc conſilium intelligunt: multoque minùs in ipſorum voluntatem cadit, vt amplectantur & faciant. Ita quoque de contemtu, vel neglectu ſaltem, formæ exterioris & pulchritudinis dici poſſit; non omnes id capere: quia communi hominum iudicio tanti fit, vt nihil magis. Ideò non omnes intelligunt, rem tantæ æſtimationis in mundo, quæ interdum etiam maximis opibus præfertur, ita eſſe vilipendendam; vt & cetera quæ mundus attollit & magni facit.

Difficilis captu mũdanis mũdi & formæ contemtus.

Interrogatur igitur, quo magiſtrò tam Stoica paradoxa, qualia iam A
ſuperioribus aliquot Capitibus in contemtum mundi tradita ſunt, & poſtremò de neglectu formę, addiſcere valeamus: nominatim pulchritudinem inſtar floris excellentis & benè redolentis, mox in fœtorem teterrimum conuerti. Scio etenim, iſtud ſomnij ſpeciem referre, iis qui tantopere erga corporis pulchritudinem afficiuntur; eíque curandæ ita incumbunt, vt amentię etiam periculo ſe nõ rarò exponant: vt eos omittã, qui ſolo formæ aſpectu eò ſe diſcriminis quoque coniiciunt. Poſſent tales neglectum rei tanti apud ſe pretij non capientes, *Geneſ.41.* ſed inſtar ſomnij habentes, dicere cum Pharaone: *Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat.* Prudenter idcirco illi faciunt, qui non ſtatim (vt quidam aſſolent) bona conſilia reiiciunt, eò quòd non capiant, vel maximè quia iudicio ipſorum erroneo contraria ſunt: ſed ad Apoſtolorum potiùs imitationem faciunt, qui quando lectiones, documenta, parabo-*Matth. 13.* las Chriſti Domini non intelligebant, dicebant: *Domine, ediſſere nobis parabolam hanc.*

Qui nihil ſcit, nihil interrogat.

Non exiguum eſt initium ſapientiæ, ignorantiam ſuam agnoſcere, & prudenter humiliterque interrogare, ac doceri velle. Nam vt communiter dicitur; dedecus non eſt multa neſcire, ſed turpe eſt nolle diſcere. Idcirco quemadmodum qui multa interrogat; magnum de ſe ſpecimen præbet multæ eruditionis, ſaltem acquirendæ: ita qui nihil interrogat, nihil ſcit. Rectè igitur hîc rogatur, quis hanc lectionem communi hominum opinioni planè repugnantem nos ſit optimè docturus.

Reſpondetur, opus tantùm eſſe, vt alacri attentoque animo ferales B
ſepulchreti campos accedamus aſpiciamuſque. Ad cœmeterium mittimur,



Stoica quo valeam capere hæc paradoxa Magiſtro?
Eia, Sepulchreti ferales adſpice campos.

Wie ſal my deſe leer, ten beſten doen verſtaen?
Gh'en moet maer eenen keer, met ſin op tkerckhof gaen.

Faites moy entendre, Ce point a comprendre, Sy treſdifficil.
Va au cemitiere, Ou ceſte matiere, S'apprend au docil.

timur, velut ad ſcholam. Necdum abſoluta eſt ad interrogata reſponſio; ſed præambulum quoddam ad eam: quo ſaltem locus conſignatur, vbi quæſita diſci queant.

C Ita Dominus Deus volens populum ſuum nouo efficacique modo docere, quòd potens eſſet eos adiuuare, collapſos erigere, & quaſi contritos reſtaurare, dummodo ſaniora conſilia ſequerētur: dicebat Hieremiæ Prophetæ: *Surge, & deſcende in domum figuli; & ibi audies verba mea. Et deſcendi* (inquit Propheta) *in domum figuli, & ecce, ipſe faciebat opus ſuper rotam. Et diſsipatum eſt vas, &c.* Per vaſis confractionem, eiuſ-
D demque ſtatim reparationem, didicit Propheta, audiuitque nomine totius populi Dominum dicentem: *Nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſraël: ait Dominus: ecce, ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.* Ita remittit nos Reſponſio ad cæmeterium, vbi diſcamus quod ſcitu eſt opus, quoad pulchritudinē, robur, & corporis ornatum; quoad elegantiam, & eloquentiā, & ſimilia eò ſpectantia; temporanea, fragilia, momentanea, vana, periculorum pleniſſima, in quibus mundani homines tantum momenti ponunt. Ibi ſiquidem videre eſt, quid de his omnibus ſit ſentiendum. Nam, quid omnes aliud ſumus, quàm quod etiam Iſaias Propheta dicit: *Teſta de Samiis terræ? Nunquid dicet lutum figulo ſuo: Quid facis?* Quod & Apoſtolus in hæc verba: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?* Ecce hoc in cœmeterio diſcimus, quod in domo figuli: nos lutum & limum terræ eſſe, formam autem teſteam & figlinam eſſe, neque in ea gloriandum. Non ineptè hîc ſubiiciam Agathoclis exemplum: qui cùm eſſet Syracuſarum rex, nunqam ſine fictilibus (memor paternę obſcuritatis, quòd figulo patre genitus fuerat) cœnauit: adeò quidem, vt inter vaſa aurea, figlina ſemper admiſerit. Tametſi is alioqui non eſſet ex optimis, in eo tamen multorum Chriſtianorum confudit ſuperbiā, quòd tenuis vilisque fortunæ parentes nō modò non erubuit, ſed etiā aſſidua recordatione honorauit.

Hierem. 18. Ad domū figuli: ad cœmeterium. *Iſaiæ 45.* *Rom. 9.* *Alexander ab Alexād. lib. 5. ca. 21.*

Quis nobis det, vt terreſtris huius figmenti conſideratione, ad ſublimem illam ſcientiæ claritatis Dei illuminationem veniamus, qua theſauri cæleſtis eximiam præſtantiam cognoſcamus, de quo Apoſtolus: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*; terreſtris huius corpuſculi vilitatem intelligens. *2. Cor. 4.*

Oratio pro contemtu carnis corruptibilis.

Caro iſta corruptibilis, Domine Deus, magni ſemper fieri deſiderat, & dominari ſpiritui concupiſcit: ita, quæſo, mihi memoriam mortis imprimito, vt omnis mundi voluptas tædio mihi ſit, & in te ſolo gloriari ſufficiat. Amen.

CAP. LXXXII.

Quis docet hic Mundi fastus calcare superbos?
Putria humatorum graueolentibus ossa sepulchris.

Coemeterium, schola publica.

QVEMADMODVM eum communiter locum scholam nuncupamus, in quo ex professo aliquid docetur, & discitur: ita communi etiã vocabulo lectio id omne vocari potest, quod traditur discendum. Cùm igitur ad cœmiterium A præcedentis Capitis indicio mittamur, vt raram hanc, vtilem, ac sublimem lectionem & Philosophiã neglectus formæ ac mundani ornatus addiscamus, potest meritò cœmeteriũ schola appellari, vnde & cõsequens est, quempiã ibi ludum aperire; qui doceat superbos mundi fastus calcare. Quæritur itaque, quis ille sit? Respondetur, Ossa pu- B tria mortuorum, & sepulchra patentia ac fœtentia. Quàm est schola mirabilis, tam est mirabilis ludimagister, tam & lectio admiranda. Contrarium planè quàm mundus docet, docet hæc schola cœmeterij. Quidquid enim magni facere, laudare, & amare solet mundus; hîc illud vile, & vanum, & nihil prorsus esse, ad oculum videmus,

Ossa, & sepulchra, præceptores nostri.

In silentio discẽdum.

Eamus igitur ad scholam hanc communem, & in primis modum discendi discamus. Iam antea, Cap. XLVI. audiuimus quinquenna- C le Pythagoricorum silentium, cùm primùm inciperẽt, vt silentio meliùs loqui tandem discerent. In hac etiam mortalium schola, primùm silentio opus est, & tacita inspectione: nõ solùm ad postea prudentiùs loquendum, sed etiam ad attentiùs expendendum, & de his omnibus rectiùs iudicandum, meliusque viuendum. Legimus, amicos Iob ve- D nisse ex condicto, vt visitarent eum, & consolarentur. *Cumq; eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt; scissisq; vestibus, sparserunt puluerem super caput suum, in cælum. Et sederunt cum eo in terra, septem diebus, & septem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Quid videtur? nónne maiori ra- E tione, nos hæc & plura facere conueniat, in hoc publico gymnasio, secus sepulchra & ossa mortuorũ desidentes, præsertim vbi illa in aceruum, circum Christi crucifixi effigiem, certo ordine congesta sunt? Ibi namque rem maiori admiratione dignam videre est; maior ibi doloris occasio, maior horroris & silentij causa. Maior enim cogitandi, obstupescendi, flendi, ingemiscendique ratio apud mortuum, quàm aud ęgrotum, adhuc tamen viuentem. multo adhuc maior causa talium affectuum prodendorum, sentiendique internam animi commotionem, iuxta ossa arida, horroris plena, semesumq; cadauer. Quis, si aliter liceat, præsentiam tam inaspectabilis rei patiatur? Videmus in vsu

Iob 2. Amici Iob septem diebus silentes iuxta eum sederunt.

Horror ex cadauerũ adspectu.



Quis docet hîc Mundi faſtus calcare ſuperbos?
Putria humatorum graueolentibus oſſa ſepulchris.

Wel toch! Wat ſchole is daer; tot ſwerelds groot verkleenen?
Der grauen ſtanck, en vaer; en de dorre dootſbeenen.

Qui en ceſte eſcole / Monſtre le friuole / Du Monde evanté?
La relante foſſe / Pleine d'os ſe goſſe / De ſa Vanité.

vſu eſſe apud mortales,vt defunctorum etiam amiciſſimorum cadauera non diu domi retineantur, ſed primo quoque tempore congruo mandari terræ curentur. Immò,quò moræ impatientia honeſtiùs pallietur, Dicitur communiter ab amicis : Defunctus humum poſtulat : hoc eſt, tempus eſt vt ſepulturæ tradatur.Sed in rei veritate,viuentes tædet præſentię funeris.

At,quid hoc ſpectaculi eſſe dicemus,meritò cum ſilentio attendendum,quando ex arroſo iam cadauere , non communes modò vermes ex ipſius carnis corruptione prorepunt , qui & reliqua corporis parte paſcuntur ; verùm etiam cùm inſuper ex cerebro bufo, & ex medulla ſpinæ coluber vel ſerpens,vt creditur, enaſcatur? Quem tunc luberet tale cadauer vel amplecti,vel exoſculari ? Horrori ferè eſt , vel ſolum cranium , aridum , & expurgatum, ſi quando inopinatò conſpicitur ; vel aliud mortui membrum : quid dicemus de attactu ? Sine dubio, res magni motus & affectus eſt,ſeriò, & debita cum animaduerſione ad cœmeterium accedere , vitæ mortiſque memoriam recolere : oſſa defunctorum in ſpeculum ritè comparata expoſitaque contemplari; & cogitare,quid modò ſimus, quidque paulò pòſt futuri. Putredo & vermes.

At conſuetudine & aſſiduitate tam patheticum vileſcit ſpectaculum. Eſt tamen tremenda ſchola hęc, magiſtri admirabiles,multa docentes, licet ſilentes. Hæc eſt lectio quam viuis ingeminant mortui: *Memento homo, quia puluis es ; & in puluerem reuerteris*. Quid amplius ? *Memor eſto iudicij mei:ſic enim erit & tuum.Mihi heri, & tibi hodie*. Quemadmodum etiam interdum iuxta mortuorum oſſa ſcriptum legitur: Hodie mihi, cras tibi . Audiamus & aliam huius ſcholæ lectionem: *Gloria hominis , ſtercus & vermis eſt. Hodie extollitur, & cras non inuenietur*. F *Geneſ.3.* *Eccli.28.* 1.Mach.2.

Hunc ludum frequentate, his ſtudiis operam nauate, hos libros euoluite & reuoluite. Hîc illud in mentem manumque veniat, quod diuo Auguſtino ſub cõuerſionem cęlitus inſonabat, eique cauſa mutandæ in melius vitæ fuit : Tolle,lege : tolle,lege . Statimque (inquit ipſe) mutato vultu, intentiſſimus cogitare cœpi, vtrúmnam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale quid ; nec occurrebat omnino, audiuiſſe me vſpiam. Dei ſiquidem vox erat. Et quiſnam ludus hic nobis videtur ? quæ illa vox, quam oſſa arida proloquuntur? Certè attentiſſima cogitatione diſquirenda eſt . Hæc eſt verè ſumma Philoſophia, mortis meditatio, artem tradens quæ omnes artes ſuperat,benè ſcilicet viuendi, & moriendi benè. Immò quæ & eam tradit artem,de qua communiter dicitur : Artis eſt viuere,dum mors irruit. Nam per frequentem mortis meditationem , harumque lectionum obſeruationem,venitur per mortem ad vitam æternam : adeò vt tum primùm vera vita inchoetur,quando iſta per mortem finitur. *Auguſt. Conf.lib* 8. *cap.12* Tolle,lege. Mortis meditatio ſumma Philoſophia.

Agedum igitur , lectioni noſtrę inuigilemus , librum patentem, ipſumque

Ex ossium aridorum considera- tione, meditatio vanitatis.

ipsumque præceptorem intentis oculis animisque contemplemur, vt doctiores tandem melioresque euadamus. Nunc mihi parumper in illum congestum ossium aceruum coniicito lumina, euolue folia singula, scrutare, percurre omnia, nihil non excussum ad vnguem prætergrediare. Dicito itaque: quis ibi omnium fuit pulcherrimus, nobilissimus, maximè redolés, ornatissimus, & iucundissimus? Vbi nunc mellitum os, labra rosea, genæ rubentes, salaces oculi, crispantes capilli? vbi nunc gemmæ, vniones, inaures, monilia, catenæ, coronę? Quò abiit linguæ facundia, vox sonora, subtilia supercilia, totiusque corporis venustas? Quò euanuit vanitas illa omnis, quę in tanto erat pretio, quæ tam chara multis illorum erat dum viuerent, ac si mortales non fuissent. Dic iam, quęso, si potis es, quænam ex omnibus hîc congestis cadaueribus illæ fuêre, quæ tanti suæ formæ cultum fecerunt, ac si Veneres, Iunones, & similes deæ diabolicæ fuissent? Quænam illę inter ista cadauera, quæ tam pompaticè vel basilicè incesserunt, vt platearum laxitas angusta eis esset præ fastu? Volue, euolue, reuolue singula: vnúmne ex omnibus nosti ossibus? Immò & ipsa, si lubet, cadauera alloquitor, & interroga: Quid modò omnia? Nihil. Quid prosunt somnia omnia? Nihil. Quid remansit ex omnibus vanitatibus? Nihil. Quantum differt diues à paupere? Nihil. Superbus ab humili? Nihil. Nisi quòd amatores vanitatum grauiùs sint in anima & corpore luituri. Ita apud D. Ioannem vocem de cælo clamantem audimus: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date ei tormentum & luctum.*

Apoc. 18.

Lectio scholę cœmeterij: moriendú.

Lectio igitur nostra in schola cœmeterij est, cogitare, esse moriendum; sicque viuendum, vt detur benè mori. Non esse etiam tanti faciendam corporis huius mortalis curam; nimis carè compensandam operam, stultumque illum laborem, quem quis in pulchritudinis ac formæ cultum impenderit. Non tam cogitandum quid modò lubeat, arrideat, afficiatque, vt propterea sensualitati inseruiatur: sed expendendum quid in morte, & post eam sit, quoad corpus & quoad animam futurum.

Fructus huius speculationis.

Ergo, scholæ tam rarę compendio doctior factus, eam Deo adiuuante corporis curam suscipiam, eamque rationem seruabo, vt tale mihi corpus placeat, quale mihi à Deo omnium conditore concessum est, siue pulchrum, siue deforme: eique id quo opus habuerit, prudenter ac moderatè impertiar. Eritq; maior mihi cura ornandę virtutibus animæ, quàm corporis excolendi: vt imago Dei illi impressa, pura sit semper & lucida: vt ab ipso in die illa treméda nõ reiiciar, sed agnitus cũ Sãctis intromittar in gloriã. Hic mihi esto huius lectionis fructus.

Quando attendimus quid quantumque aliquando laboris impendatur, ad temporaneas & vanas scientias acquirendas, quid nõ facturi sumus

ſumus ad hoc addiſcendum, cui totum vitæ tempus conceſſum eſt? Marcus Imperator in platea à Lucio obuio rogatus, quò iret, & cuius rei gratiâ? Reſpondit: Honeſtum eſt ſeni diſcere: Eo, inquit, ad Sextum Philoſophum, vt diſcam quæ non ſcio. O Iupiter! (inquit Lucius) iam ſenex tabellam geſtans puerorum more commeat in ludum; quũ noſter rex Alexander, triginta duos annos natus, vita defunctus ſit. Ita meritò Chriſtiani omnes, ſed in primis (qui vt dicitur) ſepulchro imminent, ſibi perſuadere deberent, ſe ad ludum ſeu ſcholam ire, quandocunque ad templum ſeu cœmeterium vadunt: quia honeſtum non ſolùm, ſed neceſſum eſt omnibus diſcere rectè mori; & priùs benè viuere. *Philoſtratus.* Semper diſcendũ.

Dictum celebre Saluij Iuliani, tum exima iuris cognitione, tum multorum Principum amicitiâ clari: Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc addiſcere vellem. Socrates, qui Delphico Oraculo omnium ſapientiſſimus iudicatus eſt, quum iam grandior natu eſſet, non tamen erubuit, inter pueros ſedens, fidibus canere. Cumque ob id derideretur; dixit, abſurdum non eſſe, quæ quis neſciret, ea diſcere velle. Ita nec pudori eſſe deberet parentibus, aliiſve adultioribus, à pueris Catechiſmum addiſcere, quem ipſi ſua ætate non didicerunt. Vt neque Pſalterium decachordum pulſare, hoc eſt Decalogi præcepta viuendo ritè decurrere: ſicut D. Auguſtinus loquitur. *In Pandect. L. 4. tit. de Fid. i Com- miſſ. L. apud Iul.*

Vtinam ad mortis certitudinem ſeriò cogitandam S. Helij Epiſcopi Lugdunenſis hiſtoria nos permoueat! qui defunctus, cùm ſepultus eſſet à Fidelibus; nocte ſequenti veniens quidam paganus, lapidem qui ſarcophagum tegebat reuoluit, erectumque contra ſe corpus Sancti conatur ſpoliare. At ille extenſis lacertis conſtrictum ad ſe hominem fortiter amplexatur, & vſque manè populis expectantibus tanquam conſtipatum loris, ita miſerum brachiis detinebat. Igitur iudex loci violatorem ſepulchri iubet abſtrahi, ac legali pœnę ſententia condemnari: ſed non laxabatur à Sancto, niſi cùm iudex de vita reo danda promiſſionem feciſſet. Ita doceant mortui viuos, ſi quæ mortis ſunt, benè expendantur. *Gregor. Turonenſis De glor. Confeſſ. cap. 62.*

Oratio ad benè diſcendum mori.

IEſu Præceptor, qui vt nos manſuetudinem cordisq; humilitatem doceres, in hunc mundum veniſti: Doce nos, quæſumus, ita viuendo mori, vt cùm mors venerit, verè viuere incipiamus: quia niſi quis mortalem hanc vitam ſalutari mortis mediatione conſummârit, immortalis vitæ præmia non conſequetur. in nobis igitur tẽporaliter moriamur, vt in te viuamus æternùm. Amen.

CAP. LXXXIII.

Quid pretio despecta sui premit aurea sceptra? Mens cognata polo, Diuinæ mentis imago.

Error in æstimandis rebus.

NATVRA homo eius rei cupidus est, quæ ipsi optima & pulcherrima videtur, sed in ea diiudicanda & eligenda omnis consistit difficultas & error. Hinc fit, vt vnus hoc, alius aliud eligat & præferat; pro sua quisque prudentia, vel potiùs insipientia & sensuum propensione. Similes ferè sunt homines cæco, qui baculo suo ouum ferire conatur, sed tantum abest vt rem acu tangat, vt nec baculo crasso queat attingere. Ita in rectè iudicandis æstimandisque rebus, procul à scopo absunt plerique, vt cum Diogene qui tangi à talibus iaculatoribus nolit, ad scopum potiùs quàm vsquam alibi stare debeat; eò quòd nullus à telis illorum sit locus liberior, quàm ille ad quem tamen tela diriguntur. Tam sinistros rerum æstimatores limacibus, bufonibus, & conchis illis comparare liceat, quæ sordidis limosisq. locis gaudent, & interim ignorant quàm pretiosum intra se gestent vnionem vel lapidem, eumque quodammodo præ luto contemnunt. Audi de his D. Ambrosium: Osteris pretiosissimam margaritam natura infixit. Quæ difficilè apud reges inueniuntur, ea in littoribus quasi vilis iacent alga: & in saxis asperis, & cautibus colliguntur.

Laërtius lib. 6.

Res pretiosę in vilibus latentes rebus.

Ambrosius Hexæm. li. 5. cap. 11.

Ita homines sæculi amantes, quando ad diuitias, honores, aut eiusmodi aliquam mundi vanitatem perueniunt, sibi persuadent, se rem eximiam consecutos; iam demum se factos honorabiles. Et interim, etiamsi ad regiam fuissent dignitatem sublimati, rem tamen vnam penes se habent, quæ longè maioris pretij est & maiestatis. Quantæ simplicitatis & hebetudinis est, hoc ipsum de se ignorare? & (quod indignius est) nosse & nihil facere? Quídnam hoc est tanti pretij, tantæ dignitatis? Hoc modò interrogatur; quid sui pretio premat deprimatque etiam aurea sceptra, hoc est quæuis mundi Regna? Respondetur, animā ad Dei imaginem creatam, esse regnis omnibus pretiosiorem, plurisque æstimandam. Vis scire quanti pretij post Deum, qui summum bonum est, sit anima? Attende diaboli ad Christum verba, qui in tentatione ei proposita, omnia Regna mundi cum ipsorum gloria nihili faciebat, præ vna anima: si in eius esset facultate, iuxta præsumtuosum ipsius mendacium, omnia illa dare, & illis animam mercari. Istud tutiùs tamen Christi ipsius quàm diaboli calculo supputemus, & ęstimemus, sic dicentis: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem*

A

Anima omniū pretiosissima.

B

Matth. 4.

C

D

Matth. 16.



Quid pretio deſpecta ſui premit aurea ſceptra?
Mens cognata polo: Diuinæ Mentis imago.

Welck is den weerdtſten pandt; oock bouen alle Rycken?
De ſiele: van Godts handt ghemaeckt naer ſyns ghelycken.

La voute azurée / Qu'a elle enſerrée / De plus precieux?
L'ame, dont l'engeance / Tire a la ſemblance / Du grand Roy des cieux.

tationem pro anima sua? Ac si dicat: Siue animam venum quis exponat, & pro ea totum accipiat mundum; siue eam redemturus, pro illa totum mundum in lytrum expendat, inæquale indignumque commercium faciet, eò quòd nihil sit in toto mundo, quod animæ pretio conferatur. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro ea, quasi nihil despiciet eam*, inquit Sapiens. Deus solus, qui eam cōdidit & redemit, iustum eius nouit pondus & pretium: in eius manu æqua tantæ mercis est bilanx. Hinc diabolus ad Iob, nec ineptè: *Pellem pro pelle; & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Et apositè iterùm Sapiens? *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ.* Si totum mundum possideret, diuitiæ eius adhuc non essent tātæ, vt maiores esse non possint, sed animæ redemtio & possessio omnes superat gazas & thesauros. Quia Dei capax est, fontis omnium bonorum. Hinc D. Bernardus: Ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Pretium verò redemptionis animæ, eius quoque pretium adauget. Vnde idem Sanctus: Magna res est anima, quæ Christi sanguine redemta est. D. Augustinus vno ferè verbo de animæ excellentia dicit, quidquid dici poterat: Nihil inter omnia quæ Deus creauit, ipsi est animâ propinquius.

Cant. 8. *Iob. 2.* *Prou. 13.* *Bernard. super Ecce nos reliq. omnia.* *Bernardus Epist. 54.* *August. de quant. animæ.*

Norunt experiunturq; modò quanti sit valoris anima, qui pro eius contemtu æternas nunc luunt pœnas. Quanti nunc illas facerent, si tempus & ratio suppeterent! Sed distinguenda erant tempora, dum tempus erat. Neque enim frustrà à Deo ordinata sunt, vt tempus merendi, & mœrendi tempus; siue gratiæ & iustitiæ laboris & præmij, sibi inuicem succederent: quique priùs illud negligerent, in posteriori seriùs saperent, & æternùm frustrà lamentarentur.

Dicit idcirco rectè D. Chrysostomus: Animæ nobilitas quanta sit, nobis seriò cogitādum: ne quid ea indignum operemur: ne coinquinemus eam illicitis operibus: ne sub carnis seruitutem eam subiugemus: ne tam nobilem, tantaque dignitate sublimem, sic crudeliter & immisericorditer tractemus. At cura, amor, & æstimatio corporis, omnia ad se rapiunt, vt animæ solicitudini nihil sit reliquum. Portio animalis in homine prædominatur, facitque vt assiduò deorsum versus terram propendeat, resque terrenas expendat: cùm tamen ipsa Natura creationis modo nos contrarium doceat:

Chrysost. Homil. 12. super Genes.

Pronaq; cùm spectent animantia cetera terram:
Os homini sublime dedit; cælumq; tueri
Iußit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ouid. 1. Metam.

Meritò cum alio Poëta, licet etiam profano, exclamemus:

O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes!

Persius Sat. 2.

Indignum re vera, hominem, viliorem quàm Deus dederit naturam

ſibi adſciſcere. Longè aliter profectò rem ſuam inſtituunt, qui quanti pendenda ſit anima, ex rectæ rationis, vt iuſtæ trutinæ indicio cognouerunt. Atque ideò omnem erga eam & curam & laborem impendunt, immò & nullam corporis curam admittunt, niſi ad animæ ſalutem quoque conducat. Dicunt corpori cum D. Bernardo: Noli, ô corpus, noli præripere tempora: potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere vt nunc anima pro ſe laboret; magis etiam collabora: quoniam ſi compateris, & corregnabis. Quantum impedis, ô corpus, eius reparationem; tantum impedis tuam. Quòd nimirum antè reparari non poteris, donec ſuam in ea Deus videat imaginem reformatam. Nobilem hoſpitem habes, ô caro, nobilem valdè. Et tota ſalus tua pendet de eius ſalute. Da honorem, ô caro, hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina & exul, apud te eſt hoſpitata. Hactenus ex D. Bernardo.

Bernardus Serm. 6. Aduent. Ad corpus Apoſtrophe.

Quanti verò ſit hoſpitium animæ, hoc eſt corpus, ob dignitatem animæ, quæ illo continetur, ſubiecto exemplo clarius euadet. Alexander Magnus, poſt Darium prælio victum, adeptus ſcrinium in regia præda, ex auro & gemmis fabrefactum, ſciſcitans ab iis qui Perſicæ erant luxuriȩ non ignari, Ecquíſnã eſſet tam pretioſi vaſculi vſus? Vbi regia audiuit in eo vnguenta ſeruari ſolita: Quin, inquit, rei magis pretioſæ ſit poſthac cuſtos: ſitque non ampliùs μυροθήκιον, ſed mihi deinceps Ὁμηροθήκιον. atque ita Iliadem Homeri ipſi loculo incluſit. Quanto magis Chriſtianus animæ ſcrinium virtutibus ornatum, vſibus debitis, tanto pignori conſeruando ſemper aptum atq. idoneum reddere deberet? Non corpus voluptatibus ſuis permittendo, ſed ratione dignitatis theſauri pretioſi, quem, teſte Paulo, cõtinet (animȩ videlicet luce fidei & gratiis adornatæ) etiam honeſtè poſſidendo, eiuſque magnam curam ad ſalutem habendo. Si animæ verò ipſius nobilitatem, atq; indolis à Deo datæ prȩſtantiam aliquanto penitiùs obſeruaremus, quàm interdum & ſaluti propriæ, & Reipublicæ eximia emolumenta compararentur!

Plinius li. 7. ca. 29. Sabellicus lib. 2. cap. 7.

2. Cor 4. 1. Tim. 4.

Protagoras Abderites puer adhuc, & baiulando victum quæritans, Democrito conciui ſuo occurrit, faſcem caudicum aliorumq. lignorum incompoſitorum compoſitum & miro artificio colligatum geſtans; Democritus iuncturam, poſituram ſcitè periteq; factam, expeditumque pueri inceſſum, atq. ratione quadam geometrica omnia librari conſiderans; rogauit quis illa omnia ita colligaſſet. Cumq. ſe ligaſſe Protagoras diceret: deſiderauit vti diſſolueret, & iterum colligaret: quod vbi fecit puer: Mi adoleſcens, inquit Democritus, cùm ingenium benè faciendi habeas, ſunt maiora melioraque quȩ mecum facere poſſis. Abduxitq. eum, & eſſe eum fecit, quantus poſtea fuit.

Gellius lib. 5. cap. 3. Indolis eximiȩ indicium.

Quàm

Quàm præclari viri ita è triuiis colligerentur, ſi animæ præſtantia indicio aliquo ſe interdum per externam corporis ſpeciem prodens attentiùs conſideraretur!


Non abſimile huic eſt, quod Xenophonti Grylli filio legitur acci- diſſe. Hunc aliquādo in angiportu quodam Socrates habuit obuium: quumq́; videret adoleſcentem rara indole, porrecto baculo vetuit ne præteriret. Vbi conſtiterat, rogauit vbi fierent venderenturq́ue variæ merces, quibus vulgò vtuntur homines? ad id quum promtè reſpondiſſet Xenophon, percontatus eſt, vbi homines fierent boni? cùm adoleſcens reſpondiſſet, ſe id neſcire: Me igitur ſequere, inquit, vt hoc diſcas. Ex eo Xenophon cœpit eſſe Socratis auditor. Abſurdum eſt, ſcire vbi parare queas honeſtam veſtem, aut poculum; & ignorare vnde tibi comparare poſſis animum cultum. *Aliud exemplum indolis.* *Plutarchus in Xenophonte.*

Ex his omnibus videmus, quàm ſint varię rationes, ob quas animę pretium nobis magni eſt faciendum. Vt verè dixerit Seneca: Bona mens nec commodatur, nec emitur: & puto ſi venalis eſſet, non haberet emtorem. Ita ille. Et crederem ego quoque, quia non ſuppeteret pretium condignum. An meritò nobis debeat chariſſima eſſe anima, incendium ipſum doceat, ex quo prę omnibus illam erutam deſideraremus, in eo diſcrimine conſtituti. Sic enim olim Praxiteles, quódnam ex operibus quæ fecerat, eſſet ei chariſſimum, prodidit, quòd alioqui Phrynem celabat, cui pulcherrimum omnium quæ in officina habebat, promiſerat. Illa enim vt veritatem eliceret, ſeruum ſubornauit, qui Praxiteli in foro ſua vendenti diceret, domum ſuam maximo flagrare incendio, & pleraque iam incendio conſumta eſſe. Praxiteles igitur ſtatim interrogat, an Satyrus & Cupido ſupereſſet. Inde conſtitit quid omnium eſſet præſtantiſſimum. Ita haud dubiè cōſtat, animam eſſe pretioſiſſimam omnium, quia ſi nihil aliud, illam ſaltem cum Biante ex incendio ſeruaremus. Omnia dabit homo pro anima ſua; ergo pluris omnibus æſtimanda. *Seneca epiſt. 27.* E *Lycoſthen. Apopht.* Artificium ad pretium rei eliciendum. *Iob. 2.*

Oratio pro lucro & ſalute animarum.

QVanti ſit pretij anima, noſti tu optimè, Domine Ieſu, qui te pro animabus noſtris impendiſti: Da vt ſemper magis ac magis illud ipſum & ego cognoſcam, tum vt ne illam vel cum totius mundi lucro deperdam, tum vt illius ſalutem etiam cum mundi totius detrimento procurem. Amen.

CAP. LXXXVI.



Dic, homini quâ non clades damnosior vlla est?
Peccatum, excussis in quo sibi plaudit habenis.

Cùm noxia omnia naturaliter fugiantur: peccatum omnium nocentissimum non vitatur.

QVANDOQVIDEM non solùm homines, verùm etiam genus bestiarum vnúquodque, naturaliter fugiunt quę sibi nocere cognoscunt; mirum meritò videri debet, non meliùs nosci, neque aliter ab homine vitari, quod pessimum, eiq; maximè est noxium, peccatum scilicet; quæ certa ipsius pernicies. A
Contra morbos, incédium, iacturam bonorum, iniuriam, nominis ac B
famæ læsionem, & contra similes aduersitates & incommoda, studio- C
sissimè semper aduigilatur. Siqueingruant, totis viribus ingenij & D
corporis obsistitur: & si quem his non obstantibus occuparint; valdè illeab amicis deploratur. Contra id verò quod animæ incommodat E
maximè, nihil vigilatur, nihil adhibetur vt euitetur. Sique acciderit, parui etiam illud damni penditur, facilis iactura salutis. Hoc est quod D. Bernardus notauit & conquestus est: Cadit asinus, & est qui subleuet: perit anima, & non est qui recogitet.

Bernardus sup. Cantic.

Argumento est haud dubiè euidétissimo hæc tam crassa hominum oscitantia; oculos mentis nostræ per fœdam illam in Adamo ruinam miserando modo inuersos, & planè pręposteros factos esse; vt nigrum album, & malum bonum dicamus. Facti adeò sumus pueri non malitia, sed sensibus & intellectu; vt carbonem cádentem vel flammam candelæ, æquè facilè atque cerasa, rosas, aut poma arripiamus: æquè iucundè quod certam adferat mortem amplexemur, quàm quod vitę fouendæ sit oportunum. Adeò in peccatum etiá cum voluptate proruitur; vt perire sit volupe. Huc spectat, quod cæcutiens quidam animo, acutè satis attigit, inquiens: Facilis ad infernum via est; clausis enim oculis illuc itur. Immò nemo aliter, quàm clausis per peccatum animæ oculis, eò pertingit.

Bion apud Diog. li. 4.

Rem sanè pessimam peccatum esse necesse est; per quod homo, ad æternam beatitudinem conditus, & Christi morte ad eandem consequendam redemtus, à tanta felicitate excluditur. Rectè ideò dicit Sapiens: *Quid nequius, quàm quod excogitauit caro & sanguis?* Hoc est peccatum: quo homo vna eademq. vice omne bonú quod habeat, habet, & erat habiturus, amittit; cùm scilicet peccatú mortiferum est.

Eccli. 17.

Hoc & Sapiens breuiter innuit, dum ait: *Qui in vno peccat, multa bona perdet.* Multum procul dubio perdit, qui totum perdit. Tribus Dan, hoc est, de cognatione Dan armati sexcenti ad capiendam quandam ciuitatem accincti, domum quandam in via ingressi sunt; ex qua idolum

Eccls. 9.

Iudic. 18.



Dic: homini quâ non clades damnoſior vlla eſt?
Peccatum; excuſſis in quo ſibi plaudit habenis.

Welck is het quaetſte quaet; en dat meer ſchade inheeft?
Der ſonde booſe daet; daer-gh' ongheducht in leeft.

Dis moy, quelle peſte / Soit la plus funeſte / Et de plus d'effroy?
Du peché la tache / Au quel on ſe lache / Sans bride, et ſans loy.

ſum argenteum abſtulerunt; Michas herus domus eos inſequens, querens, & plorans, clamauit poſt eos: rogatusque: *Quid tibi vis? cur clamas?* reſpondit: *Deos meos quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia quæ habeo; & dicitis: quid tibi eſt?* Quid igitur faciet Chriſtianus; ſciens quotieſcunque mortaliter peccauerit, ſe amittere non Deum quem ipſe fecit; ſed qui ipſum, & omnia fecit? Videte an non habeat iuſtam lamentandi occaſionem, qui tantum bonum perdidit: quique ex ſumma quadam gloria in abyſſum miſeriarum delapſus eſt. Audiamus ſancti cuiuſdam viri iuſtum lamentum. Peccati damnum.

Aperi, aperi, anima miſerabilis, oculos tuos, & vide quid eras, & quod es: vbi eras, & vbi nunc es. Vxor eras & ſponſa Altiſſimi, templum Dei viuentis, vas electionis, lectus æterni Dei, thronus veri Salomonis, ſedes Sapientiæ, ſoror Angelorum, & hæres cælorum. Fuiſti hæc omnia; & quoties dico, fuiſti, neceſſe eſt te toties flere. Quæ eſt igitur tanta hæc mutatio? Sponſa Dei, facta eſt adultera ſatanæ. Templum Spiritus ſancti, verſum eſt in ſpeluncam latronum. vas electionis, in vas corruptionis. Lectus Chriſti, in cubile porcorum. Sedes Dei, in cathedram peſtilentiæ. ſoror Angelorum, in ſociam diabolorum. Et quæ vt columba volabas in cælum; nunc vt tortuoſus ſerpens per terram graderis. Plora igitur, plora, ô anima miſeranda & infelix; quandoquidem cæli, angeli, & omnes te deflent Sancti. Lacrymæ S. Pauli te deflent; quia peccaſti, nec feciſti pœnitentiam. Lacrymæ ſancti Petri te deflent; quia negaſti Dominum Deum tuum, & amarè non fleſti. Lacrymæ Prophetarum deplorant tuam calamitatem; quia iam deinceps vident in te declinantē iram & iuſtitiā Dei. Et amplius deflent te ruinoſi muri Hieruſalem: & lacrymæ Hieremiæ videntis de cælo cecidiſſe Iſrael, & filiam Sion perdidiſſe omnem ſuam pulchritudinem. Deplorant te lacrymæ Chriſti, ſponſi quondam tui; eò quòd non cognouiſti tempus viſitationis tuæ, neque modò miſeriam tuæ deſolationis. Apoſtrophe ad animam peccatricem.

Ex his ſimilibus, quæ quilibet iuxta hanc formam apud ſe commentari poteſt, facilè æſtimetur, quod peccato nulla ſit homini clades damnoſior. Dum enim per illud á Deo recedit, ab ipſo omne bonum decedit: & è contrà, vnus cum diabolo efficitur. Sic dicit Apoſtolus Ioannes: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat.* Et illa eſt diaboli deformitas; peccatum ſcilicet; adeò vt ob id pictores nunquam ſatis tetrum queant effingere. Hic fomes eſt & nutrimentum incendij Auernalis. Peccatum infernum conſtruxit & ſuſtinet. Adeò vt nihil magis ſit homini fugiendum peccato; vt cui nihil quoque ſit pernicioſius. *1. Ioan. 3.*

Notatu verè dignum, quàm Cicero, per infidelitatis ſuæ leuidenſam, peccati execrationem clarè perſpexerit, dum ait: Præter culpam & pec- *Cicero.*

Peccati malitia.

& peccatum, homini nihil poteſt accidere quod ſit horribile atq. pertimeſcendum. Quid dixiſſet, ſi Fidei lumine fuiſſet colluſtratus? Hac ſiquidem certò cognoſcimus, tãtum malum eſſe peccatum; vt, quemadmodum nemini, etiam in cælo, benè eſſet peccato vni obnoxio; ita homini à peccatis immuni, nec quidem inferni tormenta nocere queant, neque in medio ignis damnatorum eius cæleſtis gloriæ lætitiam imminuere. Quinimmò in terris adhuc conſtitutus, & à decem dæmonum millibus citra ſuam culpam poſſeſſus, non tam eſt deplorandus, quàm ſi in vnum peccatum mortale fuiſſet prolapſus. Præſertim verò quando in eo volens permaneret; &, quod additur in Reſponſione, quando in peccato, excuſſis habenis, ſibi plauderet. F

Deſcriptio peccatoris intrepidi.

Hîc tibi ante oculos peccatorem ſtatue, in peccatis citra vllum Dei timorem proruentem; quaſi curru triumphali vectum, cuius auriga diabolus ſit; & ſeptem peccata mortalia, vt ſeptem animalia rhedam G trahentia: quo apparatu, magna cum animi voluptate & alacritate in tartari ſpecum præcipitat. Hæc ars & fraus diaboli, fœditatem pecca- H ti ac perniciem blandè pallіantis: hoc initium ſtatus damnatorum, quorum deſperata correctio eſt. Hæc noſtra nequitia infirmitate primùm ad peccatum viam faciens, & tunc etiam obdurans animum data opera, & praua voluntate. Hæc noſtra miſeria. Hæc peſſima plaga noſtra, iactura maxima, maxima idcirco ſolicitudine præcauenda. Qui peccatum fugit, omne ſimul fugit malum.

Quàm malè conſultum eſt igitur illis, qui volentes ſcienteſque in tam damnabili permanent ſtatu, & in eodem ad mortem vadunt! Et quàm laudabiles illi, qui quoquo modo pretioſam animam, & ſuam & alterius, vt poſſunt ex hoc laqueo eruunt! Hîc referam mirabile exemplum, quod ex Sophronio ſic refert Ill. Card. Baronius. Alexandriæ ſub Paulo Patriarcha Alexandrino, puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc ſine baptiſmo. Die quadam ingreſſa promarium, vidit quendam parantem ſibi laqueum. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis homo? Dimitte me, mulier, inquit ille, quoniam in multa tribulatione ſum. Quæ ait: Dic mihi cauſam, & fortè adiuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valdè ſuffocor à creditoribus; elegiq. potiùs ſemel vitam finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæſo te accipe omnia quæ habeo & redde: tantùm, ne perdas teipſum. Sumens verò ille, reddidit omnia. Puella autem anguſtiari cœpit, non habens qui ſui curam gereret. Itaque fornicari inſtituit, & inde ſibi victum quærere. Poſt aliquantum verò temporis infirmata eſt puella: baptiſmum poſtulauit: at quia meretrix erat, deerat qui eam ſuſciperet & pro ea ſponderet. Cumque in his eſſet anguſtiis, adſtitit ei angelus, in ſpecie hominis illius, cum quo ipſa miſericordiam fecerat. Ille eam conſo-

Anno 537. *Cæſar Baronius, Ex Sophronio pratum Spirit. ca. 207.*

Puella viri ſuſpēdium impediens ex charitate.

consolatus est, adduxitq; duos alios angelos, duxeruntq. illam ad Ecclesiam. Seq. trãsformantes in personas quasdam illustres & notas in ordine Augustalium, vocãt clericos. Rogantur à presbytero: Vellént-ne pro illa polliceri: dixerunt; Etiam: nos pro illa pollicemur. Baptizata est, & albis induta, rursus ab eis subuecta est: quam cùm suo loco restituissent, euanuerunt. Vicini admirantes præ rei nouitate, Episcopo nunciarunt: Episcopus Clericos rogauit: accersiti nobiles Prętoriani, qui eam visi erant in baptismo suscipere, rogatíque dixerunt, se facti eius non esse conscios. Cogitãs itaque Episcopus, Dei hoc opus esse: Puellam examinauit. Opus illud misericordiæ in virum desperabundum olim impensum cum tota vita, intellexit ex illa: iisque dictis puella continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Deum, dixit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Tanti refert peccatum fugisse, & in aliis impediuisse.

Deformitas animæ quam contrahit ex peccato, nunquã satis possit explicari; vt neque eiusdem pulchritudo, quando à peccati labe eam cõtigerit expurgari. Quod quia sub adspectũ minimè cadit, quantum licet, mirabili quodã exemplo elucidemus. Anno 1298. Rex Tartarorũ Cassanus cum ducẽtis equitum millibus Syriã cepit, & finitimas regiones: omnibus itaq. formidandus petiit sibi vxorẽ filiam Regis Armeniæ, quòd audisset esse pulcherrimam. Rex Christianus tanti regis viribus exterritus dedit. Illa post aliquod tempus è viro suo Cassano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt rex maritus nullo modo illum veluti suũ voluerit agnoscere; quòd monstrum videretur. Vocat ad consilium Primarios; de ipsorum sententia vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum vltimo supplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem suam deplorans, ad preces confugit; ignara consilij petiit, vt sibi liceret baptizare quem peperisset. Data illi facultas: ita tamen, vt adessent baptismo aliqui fidei spectatę viri vnà cum rege, ne qua fraus fieret. Mira res; vbi baptizatus est puer, adeò venustus ac formosus apparuit, vt rex tanta re permotus, cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum rei Christianæ factum fuerit incrementum.

Ioannes Villaneus lib. 8. cap. 35.

Oratio contra peccati perniciem & damnum.

PEccati damnum, Domine, inæstimabile est, quia nos anima priuat & corpore; & hereditate cælesti destitutos, æternæ damnationi reddit obnoxios: Illumina igitur oculos mentis nostræ, vt tam pestiferã luem valeamus dignoscere, & morte ac inferno peiùs studeamus euitare. Amen.

CAP. LXXXV.

Quid fixum firmumq́. ſemel mortalibus hæret?
Stat ſua cuique dies,& ineluctabile fatum.

Euentuum incertitudo affligit.

INCERTITVDO rerum euenturarum, anxietatem & inquietudinem in animo hominis generat; propter dubiam illam expectationem, tum rei inuiſæ quę timetur, tum amarę quę optatur. Quando boni quidpiam ſperatur; certum eſt, gratius eſſe homini, ſi nihil ſit quod dubitet de euentu. Quando verò aliquid aduerſi timetur, etiam meliùs ſe habet homo, ſi certò idipſum præſciat. Poteſt enim ſe in illum euentum præmunire, & paratior aduentans malum excipere. Iuxta illud: Iacula præuiſa minùs feriunt.


Gregor. Homil. 25.

A Inter omnia quæ homini expectanda ſunt, certiſſimum eſt, ſemel mori oportere; ſecundùm ſummi Domini decretum: *Statutum eſt hominibus, ſemel mori.* Mox vt Adam peccauerat; lex in illum illiusq́ue poſteros lata eſt, velut ſententia mortis, qua neceſſariò vnicuiq; mortali ſemel incumbit mori. Adeò vt ex illo tẽpore, quàm certus eſt aliquis ſe natum eſſe, tam certus ſit etiam ſe aliquando moriturum. Hoc eſt quod Pſalmiſta dicit: *Quis eſt homo, qui viuit, & non videbit mortem?* B ac ſi dicat: Omnis homo viuens eſt mortalis. Cumq́ue certus eſt ſe viuere; certus eſt etiam, morte ſibi occumbendum. Iſtud docemur ipſo quotidiano morientium vſu. Iuxta illud Regum: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram.* C Ita præcedunt hi, ſequuntur alij: naſcuntur quotidie homines,& moriuntur. Neq. quemquam mors excipit: quia vna eſt omnium ſententia. Vnde benè Poëta: Pallida mors æquo D pulſat pede pauperum tabernas Regumq́ue turres. Vna, vt ita dicam, falce omnes demetit. Dicit propterea benè Reſponſio: ineluctabilem E eſſe mortem. Neque contra eam valet Salomonis ſapientia & gloria, neque Samſonis fortitudo, neque omnium Sanctorum ſanctimonia eos à mortis aculeo reddit immunes: neq. ſubtilitas Philoſophorum, nec Tyrannorum ſæuitia aut violentia, neque omnis mundi amicitia aut opulentia. Horum nihil moratur mors: quia iure in omnes accepto, erga ſingulos vtitur ex æquo.

Hebr. 9. Mortis certitudo. — *Pſal. 88.* — *2. Reg. 14.* — *Horat. lib. 1. Carm.*

Mirũ, mortales mortem meditari tam parum.

Cùm morte igitur nihil ſit certius, meliuſque ſe ſoleat etiam contra præuiſa mala munire mortalis, nunquid mirum eſt, homines tam parum hoc clypeo recordationis & præuiſionis vti? Videmus interdum quoſdam morientes cum magna animi conflictatione & anguſtia: ad tempus mouemur turbamurq́ue: ſed vix tantillum durat, quantum circa funus & ſepulturam occupamur. Et ſtatim indulgetur genio ſuper defuncto; gaudetur, ridetur,& cõceptus ille ad momentum dolor ac mo-



Quid fixum firmumq; ſemel mortalibus heret?
Stat ſua cuique dies: et ineluctabile fatum.

Wat ſtaet elck menſch ter noodt, ſekerlyck te gheſchieden?
Dat hy die bitter doodt, gheenſins en mach ontvlieden.

Quel eſt l'axiome, Si certain, que l'homme, N'en puiſſe douter?
La mort a ſon heure, C'eſt choſe treſſeure, Te viendra donter.

ac motus hausto liberaliùs mero detergitur, & frons exporrigitur. Ast vnde hæc tam admiranda stupiditas? Ratio est ista. Nouit inimicus noster diabolus præstantiam efficaciamque viuæ mortis memoriæ; quæ etiam sola ad conuertendas peccatorum animas sufficiat, si menti infigatur. Ideoque ita corda sensusque nostros inuoluit & implicat, vt in morte alterius vix semel cogitemus nostras quoque aliquando futuras vices: & fortè cras, vel ipsa etiam hora. Quis enim sibi crastinum polliceatur? Hæc praxis diaboli, memoriam mortis semper ab oculis mentis nostræ amolientis.

Optimo idcirco consilio Ecclesia in capite Ieiunij, hoc est, prima Quadragesimæ die, vnumquemque Fidelem suæ conditionis memorem facit; & per mortis recordationem ad veram conatur humilitatem peccatorumque pœnitentiam adducere. Ea de causa, non solùm hæc cuique verba salutaria commemorat: Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris: quæ Deus ipse primo nostro parenti, lata mortis sententia, inculcabat: verùm etiam cineres in frontem cuiusque per crucis figuram imprimit, vnde & dies ille Dies cinerum nuncupatur. Superbo siquidem homini nihil salubrius, ad tumorem illum animi deprimendum, quàm vt ei in faciem coram multitudine impingatur, quòd terra sit & lutum; & quòd in puluerem sit iterum reuersurus. Iuxta Sapientis dictum: *Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertentur.* Ideò, tametsi quis robore sit robustior, vel turri sublimior, mortalis est, caducus, & fragilis, nec cum vitro conferendus. Rectè ob id D. Augustinus: Nónne fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus? vitrum enim, etsi fragile est, tamen seruatū diu durat. Homo autem non potest se, & quidē omni cura seruando, contra mortē tueri.

Cinerum vsus in principio Quadragesimę, quid innuat?

Genes. 3.

Eccli. 40.

Augustin. in Serm.

Meritò cum Gorgia illo Epirota mortalem nostram natiuitatem, veluti certissimā mortis tesserā, semper animo voluamus. Is siquidem in funere matris suæ vtero elapsus, inopinato vagitu lectum ferentes consistere coegit: sicq. non tantū ex ipso mortuæ genetricis rogo lucē, sed etiam cunas assecutus est. Ita quid aliud ęquè certū ex ortus nostri primordiis habemus, quàm certo certiùs nobis etiam esse moriēdum?

Valerius Max. lib. 1. cap. 8.

Oratio pro felici mortis hora.

QVandoquidem, Domine Deus, ita à tua diuina maiestate statutum est, vt omnibus semel certò sit moriendum: Da nobis gratiam ita actus nostros totamq; vitam disponendi; vt paratos mors semper inueniat; eademq; nobis & vitæ sit huius nouissimum, & æternæ gloriæ efficiatur introitus, & principium. Amen.

CAP. LXXXVI.

Quæ bona, dum viuam, potiora capessere suades?
Quorum vota tibi extremâ mors exprimet horâ.

Ad debitũ finem benè collimandum, non intermediis inhærendum.

SI iaculator, dum arcu intenso telum est emissurus, telum A
tantùm vel arcum ipsum inspiceret; aut, quod absurdius est, si annulos digitorum suorum, bombycinas manicas, vel similia fixis oculis contemplaretur, quò eum voluptas traheret; neque aciem in scopum dirigeret, vel in auem, vel quodcunque decreuisset tangere; diu iacularetur, priùs quàm scopum, vel auem, rémve aliam destinatam feriret. Ita, quando oculi in res caducas huius mundi semper defixi sunt; neque collimatur ad finem creationis tum nostræ, tum rerum omnium; neque eò omnia diriguntur, quò tamen peruenire optamus; fallimur frustramurque nostra expectatione, quando eò venitur. Perinde quoque faciunt negligentes actuum B
suorum ad præstitutum finem destinatores, atque si viator aliquò profecturus prodeat, portâ ciuitatis exeat, iter conficiat, neque semel terminum, quò tendit, mente recogitet, vt sua omnia secũdùm rei necessitatem disponat: sed tunc tantùm perpendat, quò eundum sibi erat, quando iam magnam partem viæ in incertum confecit. Vel perinde, ac si cogitarit quidem de termino ad quem properandum est; sed in itinere se quacunque oblata occasione sinat retineri. Adeò vt hîc eum pocula, illic tripudia, ibi pugnæ, alibi nugæ à profectu remorentur: dumque cadentibus vmbris nox videtur ingruere; tum se videat procul abesse à loco quò pergebat, & tempus deficere; seque aliter debuisse optatæ metæ, etiam in via, esse memorem; neque ita pro voluptate sua vbiuis locorum tergiuersari.

Id nunc agendum, quod in morte actũ optabimus.

Vita, via ad patriam.

Si iam igitur, durante vitæ huius cursu & via; præsertim in iuuentu- C
te (quæ instar floris breui fortè decerpenda est) seriò expenderemus quò tẽdamus; an iter rectum eò teneamus; quid tum maximè simus optaturi nos fecisse, quando iam serius erit, quàm vt quidquam facere liceat: credo maiorem fore omnium rerum moderationem; maiorem timorem Dei; vitamque meliùs cum præceptis Dei congruentem; & cælestem prorsus in terris conuersationem. Omnes enim cogitatus, sermones, & actus cum fine, hoc est, cum æternæ beatitudinis expectatione conuenirent; tanquam cum scopo vel termino ad quem omnia diriguntur. Id ita extrema vitæ hora fecisse nos exoptabimus: cur igitur non ea modò capessamus?

Respice finem.

At (quod deplorandum est) nunc vita multorum cum porcorum vita communis est. Ita editur, bibitur, dormitur, & in sordibus grunnitur



Quæ bona, dum viuam, potiora capeſſere ſuades?
Quorum vota tibi extremâ mors exprimet horâ.

Wat moeſtmen, om wel doen, nu meeſt ſien te verweruen?
Daermen meeſt, onverhoen, om wenſcht alſt comt te ſteruen.

Que doy-ie en ma vie, De plus grand' enuie, Soigner d'acquerir?
Aime la conqueſte, Que plus lon ſouhaite, Au point de mourir.

nitur, gaudeturq; adeò etiam in malis, vt ne ſemel de morte, morientisque hominis ſtatu cogitetur. Sic nec porci de morte recogitant, niſi dum ferro iugulus petitur. Tunc tanto turbulentiùs reluctãtur cla-
D mantque miſerabiliùs, quanto priùs vixere ſecuriùs. De talibus apud Iob appoſitè: *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos; & in puncto ad inferna deſcendunt.* Iob.21.

E Quocirca, vt aduigilaremus, ſemperque finem noſtrum quaſi præſentem ante oculos haberemus; quàm certò nobis à Deo ſtatutum eſt ſemel mori, tam incertum eſſe voluit, quomodo, vbi, vel quãdo ſimus morituri. Hinc D.Bernardus: Quid in rebus humanis certius eſt morte? quid incertius hora mortis reperitur? Rationem quam antè attigimus reddit diuus Auguſtinus, huius diuini cõſilij tam ſecreti: Latet, inquit, vltimus dies; vt obſeruentur omnes dies. Sic enim & ipſe Dominus nos docuit, non ſolùm per parabolam fidelium ſeruorum, *quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes, ſiue in ſecunda vigilia, ſiue in*
F *tertia venerit; beati ſunt*, inquit, *ſerui illi:* verùm etiam per parabolam prudentis patris familias, qui *ſi ſciret qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Quo ſignificat, certò quidem ſcire illum patrem familias venturum furem (ecce mortis certitudinem) ſed incertum qua hora venturus ſit (ecce incertum mortis tempus) ideoq; tota nocte vigilare: (ecce totius vitæ noſtræ vt noctis peruigilium, & inſomnem curam.) Ita & Dominus has parabolas tali commonitione concludit: *Et vos eſtote parati: quia qua hora non putatis fi-*
G *lius hominis veniet.* Vt & Apoſtolus Paulus dicit: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Adeò vt propriũ Chriſtianorum dictũ meritò eſſe poſſit: *Vigilate.*

Bernard.in Serm. — Auguſt. in Epiſt. — Luc.12. — 1.Theſſ.5.

Peruigil porrò cogitatio mortis, rectè beateque viuendi curam ingenerat, paritque tranquillam mortis exſpectationem. Idcirco nec S.Hilarionem latrones cum armis circumſiſtentes terrere potuerunt. Cumque intrepidum permanere mirarentur, nunquid necem non timeret, interrogant: Necem non timet, inquit, qui paratus eſt mori. D.Hieron. in vita.S. Hilar.

Oratio ad prouidè viuendum.

Tota vita tua, miſericordiſsime Ieſu, vſque ad mortis tuæ ſtratum (Crucem inquam) omnium noſtrûm ſitiuiſti ſalutem; quò ſciamus, & nobis eam maximè cordi eſſe debere: Ita nos, quæſo, in tuo timore & amore fac eſſe conſtantes; vt nunquam aliter viuere lubeat, quàm mori velimus. Amen.

CAP. LXXXVII.

Qualiter hîc caſſis onerabimus æthera votis?
O pietas mihi culta foret! ſcelus omne peroſum!

Omnes ad optandum proni ſumus.

NATVRA procliuis eſt homo ad optandum nunc hoc, nunc illud, prout cuiuſque fert animus: ſicuti in nobis quotidie experimur. Verùm, quemadmodũ parum admodum optando proficitur, etiã in rebus quę obtineri poſſunt; ita planè ſuperuacaneum eſt optare, & votis velle cõſequi, quod vel præteriit, vel aſſequi nequeas. Hoc eſt cum ſtultis ſapere: qui nunquam tempori, ſed cum Phrygibus ſerò ſemper ſapere ſolent; vnde Adagium in eiuſmodi omnes retorquetur: Serò ſapiunt Phryges. Id lepide & acutè Barlaam cum Ioſaphat diſſerens, ſub philomelæ parabola docebat: ſicut Ioannes Damaſcenus deſcribit. Illa ſiquidem ſplendidis promiſſis è manibus dimiſſa, ſuum hominem carpebat, quòd data tria conſilia nõ ſeruaret: quorum vnum erat; ne vnquam doleret de re perdita, quam recuperare non poſſet: & iam philomelam dimiſſam dolebat.

Io. Damaſc. Hiſt. Barlaã & Ioſaphat, cap. 10.


Quandoquidem verò maximæ eſt ſapientiæ, vt ſecundo Capite dictum eſt, rectè agere, ſiue ſectari quod bonum eſt: intolerabilem oportet eſſe negligentiam & incuriam, iſtud ſuo tempore & maturè non expendiſſe. Rogatur eam ob rem, qualiter in morte caſſis votis æther oneretur: hoc eſt, quid tum potiſſimùm ſerò ſapientes moribundi optent velintque ſeſe feciſſe, dum adhuc incolumes eſſent. A

Inania, quia ſera, morientiũ vota in plurimis.

Reſpondetur ex perſona mortem irruentem ſentientis: O ſi mihi culta foret pietas! O ſi mihi ſcelus omne fuiſſet peroſum! vtinam vixiſſem melius! Vtinam nunquam peccatis me ſic coinquinaſſem! Vtinam priſtina liceret modò errata corrigere! O mihi præteritos referat Deus optimus annos! Multa & varia cogitat & optat ægrotus morti proximus; ſed quæcunq; in bonorum votorum parte reponi poſſunt, illa omnia circa optionẽ vitæ melioris vt plurimùm verſantur. Quia vident vitam morte terminendam, optant fuiſſe aliam quàm fuerit: & quando hoc cogitandum erat, neglexerunt. B

Qui verò ſperat tunc diſcere mori, quando moriendum eſt; is fallitur: quia ſi, vt fieri ſolet, diſcendo errarit, quando errorem hunc correcturus eſt? Semel tantùm morimur: & prima vice ſeriò agendum eſt. Si enim in bello non datur bis errare, multò minùs in morte: nam primus error irreparabilis eſt.

Priùs igitur diſcendum eſt, quod tunc ſimul, & ſemel, & ſeriò erit peragendum. Verè admirandum eſt, hominem illud nunc minimè expendere, quod tunc, in morte videlicet, optaturus eſt maximè. Tunc vellet





Qualiter hîc caſſis onerabimus æthera Votis?
O pietas mihi culta foret! ſcelus omne peroſum!

Wat wenſcht me' in nood' beſtaen, met cleynder troost en baten?
Och, hadd' ick tgoet ghedaen! Och hadd' ick tquaet ghelaten!

Queſt-ce que plus l'Ame, Las, en vain! reclame, Au dernier deſtroit?
O bon Dieu! que n'ay-ie, Fuy le mal, et pleige, D'auoir allé droit.

vellet quilibet mente ſanus ſe fuiſſe ſanctiſſimæ, ſtrictiſſimæ, perfectiſſimæque vitæ; qualis nec in arctiſſimo monaſterio reperiatur, neque vllo in libro legatur. Tunc cum Lazaro optemus fuiſſe toti mundo deſpicabiles; vt cum ipſo ſecuri in ſinum Abrahæ transferri ab angelis mereamur. At quamdiu viuitur, & nullum neq. indicium neque veſtigium mortis apparet; multo magis cum diuite epulone & filio prodigo luxus amatur, & vita voluptate diffluens.

Dum Balaam exercitum filiorum Dei ex alto circumſpiceret, cui rogatu regis Balac erat maledicturus; è cõtra optauit ſibi eãdem cum ipſis non in vita, ſed in morte ſortem; ſic ait: *Moriatur anima mea morte iuſtorum; & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Ita & mali ac peſſimi, cum filiis Dei non viuere, ſed mori optant. Vtinam, inquiunt, anima mea ſit vt anima talis vel talis; quando quiſpiam vitam ſancta morte concluſit. Et non cogitant, quòd qualis vita, talis communiter mors. Sicut D. Auguſtinus ait: Non poteſt malè mori, qui benè vixerit: & vix benè moritur, qui malè vixit. Dicitur, vix benè moritur; quia quemadmodum certum eſt, in quocunque momento peccator conuerſus fuerit, veniam addici, iuxta illud: Dum ſpiro, ſpero: ita valdè incertum eſt, an finis futurus ſit bonus, an malus; qui tam temerè & periculosè, tamq. malis mediis exſpectatus fuerit. Latro in cruce conuerſus, exemplo eſt omnibus, non vt in finem vitæ differatur pœnitentia; ſed ne quis etiam in extremis deſperet: & ad hoc vnicum ſufficiebat. At ne quis illo niteretur, præſumptuoſiùs peccans, vnum ſolum datum eſt.

Num. 23. — *Auguſt. de Doctrina Chriſt.* — *Luc. 23.*

Denique tametſi de diuina miſericordia certi ſimus, ſi verè conuerſi fuerimus; de nobis tamen certi non ſumus, an etiam in articulo mortis verè nos factorum pœnitebit. Iuxta quod dicit D. Auguſtinus ſeuerè & verè: Percutitur hac animaduerſione peccator; vt moriendo obliuiſcatur ſui, qui viuendo oblitus eſt Dei. Tunc quidem optatur, vitam fuiſſe meliorem, noſque maiorem temporis gratiæ & veniæ habuiſſe rationem, & ne quidem eo temporis puncto ratio habetur vt oportet. Et ita miſera efflatur aninima, itura quò poteſt.

Auguſtin.

Oratio pro bona ad mortem præparatione.

Optamus nos omnes benè vixiſſe, dum moriendum eſt, & vt plurimùm cum fatuis virginibus ſerò ſapimus: quocirca, da nobis, Domine Deus, gratiam ſic nos modò in vita gerendi, qualiter nos egiſſe in morte ſumus optaturi. Amen.

CAP.

CAP. LXXXVIII.

Quis pauidus mortis recipit ſub pectore ferrum? Conſcia mens ſcelerũ merito quem deuouet Orco.

Ariſtot. 3. Ethic. *Marci 14.* Mors horrori eſt ipſi Naturę.

MORS maximè omnium eſt terribilis, vt inquit Ariſtoteles; & propterea naturâ nemo libenter moritur. Vnde & Saluator noſter mortem exhorruit: orabat vt, ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora: transferretur calix Paſſionis. quod omni viuẽti creaturæ commune eſt, dum contrarius ei mortis acceſſus imminet. Contra mortem, velut cõtra maximum nouiſſimumq. ſuum hoſtem, reluctatur quantum poteſt natura. At non quæritur hîc de tali pauore mortis, vel reluctamine moribundorum, quę naturaliter etiam ſanctiſſimè & maximè voluntariè moriẽtibus obueniunt, vt iam in ipſo Domino noſtro oſtendimus, qui oblatus & mortuus eſt, quia ipſe voluit, & tamen mori horruit; alia eſt enim voluntatis determinatio, alia naturæ propenſio. Sed quæritur, quis non ſolùm naturâ, ſed volunta- B te & iudicio deliberato inuitus moriatur: quique ob id omnimodam C intolerantiam, repugnantiam, & mœſtitudinem animi ad mortem malè comparati demonſtrat: quando ſcilicet iam videt ſeriò agi; nec vllam vitæ ſpem ſupereſſe. Huiuſmodi maleferiatum tumultuantemque mortalem, ſic increpat Seneca: O te dementem, & oblitum fragilitatis tuæ; ſi tunc times mortem, quum tonat!

Timent mori, qui malè vixerunt.

Seneca, Nat. quæſt. lib. 2. cap. 58.

Quis igitur ſic pauidus & turbidus tumultuatur, quando iam moriturum ſe arbitratur? Reſpondetur, quòd ille quem mens ſcelerum conſcia merito ordo deuouet. Quod ferè ita dicit D. Ioannes: *Si reprehenderit nos cor noſtrum.* Conſcientia, eſt inſitum homini iudicium, an aliquid ſit faciendum, vel non; an benè egerimus, vel malè. Vnde Sapiens: *Scit conſcientia tua, quod tu crebrò maledixiſti aliis.* Et licet Conſcientia propriè ſit actus ille intellectus, quo applicatur ſcientia ſeu cognitio ad aliquid particulare, an agendum ſit vel non: tamen largè ſumendo, pro ſindereſi accipitur: Sicut S. Hieronymus ſuper Ezechielem ſcribens, Sindereſim conſcientiam nominat. Et D. Baſilius, Naturale iudicatorium. Et, licet homo propriè loquendo, etiam vigilans poteſt eſſe ſine cõſcientia, hoc eſt, ſine actu illo intellectus, quando ſcilicet non iudicat, aliquid faciendum quando tenetur facere: habet tamen homo ſemper radicem conſcientiæ, quæ eſt ſindereſis; & ſic ſemper habet conſcientiam; ſaltem radicaliter. Eſt enim ſemper in homine tribunal illud ac Iudicatorium naturale; quod probet vel improbet factum vel faciendum.

1. Ioan. 3.

Eccl. 7. Conſcientia, quid.

Hunc irrefragabilem teſtem ſimul & iudicem domeſticum, &, vt ita


MORTEM TIMET, QVEM TERRET CONSCIENTIA. 88.
Agag! ſiccine ſeparat Mors? 1. Reg. 15.
Quis pauidus Mortis recipit ſub pectore ferrum?
Conſcia mens ſcelerum merito quem deuouet Orco.
Seght eens: Wie ſterfter noo, als nu de doodt aenkomt?
Wiens Conſcientie ſnoo, hem ſelf met recht verdoemt.
Qui le plus ſ'effroye, Venant pour ſa proye, Le dard de la Mort ?
Duquel la malice, Le damne au ſupplice, Au dernier reſfort.

ita dicam, intestinum indidit homini Deus. Vt in vno Cain omnibus testatus est ipso mundi primordio. Quando siquidem oblatis sacrificiis, cœpit vultus sui mœstitudine, & immoderato exteriùs habitu, interiorem animi turbam, atque ita malè sibi consciȩ mentis inquietudinem prodere; dixit ei Deus: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nónne, si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Gene. 4.

Declarat istud & Sapiens valdè accommodè, assumta ad id aquȩ & ignis similitudine. *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam.* Deinde: *Ante hominem, vita & mors: bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus loquendi modis significatur interior illa conscientiȩ cognitio, per quam homo bonum à malo potest discernere; atque si ante oculos aquam & ignem, mortem & vitam, immò infernum & cælum constituta videret. Liberum arbitrium eadē opera declaratur; cuius ductu homo, libera volūtatis suæ electione, vnum aut alterum suscipiat. Qui igitur malum in vita sua elegerit, quod pro arbitrij facultate cum Dei gratia relinquere poterat, & eligere bonum; illum intus conscientia redarguit, malè secum agi; resque ipsius non ad amussim cum diuina lege conuenire; & ideò inuitus moritur. Appositè id D. Chrysostomus: Mori timet, qui non sperat viuere post mortē. Non secus quàm fur sibi conscius factis suis deberi patibulū, iamq. latam mortis sentētiam, inuitus è carcere procedit; certus, se ad laqueum tendere. Ita è vita inuitus migrat, qui teste conscientia videt quò vadat. Sic Sapiēs ait: *Sēper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.* Eccli. 15. Chrysost. Sap. 17.

D Ita Agag rex Amalec contra mortem exhorrescebat; quem Samuel diuino prȩcepto iussit occidi, & in frusta cōcidi. sic legimus: *Oblatus est ei Agag pinguissimus tremēs,* (tremebat collecta securo animo pinguedine & simul conceptâ instantis mortis formidine) *Et dixit Agag: Siccine separat amara mors?* Ita cedit illis tandem, qui cum hoc pinguissimo Agag aqualiculū suum in hac vita saginarunt; & animas suas interim inedia & siti diuini verbi, gratiæ, & consolationis perire siuerunt, nihil de futuris præcogitantes, sed in diem & horam viuentes: tunc illi trementes, & perculsi: *Siccine separat amara mors?* 1. Reg. 15. Agag.

E Iste sic in morte trepidantium modus, in gallinis & porcis manife-
F stè notari potest; quando arripiuntur vt iugulentur, mirè misereque tumultantur, & dirè eiulant; ita peccatores nihil de morte, nisi dum adest cogitant. Tunc tanto sunt turbatiores, quanto antea magis incu-
G rij & supini vixerunt. Huc spectat illud Sapiētis: *O mors, quàm amara* Eccli. x.
H *est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis!* Hoc est; qui tranquillè, pro animi sui voluptate, in substantiis, & in omnibus quibus afficitur, viuit; nihil minùs quàm de fine vel exitu vitæ, atque vltima linea rerum cogitans.

Nulli, dum viuit, deſperãdum.

Nunc quærat fortè aliquis, quî ſit intelligendum quod in Reſponſione dicitur: quem conſcia mens ſcelerum deuouet inferno commerito: ſiue quem propria damnat conſcientia. An fortè quis in tã malo ſtatu eſſe queat, vt adhuc viuens debeat vel poſſit animum deſpondere, & deſperare de ſalute? Nequaquam. Nam certiùs quàm de temporali vita dicitur: Dum ſpiro, ſpero; de ſpirituali vita ac ſalute animæ intelligi & accipi poteſt. Quam diu ſiquidem anima in corpore eſt, ſpes eſt ſalutis, neque licet deſperare: quamquam, vt diximus, periculoſum, temerarium, & ſtultum eſt, animam ſuam è pilo ſuſpẽdere ſuper fauces inferni; quod faciunt, conuerſionem vitæ ac pœnitudinem vſque ad finem vitæ differentes. At, tunc dicitur Conſcientia propria aliquem damnare; quando eum certò peccati mortiferi, licet vnius tantùm, redarguit; cuius eum non pœnitet, neque confiteri proponit. Is enim in ſtatu damnationis eſt, quod non ignorat conſcientia: & propterea indicat, qui talis eſt, regnum Dei non poſſe nanciſci.

Bed. lib. 5. ca. 14. Hiſt. Anglic. Exemplũ horrendę mortis.

Narrat venerabilis Beda exemplum ſic morientis notatu dignum. I
Vir quidam officio militari regi Anglorum Coënredo charus, ſed ſalutis ſuæ negligens, à rege ſedulò admonebatur, vt peccata confiteretur & emendaret, priuſquã inopinata morte præoccuparetur. Verùm ille monita ſalutis ſpernebat, ſéque aliquando pœnitentiam acturum promittebat. Interim in ægritudinem incidit. Rex iterum vt vel tunc confiteretur, hortabatur: reſpondit, ſe iam nolle, ne metu mortis id feciſſe diceretur: ſe, vbi ſanitati foret reſtitutus, confeſſurum promiſit. Morte inſtante, iterum à rege monitus, clamauit miſerabili voce: Quid vis modò? Quid huc veniſti? non enim mihi aliquid vtilitatis aut ſalutis potes vltra conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui; vide vt ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio; ſed peſſimam mihi conſcientiam certus ante oculos habeo. Narratáque angelorum & dæmonum viſione; ſentienſque quaſi duos dæmones in viſcera irrepentes, deſperans efflauit animam.

Gregor. in ſeptem Pſal. Pœnit. *Cicero, pro Milone.* Caligula caput intra lectũ abſcondebat præ metu, dum audiret tonitru.

Quis non videat quid ſit, quod hominẽ moribundum ita anxium & turbulentum reddit? Conſcientiæ malæ remorſus eſt: quis enim vermem intus rodentem quietè confoueat? Nulla eſt maior afflictio, quàm conſcientia delictorum? inquit D. Gregorius. Et Cicero ipſe hîc non hallucinatur, dum ſic ait: Magna eſt conſcientię vis in vtramque partem; vt nec timeant, qui nihil commiſerunt: & pœnã ſemper ante oculos verſari putent, qui peccauerint. Quid exiſtimabimus alioqui tyrannum illum immaniſſimum Caligulam, in tantas anguſtias, atque animi perturbationẽ tam anxiam adegiſſe; vt crebrò, puerorum inſtar, præ metu caput intra lectum vel ſub ceruical recõderet, dum micarent fulmina, vel tonitrua mugirent; niſi conſcientiam vitę tam impiæ, & tam infamis? Omnes eius diuitię, voluptates, truculentia,

tia, armatorum excubiæ, omnisque eius maiestas, & gloria, eum hoc metu liberare nequiuerunt. Hoc est quod communiter dicitur, eos qui intus pleni sunt inquietudine & motu, etiam foris esse turbulétos & trepidatione plenos. Videtur mors tales agere & insectari: adeò nusquam tuti, nusquã securi & quieti sunt. Sic Cain, postquã occidisset fratrẽ suum, factus vt vir vagus & profugus in terra: in quo & tremorem continuum Deus in signum posuit; qui etiam trepidantis conscientiæ euidentissimum esset toti mundo postea argumentum. *Genes. 4.*

Cauendum autem, ne ex iam dictis temeraria fiat ratiocinatio; qua omnes illi qui in mortis articulo vel certo morbi genere turbationis extraordinariæ aliquid patiuntur, malæ esse conscientiæ malève mori iudicentur. Certum namque est, vt exemplis etiam scriptorum claret, nonnullos interdum sanctos & intus benè constitutos, exteriùs tamen sub mortem valdè agitatos fuisse, & tranquillè tandem conquieuisse. Exhibet se etenim non rarò malignus spiritus, horribili specie comminans, mira iactitans, licet nihil ibi iuris habeat; vt quos nequit abripere, perterreat saltem, & tantisper diuexet: vt in sancto Martino.

Ex insolito mortis modo de morientis statu non est iudicandũ.

Vide huius exemplum infrà, sub finẽ Cap. XC.

Consilium itaque optimum est, causam iustæ inquietudinis eximere; peccatum, inquam, bona confessione dimouere: quod alioqui hominem non sinit vlla quiete frui, sed efferatis stimulis exagitat. Nam vt solent subinde vermiculi illi, in cariosorum dentium cauernulis orti, homines quasi in rabiem redigere, nisi fumo quodam acri, vel alia amaritudine cogantur excedere: ita & peccatum dirè hominem excruciat, nisi per pœnitentiæ acerbitatem exterminetur.

Hieroglyphicum illud scolopendrę nos efficaciter admonet, ad eximendam ex animis nostris omnem illam inquietudinis materiam, & vermẽ qui mentem peccati consciam rodit. Scolopendra siquidem, (quam & centipedam vocant) vbi hamo dépreheſa fuerit, quàm longissimè potest sese exporrigens, hami lineam abrodit, quo deuorato, interiora sua foras euomit, donec hamum eiiciat: dein recipit intro, ac valet ea qua priùs salubritate. Antiqui dum hominem significare vellent, qui animum suum à vitiis malisque affectibus expurgaret, scolopendram pingebant. *Hieroglyphicum.*

Oratio contra vanum mortis metum.

QVandoquidem certum est, non mori conscientiam, & mihi necessariò esse moriendum: Da Deus, vt sic me modò ad Conscientiæ nutum geram; vt in tremendo illo mortis & iudicij die contra me non consurgat, sed tranquillè lætari permittat. Amen.

CAP. LXXXIX.

Quem neque concutient inopina pericula lethi: Conſcia cui virtus mentem dulcedine complet.

Libenter moritur, qui benè vixit.



VOD præcedenti Capite tractatum eſt, de morte inuoluntariè & inuitè ſuſcipienda, præſentem etiam quæſtionem elucidare iuuabit. Nam, vt diximus, Natura à morte abhorret; & naturaliter, quod viuit, non libenter moritur. Sed dum hîc quæritur, quis libenter moriatur, quem neque inopina lethi pericula concutiant: non tantùm de illis intelligitur, qui cum Apoſtolo cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto; verùm etiam de omnibus his qui mori parati ſunt, quãdo ita diuinæ bonitati videretur: parati etiam adhuc in viuis manere, quamdiu eidem maieſtati ita placeret. Iuxta liberum illud S. Martini dictum & votum: Libera me, quęſo Domine, ex mortali iſto carcere. Veruntamen, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. A B

S. Seuerus de S. Martino.

Inueniuntur autem interdum mortales, mortis, vt apparet, vehementer cupidi: at, dum mors vel vocata etiam adeſt, dilationem quęrunt, cupiuntque adhuc traham hanc vitæ caducæ, rependo etiam, ſi opus eſt, producere, quàm diu dabitur. Apta admodum fabella inter alias recenſetur, quæ in tales rectè quadrat: de viatore vel ſarcinam geſtante, vel plauſtrum ducente: qui lapſus, lutoque infixus, præ vitę moleſtiarumque tædio mortem inclamauit: at, dum illa repentè vocata aſſiſteret, En adſum, inquit; vocaſti enim me: Obſecro, inquit ille, adiuua me hæc onera & ſarcinas attollere, vt quam cœpi viam conficere pergam. Alij verò nimis meticuloſi & anxij mortem præſtolantur; deque ea cogitant deiectiùs, quàm bonum Chriſtianum decet. Idcirco frequenter ſatius conſultiuſque eſſet, neque nimiùm eam expetere, neque etiam tantopere perhorreſcere. Quale conſilium Ethnicus & profanus Poeta præſcribere potuit, dum ſic ait: C

Fabella, de viatore mortem inuocante.

Aequabilitas ad mortis expectationem.

Summum nec metuas diem, nec optes.

Martialis lib. 10. Epigramm. 42.

Summus quidem ſeu mortis ſeu iudicij dies metuendus eſt meritò: ſed ita vt metu illo velut mortis duce, diſcat quis mori, priuſquam cogatur mori. Atque ita contingit vt plurimùm, vt qui tali modo mortem timuerint & horruerint, dum incolumes eminus venientem, vt præſentem coràm attenderunt; etiam cùm iam adeſt, nihil terreantur neque turbentur: ſed libenter & læti, quia ſecuri in conſcientia, moriantur. Didicerunt namq. viuentes mori; & verè antequam mors adeſſet mortui ſunt: iuxta illud: *Diſce mori, moritura caro, moriàre priuſquã.*

Hoc eſt quod dicit Reſponſio: ille libenter moritur, cui conſcientia D



Quem neq; concutient inopina pericula leti?
Conſcia cui Virtus mentem dulcedinis explet.

Wie ſterft met blyden moedt, tot aller placts en tyden?
Wiens Conſcientie goet, hem doet in Godt verblyden.

Quelle ame eſt ſi ſeure, Que la derniere heure, Luy eſt de ſouhait?
Qui par l'innocence, De ſa conſcience, Peut viure dehait.

tia virtutum, mẽtem explet dulcedine & pace. Quod & Seneca Christianè loquens, accommodè huic nostræ sententiæ suffragatur. Venientem (inquit) nemo hilaris mortem excipit, nisi qui ad illam se diu composuerit. Dat idcirco aptissimum alibi idem consilium, ad trepidationem illam mortis inanem tempori excludendam, & inserendam bonã animis hominum fiduciam atque constantem prudentiam; sic inquit: Incertum est, quo te loco mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta. Ac si more Christiano dicamus,: Non est momentum temporis quo mori non possis; atque adeò mors quasi in insidiis collocata, te quouis tempore & loco expectat: idcirco esto vigilans, & nunquam non paratus inueniaris ad mortem obeundam, si ita Deo visum fuerit. Ita constitutus est is, in quem Responsio quadrat: quem nihil remordet conscientiâ facti alicuius meritò pœnitendi, iuxta illud Dauidis solatium: *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Et sine dubio magna cordis consolatio, quando aliquis in mandata Dei, vt in speculum sine macula, oculos mentis coniiciens, & cõscientiæ suæ faciem in eo cõtemplans, nihil inuenit quod illam maculet, Deoq; displiceat. Talis conscientia verè est spiritualis quædam Hierusalem; quod idem est atque *visio pacis.*

Seneca. Epist. 30.

Seneca Epist. 26.

Psal. 118.

Hæc est pax, quam mundus dare non potest; sed Christus eam dat nobis & relinquit; sicut Apostolis & nobis promisit. Pax Christi, pax Dei est, quæ exsuperat omnem sensum; habitatque in cordibus tranquilla conscientia gaudentibus. De hac Sapiens tali modo loquendi: *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* Sicut & istud confirmat Apostolus: *Gloria nostra hæc est; testimonium conscientiæ nostræ.* Quod qui habet, habet iustam causam libenter ex hac vita & mundo migrandi. Videt siquidem cum Stephano cælos apertos; & Iesum stantem, paratum vt eum in suum regnum recipiat. Adeò vt talis homo mortem velut cęli portam consideret, per quam in sanctam ac beatam illam ciuitatem cælestem, dum paratus est mori, paratus est ingredi; ad quam toto vitæ suæ curriculo contendit: quamque summis votis ac conatibus vnicè semper expetiuit. iuxta illud: *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ*; hoc est, in æternum. Vbi cũ Christo, omnibusq. eius amicis, cęlesti est gaudio perfruiturus.

E

Ioan. 14.

Prou. 15.

2. Cor. 1.

Act. 7.

Psal. 26.

Quinimmò, vt veriùs dicã, qui ita est animo comparatus, non solùm libenter & cum voluptate exspectat mortem, sed patientia vti debet, si diutiùs in hac vita manẽdũ sit. Sic inquit de tali D. Augustinus: Qui desiderat dissolui, & esse cum Christo; non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur. Et meritò; nam, sicut Cassianus: Quis mortem temporalem metuat, cui vita æterna promittitur? Huic rectè ideò à Sapiente dicitur: *Noli metuere iudicium mortis.* quasi dicat: Quid tibi mors nocere poterit? Tollet te de mũdo,

August. super Epist. Ioann.

Cassianus.

Eccli. 41.

& inseret cęlo;quò alioqui nunquam pertingere poteras;nisi illa quasi opitulante,& manus tantæ moli adhibente.

Hinc D.Hilarion morti proximus,lætus beneq; animatus, Naturę imbecillitati succurrẽs;cùm adhuc(inquit D.Hieronymus) modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quidquam viui hominis supererat, tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? egredere anima mea; quid dubitas? Septuaginta propè annis seruiisti Christo;& mortem times? In hæc verba exhalauit spiritum.

Hieronym. in vita Hilarionis.

Hic igitur status,mortem alacri volũtate & secura conscientia opetentium. In quibus, quod Christus ipse de se & suis testabatur, spiritus quidem promtus est,caro autem infirma, naturaliter à morte abhorrens. Sed mentis sibi benè consciæ securitas,illam dat morientibus promtitudinem & hilaritatem,vt acerbum mortis aculeum nec timeant,nec etiam sentire videantur; sed illum accipiant velut clauem qua sibi cælestis aulæ portas aperiant.

Gregor.Dialog.lib.4. cap.38. Exẽplum horribilis mortis.

Heu quàm longè diuersus est ab his malè moriẽtium status! quanto cum metu, quanta cum trepidatione, inuisum illum mortis accessum exspectant! Istud præcedenti Capite dictum est, sed vt contraria iuxta se mutuò posita magis elucescant, hîc vnum adhuc exemplum horrendæ mortis adiiciam,ex D.Gregorio desumtum.

Chrysorium Romanum,opulentum quidem, sed scelestum hominem fuisse constat,ita vt an diuitiis, an vitiis magis abundarit,incertum sit. Cùm autem graui valetudine quateretur, & iam exspirans anxiaretur,apparuere illi teterrimi dæmones,ipsum certatim prehensantes, trahereq. ad inferna nitentes.Qui conterritus ac tremẽs,Maximi filij sui opem flebiliter implorare, seq; super lectum in quo iacebat huc atque illuc vertere miseris cœpit modis. Nemo spiritus videbat,& tamen nemo ibi cõuenisse dubitabat, cùm illius gestus lamentaq. considerasset. Postremò ipse, cùm iam amicorum auxilium desperasset,ad hostes conuersus: Inducias oro,inquit,inducias, vel tantùm vsque manè. Dum hoc poscendo ingeminat,animam exhalauit. Hucusque ex D. Gregorio.

Non differenda ad extremum vitæ pœnitentia.

Quis igitur prudens, & salutis suæ amans,in extremum vitæ tempus differet conuersionem & pœnitẽtiam? Quis securus hoc plumbi (peccati inquam) talento in corde grauatus incedet, quod in mortis puncto tam miserandam pariat animæ fluctanti tempestatem? Quis non potiùs omnia iam attentet; omnemque,quod dicitur,moueat lapidem,ne,sub quo minimè credebat, lateat calcaneo eius,hoc est vitæ fini,insidians scorpius? Quis non potiùs quiduis agat, vt securitate conscientiæ fruatur viuus,& morti hostia factus exultet? Lætus namque eiusmodi cum Christi montem Caluariæ, & cum Moyse mõtem Abarim magnæ Dei misericordiæ cõscendit, vt ibi moriatur securus.

Sicut

Sicut Moysi dicebat Dominus : *Ascende in montem Abarim* (hoc est transitum) *& morere ibi.* Ita Sancti & amici Dei mortui sunt. Alij Deo gratias agentes, alij laudantes Dominum, alij alio modo orantes, quidam positis genibus, extensisque manibus; vt S. Paulus eremita: alij loquendo, vt Vrsinus Nursiæ Episcopus : Venio, venio: videbat S. Petrum & S. Paulum. Vt Musa virgo, Venio, Domina : videbat D. Virginem Mariam multis virginibus comitatam. S. Hieronymus humi suo rogatu depositus, sacco opertus, vt quieti se sponte componens. S. Augustinus legendo septem Psalmos Pœnitentiales, cum lacrymis gaudij, ad Dominum properans. S. Ambrosius extensis brachiis, corpus Domini sumens in viaticum: quod nec priores illi neglexerunt. S. Franciscus super pauimento depositus, vt ex ima humilitate spiritum Deo redderet, & in summa cælorum transmitteret. Quæ maior optetur ad moriendum alacritas, quàm vt quis quasi cum D. Ioanne proprium viuus ingrediatur sepulchrum? Hæc & eiusmodi conscientiæ sanctæ tranquillitas & promtitudo.

Deut. 3. Exempla lętè è viuis discedentium.

Hæc est sors, agendiq. ratio illorum, qui, quod Musonius dicto rogatus respondebat, opere exsequuntur. Interrogatus ille quis optimè extremum diem claudere posset: Qui semper, inquit, postremũ diem sibi instare, immò iam venisse, proposuerit. Ita prudenter vir quidam sanctissimus, iam senex, cùm ab amico in crastinum vocaretur côuiuium : Cur me vocas in crastinum? inquit, qui à multis annis crastinum non habui, sed mortis aduentum in singulos dies expectaui: quę nobis nunquam non insidiatur, donec nos incautos interdum etiam opprimat.

Musonius.

De hoc incerto vitæ nostræ statu & mortis certitudine ceu præsentis semper meditanda, prudentissimè Seneca, hanc in sententiã; Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitę; & tunc quoque cùm crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam vsque ad hesternum : quidquid transit temporis, perit : Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus.

Sene. Epist. 24.

Oratio ad securè ex hac vita discedendum.


Voluntariè te, pie Domine, pro nobis in mortem tradidisti, eamq́; victus vicisti, ne ab ea nimiùm terreremur : illam da nobis quæsumus prouidentiam, non qua mortem horrescamus, sed qua nos ad eam, dum ventura est, præparemus. Amen.

CAP.

CAP. XC.

Parte sui meliore, heres quis adibit Olympum?
Qui purè Superis hinc conciliatus abibit.


Qui cęlũ sortiuntur.



QVIDQVID hactenus de morte dictum est, potiùs de moribundis, morte exclusa, est intelligendum; quorum quidam benè ad eam comparato sunt animo; quidam verò valdè incomposito, & turbulento; idq; pro status animæ & conscientiæ diuersitate. Nunc de eo quod à morte mox sequitur; æquè etiam dispari conditione.

Duo tantùm sunt loca, ad quæ finaliter omnes animæ deueniunt: ita vt qui vnum sortiuntur, ad alterum nunquam sint ituri: quia vt Abraham Diuiti Epuloni dicebat: nimis magnum Chaos interiacet. (Luc. 16.) Sunt autem hæc duo extrema hominum hinc discedentium receptacula seu mansiones; Cælum, & Infernus. Dixi autem, vbi finaliter sint mansuri: quia tertius quidam certus locus est, purgandis à Deo animabus destinatus: quò qui perueniunt, non in æternum sunt hæsuri: sed expurgatione, quantum quisque opus habuerit, peracta, certò ad cælestem sunt gloriam deducendi. (Purgatorium.) Vocatur hic locus noto Fidelibus Purgatorij vocabulo: quia qui in statu quidem gratiæ defunguntur, sed vel maculæ alicui venialis peccati obnoxij adhuc sunt, vel pœnitentiam debitam non expleuerunt; meliores quidem sunt, quàm vt ad infernum cum maledictis detrudantur; sed necdum satis mundi, sancti, & perfecti, vt lucidum illud cælum, in quod nihil coinquinatum admittitur, ingrediantur. Certi sunt tamen de sua beatitudine tandem consequenda; quia per Christi mortem, in qua baptizati filij Dei facti sunt, sunt & heredes regni cælestis effecti: iusque acquisitum non amiserunt. Si verò per peccatum illo se aliquando abdicarunt, iterum per pœnitentiam in pristinum statum restituti sunt. Illi igitur omnes, iuxta Interrogationem, meliore sui parte, hoc est, secundùm animam, heredes Olympum à morte adeunt; aut statim, aut A
exacto purgationis tempore: qui purè Superis hinc cõciliati abibunt. Hoc est, qui in statu gratiæ è viuis excedunt. (Status gratię.) Status gratiæ seu charitatis is vocatur, quando quis non est peccato vlli mortali obnoxius. In hoc statu omnes piè mori præsumuntur, quicunque peccatorum suorum cõfessionẽ ante mortem instituunt: vel eam saltẽ in voto habẽt, vbi copia Sacerdotis deesset, & pœnitudinem signo aliquo profitẽtur. B

(Ignotus incertusq; ue nobis morientium status communiter.) Certum verò iudicium, aut indubitata determinatio morientium in statu gratiæ vel secus, non ab hominũ pendet arbitrio aut scientia; sed solius Dei est certò dignoscere. Coram quo sicut haud dubiè multi



Parte ſui meliore heres quis adibit Olympum?
Qui purè Superis hinc conciliatus abibit.

Wiens ſiel te Godde gaet, en t'Ryck des hemels erft?
Die hier in goeden ſtaet, en in Godts gratye ſterft.

Qui laisſant la vie, Va prendre l'hoirie, De l'eternité?
Celuy qui treſpaſſe, En eſtat de grace, Et grand' pureté.

multi in malo ſtatu diſcedunt in ignem æternum;qui,quoad noſtrum iudicium ab externis ſumtum indiciis, rectè & ſalutariter mori viſi ſunt:ita è contrà non pauci deo teſte & iudice in ſtatu gratiæ moriuntur,qui tamen ob certa quædam,immò incerta potiùs argumenta,videntur putanturque ab hominibus in malo ſtatu vitam terminaſſe. Ratio diuerſitatis iudiciorum eſt;quòd in priori illo genere, Deus occultum videt ſalutis obſtaculum, quod homines latet;qui tantùm exteriorem illum placidè & deuotè moriendi modum conſiderant. In altero verò genere, Deus cor mundum,puramque intuetur morientis conſcientiam; homines verò turbidiorem aliquem vel ſubitum, aut alia ex cauſa mirabilem excedendi è vita modum perpendunt;qui eis de ſiniſtra morte metum & ſuſpicionem ingenerat. Sed rei veritas in vtriſque ſoli Deo cognita eſt.

Quis namque mortalium non hæſitaret anxius, quid de Euſebij Cremonenſis exitu eſſet iudicandum,niſi ſub finem fuiſſet amœnior? *Marulus li.5.cap.10.* Is namque D.Hieronymi diſcipulus & ſectator,qua hora migraturus erat,repentè caput erigens,oculis pauitantibus circumſpicere, & quaſi in furorem verſus clamitare: Non faciam; non faciam: Mentiris; mentiris. Deinde ad terram procliuus, faciem abſcondere, intremiſcere,ac quantum poterat vociferari: Adiuuate me fratres; adiuuate me; ne peream. An, inquit, non videtis dæmonum cateruam hîc in meam perniciem congregatam? Ille præ cæteris horrendus compellit me ad blaſphemiam: & tam dirus eſt, vt cōtrà tueri non auſim.Tunc fratrum ſupplicationibus dæmones in fugam verſi ſunt. Et beato Hieronymo apparente,eumque animante,obdormiuit in Domino.

C Quidquid igitur humanis oculis appareat,vel non appareat,verum eſt quod dicit D.Ioannes: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sunt *Apoc.14.* autem illi qui in bono ſtatu moriuntur: qui vel ſtatim ad cælum per-uolant,vt qui baptizati in ſtatu innocētiæ moriuntur:martyres etiam:
D & qui hîc ſuum purgatorium ſuſtinuerunt: vel ſaltem expleto expiationis debito,loco ad id à Deo ordinato.

Oratio ad regnum cælorum obtinendum.

QVādoquidem nos ipſe docere dignatus es,piiſsime Ieſu; Adueniat regnum tuum; quid eſt aliud, quàm quòd nos eius compotes fieri deſideres? Nos tua ſemper gratia confirma; vt per bonam vitam & mortem ſalutarem, cæleſtem hæreditatem impetremus. Amen.

CAP. XCI.

Quíſnã animã exhalat mox in Barathrũ cõdendã? Cui ſcelerũ ad ſummã hæſerunt contagia mortem.



Nemo volens infernum petit: ſedqui peccant, volẽtes viam inferni tenent.

ERTVM eſt, nemini vnquam poſſe perſuaderi, vt ſponte, ſciens, volensq́; in infernum ingrediatur; ſed qui eò commigrant, violenter, obtortoq́ue, vt dicitur, collo illuc rapiuntur, ſicut videmus oues aut vitulos in lanienam intrudi, vel quò nolunt ſponte ſua introire. Et tamẽ via, quæ ad infernum ducit, ſponte & cum iucunditate ambulatur. Via hæc, vita eſt peccatis obnoxia: quæ ſi non deſeratur, pruiſquam ad portam mortis veniatur; certus eſt ille, quiſquis tali via portam illam ingreditur, ſe etiam inferni ianuam ingreſſurum, & æternæ damnationi mancipandum. A B C

Neque tamen id expenditur, ſed ridendo peragitur, quo luctus ille implacabilis comparatur, & intoleranda tormẽta proueniunt. Hanc amentiam admirans, rogat Propheta eiuſmodi inſenſatos: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Vbi præter horribiles ignis gehennæ flammas, etiam ſpiritus ipſe hominis & conſcientia, tanquam inteſtinum incendiũ cruciabit: quod idem Propheta teſtatur, dum ait: *Spiritus veſter, vt ignis vorabit*. Non tantùm ignita ardensq́ue reſpiratio, vltrò citroq́ue commeando viſcera fauceſq́ue comburens; verum etiam anima ipſa mali ſui ſibi conſcia. Hoc idem clariùs alibi prædicens, ſic inquit: *Vermis eorum non morietur; & ignis eorum non extinguetur*. D

Iſaiæ 33.

Iſaiæ 66.

Vtinam milleſimam ſaltem illius ſapientiæ portionem habeamus, quæ communiter ſerò habetur, dum vexatio intellectum dat! Sicut exempli gratia, in diuite epulone videre & audire eſt: qui adeò ſapuit in tormentis, vt non ſolùm ſibi bona proſpicere videretur & exoptare; verùm etiam ad quinque fratres, qui adhuc inter viuos ad eius inſtar vitam ducebant, eius ſera prudentia extenderetur; dicebat enim Abrahamo: *Rogo te pater, vt mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: vt teſtetur illis; ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.*

Luc. 16.

Admiranda verè conſilij mutatio: tam ſeriò & ſolicitè quæ ad rem faciant in pœnis ipſis etiam quoad alios expendere; & tamen dum tempus eſt, ne minimùm moueri, nec vel micam ſalis ac ſapientiæ in cor admittere, etiamſi mortuus quiſpiam è terra conſurgens, hæc nobis horrendis ſermonibus & conteſtationibus inculcaret. Idque eſt quod propterea Abraham diuiti illi nequidquam expoſtulãti dicebat: *Habent Moyſen & Prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: ſed*



Quisnam animā exhalat mox in Barathrū condendā?
Cui scelerum ad summam hæserunt contagia mortem.

Wiens siel, sonder verspyt, waerlyckx ter hellen gaet?
Soo wie, naer desen stryt, van hier scheydt in quae staet.

Qui vomit son ame, Tout droit a la flame, Du profond Manoir?
Tel qui porte escrite, Sa vie maudite, Au Fin, d'encre noir.

sed, si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Quàm rigida huius negligentiæ exigetur aliquando ratio, qua hîc nec tempus gratiæ, nec admonitiones, neque exempla, neque correctiones, neque quidquam quod ad salutem conducere poterat, cordi habitum fuit! Quis securus hoc statu è viuis discedat? Ille animam exhalat mox in Barathrum condendam, vt versus habet: Cui scelerum contagia ad summam mortem adhæserunt. hoc est, qui in statu mortifero defungitur: qui nec exteriùs coram hominibus, nec coram Deo interiùs, pœnitentiæ signum vllum ediderit. Eiusmodi sunt, qui obstinati in hæresi vel alio peccato moriuntur: quod euidentissimum est in Spiritum sanctum peccatum irremissibile, in quo quis impœnitens exspirat: quod finalis impœnitentia vocari solet. Tales etiam qui in duello, vel in bello iniusto notoriè, quale est quod hæretici contra Religionem Catholicam gerunt, & alia id genus apertè illicita, vitam finiunt. Sic qui in ipsa scortatione, in crapula, in pugna iniqua è viuis abripiuntur. Quicunq; in statu damnationis moriuntur, certò & rectà ad infernum descendunt. Quò dum perueniunt, tam horrendè præ subita insperataque damnatione mirantur, quàm supinè dū viuerēt eiusmodi omnia cogitarunt, & prorsus neglexerūt.

Qui in malo statu moritur, rectà ad infernum vadit.

E

F

His accommodum ex D. Gregorio exēplum subiiciam. Reparatus Romanus improbus magis quam ignobilis vir, dum defunctus plangeretur, reuixit: &; mittite, inquit, ad Ecclesiā S Laurenti; sciscitatum, quid Tiburtius presbyter agat. Vidi enim eum rogo impositum acriter torreri. His dictis repente obmutuit, iterumq. morte percussus, illuc vnde redierat abiit. Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalasse compertus est; de quo hominum quoque præiudicium factum fuerat, nemine non vitam illius detestante. Cum enim presbyter esset, nihil presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Reparato autem alios admonendi, non sui à perditione liberandi copia data erat; Deo per illum ceteris consulente, vt cauerent eorum vitia imitari, quos ad gehennam damnatos satis certo indicio cognouissent.

Gregor dial. li. 4. cap. 31.

Oratio contra inferni terrorem.

V*oluntatis tuæ non est, Domine Deus, vt moriatur peccator & pereat; sed vt conuertatur & viuat: ita nos, quæso, tuo semper timore circunda; vt ne morte peccatorum moriamur, nec nos rapidæ inferni fauces absorbeant: sed per veram peccatorum contritionem, ad mortem quietam & finem perfectum veniamus. Amen.*

CAP. XCII.

Quæ tria per penitas ibunt Dicta aſpra medullas? Da rationem: Itote: & quod ſupereſt Æternum.

Verba aſpera, tria.



ASPERVM admodũ & graue eſſe oportet quod ferri nequit: A ita hîc aſpera ac grauia dicta nominantur, quę cor hominis non facilè ferat, etiam dum nequit effugere. Quando Sara ſuſpectam Iſmahelis indolem cum Iſaac nequiter ludentis aduertit, dixit Abrahæ: *Eiice ancillam hanc & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur aſperum, ſuper puero & ſuper ancilla tua.* Durum verbũ erat, quod D. Petrus Ananiæ dicebat: *Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & exſpirauit*: quod & Sapphirę vxori eius cõfeſtim accidit. Hæc occaſione eius, quòd in Interrogatione tria præcipua aſpera dicta rogentur: quæ & in Reſponſione recenſentur, ex futuro ſub finem mundi, & etiam in morte cuiuſque iudicio deſumta. Hęc quidem modò in genere, vt aſpera, dura, & grauia ſimul tractantur: ſed poſtea ex ordine ſingula explicabuntur.

Geneſ. 21.

Act. 5.

Verba Dei nũc ſuauia ſunt.

Verba Dei mellis inſtar ſuauia ſunt; ſi illa ad ſalutem animę noſtræ audire & obſeruare eſt animus, ſicut eum ob finem nobis proferuntur. Hinc Propheta regius quaſi dulcedine hac delibutus, in prouocationem admirationis exclamat: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo.* Et quid mirum, quando penitiùs introſpicimus? Nam eandem ob cauſam, ob quã Chriſtus Dei filius in mundum venit, ob eam etiam Verbum Dei nobis nunciatum & promulgatum eſt. Hoc eſt: Propter nos homines; & propter noſtram ſalutem. Adeò vt Chriſtus, qui Verbum Patris vocatur, & eſt; etiam ſuauiſſimus, mitiſſimus, & dulciſſimus mortalium exſtiterit. *Specioſus formâ præ filiis hominum*: (inquit Dauid) *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Ecquid tam amœnus fons aliud, quàm dulcem mellitorum verborum ſcaturiginem, & aquam ſalientem in vitam æternam profundat?

Pſal. 118.

Pſalm. 44.

Futura dura, ſi neglexerimus.

Verùm enimuerò, quòd ſi nunc verba iſta mellita & dilecta audire B refugimus, ſi iis in corde noſtro non dederimus locum: certò nobis aſpera, inamœna, & acerba verba erunt audienda; de quibus præ intoleranda ſeueritate illud dici poteſt, quoſt Deus olim Samueli adhuc puero dicebat: *Ecce, ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierit,* C *tinnient ambæ aures eius.* Eiuſmodi ſunt tria illa, quæ verſu Reſponſio- D nis comprehenduntur, pro damnandorum parte tantùm intellecta E & accepta.

1. Reg. 3.

Rex



Quæ tria per penitas ibunt Dicta aſprâ medullas?
Da rationem: Itote: et quod ſupereſt Æternum.

Noempt de dry woorden vry, van d'alderſcherpſte ſnede.
Gheeft reden: Gaet van my: en d'Eeuwighe Eeuwichede.

Quels trois mots terribles, Seront plus horribles, Aux pauures damnez?
Rend conte a la maille, Va au feu canaille, Puis, ce grand Iamais.



Rex propheticus Dauid, vir secundùm cor Dei, tametsi grauium suorum peccatorum non immemor, de magna tamen Dei misericordia & misericordiarum eius multitudine fortiter sperans & cõfidens, cui spiritum contribulatum in sacrificium obtulerat, & quem sciebat cor contritum & humiliatum non despicere, non sine magna animi congratulatione, aliorumque omnium peccatorum ad prouidam pœnitentiam existimulatione dicebat: *Ipse liberabit me de laqueo venantium; & à Verbo aspero.* Venatores isti sunt hostes animarum nostrarum diaboli; qui nunc silenter, subtiliter, & insidiosè animas nostras in peccatorum laqueos agere conantur: qui capta præda cornu inflant, & horrendè tunc vociferantur, vt miseram peccatricem animam magis percellant; vt extricare se nequeat, vel effugium sperare non audeat. Si istos venatores modò, Dei adiuuante gratia, vitare queamus: tunc & horribiles ipsorum clamores & fremitus quos in seductos edere solēt; & asperum etiam illud verbum tremendæ sententiæ euademus: Liberabimur de laqueo stridoreque venantium, & à verbo aspero.

Psalm. 90.

Venatores animarum diaboli.

Hîc igitur potiùs audiamus, non solùm suauia Dei monētis & vocantis verba, sed etiam duras eius increpationes ęquis auribus animisque excipiamus: immò & omnia proximi nostri obloquia patienter toleremus, & in partem lucri reponamus: certi, quòd felici commercio aspera illa extrema verba cum istis commutabimus & redimemus: quæ alioqui nec ferri poterunt, & ferri debebunt tamen.

Quàm durum eis futurum existimamus verbũ illud Domini nouissimum, qui hîc in fabulã verterint verba eius salutaria! de quibus sic per Prophetam Dominus: *Noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini, Manda remanda, mãda remanda; expecta reexpecta: modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Propter hoc audite viri illusores; Ponam in pondere iudicium. Flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem: sola vexatio intellectum dabit auditui.* Sed eheu! serò sapient.

Isaiæ 28.

Oratio ad Verbum vocationemque Dei audiendam.

OMnia nunc ad te vocas, mitissime Domine, nec quemquã repellis qui voci tuæ aures præbuerit; iterum venturus, aliterq; vocaturus es, & maiorem hominum partē à te repulsurus: Influat nunc vox tua suauis in corda nostra; vt te pastorem nostrum per præsentia pascua ad ouile cæleste prosequamur. Amen.

CAP. XCIII.

Duriùs vnde Deus repetet cum fœnore ſortem?
Abs illo, cui ſunt concredita plura talenta.

1.Tim.6. DEVS omnipotens, Rex regum eſt & Dominus dominantium. Quot homines, tot eius villici, receptores, diſpenſatores. Multa illis bona largitus eſt, vni plus, alij minus; pro cuiuſque captu & conditione; ad rem vtilitatemque ex eis faciendam. Bona quædam, ſeu vt ipſe Dominus vocat, talenta ſunt omnibus communia: qualia ſunt; anima, corpus, quodque ad illa pertinet; vt etiam omnes creaturæ vſui hominis in communi conceſſę: ad vtendum illis, vel etiam carendum, ad maiorem conditoris gloriam, & ad finem, hoc eſt beatitudinem æternam, meliùs conſequendum. Quibuſdam plura, maioraq. aliis dona partitus eſt miſericors & iuſtus Dominus, tum in anima & corpore, tum in bonis externis: & prçcipuè in abundantiori gratia, qua ad perfectiorem eius notitiam, amorem, & mortis meritorumque eius ampliorem participationē perueniant, excellentioriq. poſtmodum gloria aliis longè prçfulgeant. Neminem tamen ita ſua gratia doniſque deſtituit, quin ei ſufficientia ad ſalutem media concedat; dummodò quodcunque eis lumen prætulerit, ſequantur, & conceſſa arripiant, donec ad neceſſaria ad ſalutem media pertingant: vnicuique ſua dona communicans, iuxta incomprehenſibilem diuinæ ſuæ Maieſtatis ſapientiam & voluntatem: *diuidens ſingulis prout vult*. Denique nemo eſt, qui iure de diuina bonitate & munificentia conqueri poſſit; quin non ſolùm ſufficientia ad ſalutem acceperit, verum etiam plura quàm meritus eſt, quamque eorum bonam rationem reddere valeat, ſi ad libellæ rigorem exigenda ſit. A

Omnes Dei diſpenſatores ſumus.

Omnibus ſufficientia ad ſalutem media dedit Deus.

1.Cor.12.

Horum omnium & ſingulorum ratio poſtulatur & datur in iudicio cuiuſque particulari, quod fit ſtatim atque anima è corpore migrarit; ſecundùm Dei ordinationem etiam ſuperiùs adductam: *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem iudicium.* Secundum hoc iudicium (quod ad diſtinctionem generalis iudicij in die nouiſſimo futuri particulare vocatur) in ſentētia proferenda procedetur. Vt dicit Auguſtinus: Vnuſquiſque in eo iudicabitur, in quo moriens inuentus fuerit. Illi ſententiæ in vtroque iudicio ſtabitur.

Iudicium particulare.

Heb.9.

Auguſt. de ſalut. docum.

Interrogatio autem erat; à quo Deus in iudicio duriùs exacturus ſit rationem. Idque ad explicationem primi dicti aſperi, ex tribus præcedenti Capite ſimul expoſitis. Reſpondetur: ab illo plura exigenda cui plura talenta concredita fuerint. Ita in omni œconomia accidit; quanta eſt apud Receptores accepti ratio, tanta & dati eſſe debet; aut neceſſe

1. Verbum aſperum; Redde rationem.

QVO PLVS ACCEPERIS, HOC MAIOR REDDENDA RATIO.



Durius vnde Deus repetet cum foenore ſortem?
Abs illo, cui ſunt concredita plura talenta.

Wie ſal voor Godt die leeft, meeſt rekeninghe gheuen?
Die meeſt talenten heeft vntfanghen in ſyn leuen.

Qui eſt plus contable, A ce redoutable, Bureau qu'attendons?
Celuy-la ſans doute, Qui fait banqueroute, De ces plus grands dons.

necesse est rationem reddere: vt iustitia & æquitas dispensationis constet, vel quæstor conuincatur iniquitatis. Si ratio Deo reddenda nihil aliud contineret, quàm acceptorum calculum subducere; neq. esset necesse vicissim ostendere, quomodo in illis sis negociatus, qualiter in Domini vtilitatem illis vsus fueris; quomodo expenderis; non esset quod tantoperè diem illum rationis exhorresceres. At exactam omnium reddere rationẽ tam dati quàm accepti; quanti hoc sit momenti, norunt meliùs qui experti sunt, quàm nos imaginari queamus.

Ita non rarò temporalibus receptoribus & œconomis accidit: sicut enim illi Receptores non datores appellantur, ita multo diligentiores sunt ad recipiendum, quàm ad elargiendum: ac si prior illa pars tantùm, & non ita etiam altera, ad officium ipsorum pertineret. Hinc, dum computandum est cum dominis, facilè quid acceperint constare potest; at non ita quomodo expẽderint facilè demonstratur: quod viduæ talium Receptorum magno suo malo & aliquãdo totius substantię iacturâ experiuntur. Nam ipsarum mariti Receptores dum viuunt, ita interdũ agere norũt, & omnia implicare & conuoluere, vt vix vnquam rectus rerum status perspectus habeatur. Dum verò mors textã hoc modo telam inopinata præscindit; nouit Deus, & in quos illud onus deuoluitur, quàm intricatus, quàm dubius, quamque miserandus sit ille defuncti computus. Vnde communiter & verè dicitur: Reddendæ rationis obligatio.

B Bonum est esse Receptoris vxorem: sed malum est esse Receptoris viduam. Ita dolenda est res, quando anima quasi viduata, sola omnium transactorum rationem reddere tenetur: quæ quamdiu corpori coniuncta erat, vnà cum corpore donis Dei abutebatur, illa dissipando, illisque carnis voluptatibus mundo & dæmoni seruiendo.

Prudens idcirco est, quisquis frequenter apud se, & coram Deo cum gratiarum actione & cum solicitudine computat; à se per verum conscientiæ examen rationem exigit: & præsertim circa particularia dona præ cæteris à Deo accepta; & etiam circa peccata quædam peculiaria. Nam vt dicit D. Gregorius, quod idem est cum Responsione huius Capitis: Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Et cui multum datum est, multum petetur ab illo. *Gregorius Homil. 9. super Matt.*

C Vt autem reddendæ rationis meliùs sit menti infixa necessitas: exi- Paradigma Iudicij.
D stima te stare coram iudice; & angelum tui custodem, libellum paruulum proferre, in quo quæcunque vnquam bona fecisti contineantur: illoq. prę defectu solatij, consilij, & auxilij discendente, aduentare cacodæmonem, ingentem librum producentem, in quo omnia peccata descripta legantur. Illoque instanter vrgente proferri sententiam, cogita quo sis futurus animo. Simile quid namque illi nobili desperabũdo per visum apparebat; de quo suprà ex Beda egi. Cap. LXXXVIII. Itaque ad bonam rationem reddendam, moueat te parabola à Christo

futuro

Matth. 18. Seruus nequam. — futuro iudice ad hoc propoſita, De rege qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis: quique decem millia talenta ſuppliciter veniam roganti remiſit. Verùm animaduertendum eſt, vt proximo quod in nos peccauit ignoſcamus, ne noſtra immiſericordia Dei in nos iram & indignationem iuſtè prouocet. E F G

Matth. 25. Seruus ignauus. — Ita nos etiam docet tēpori ſolicitos eſſe ad bonam rationem reddendam, Parabola hominis peregrè proficiſcentis, ſeruis ſuis bona diſtribuentis, & benè functos officio amplè remunerantis: corripientis verò acriter eum, qui pecuniam domini ſui in ſudario terræ mandarat. Si qui pecuniam integram ſeruarat, dominoque ſuo ſaluam reſtituebat, ita exceptus fuit: quid de nobis ſentiendum erit, qui cum mille talentis, non tantùm nihil fœnerati Domino ſumus, ſed nec vnum ſaluum fortè valeamus oſtendere? Similiter nos ad rationem noſtram probè diſponendam adiuuat anxietas & ſolicitudo villici illius, qui apud dominum ſuum fuerat diffamatus, quaſi diſſipaſſet omnia bona ipſius. Cui durum illud & penetrabile verbum, vt inexpectatum telum, intortum eſt: *Redde rationem villicationis tuæ.* Iam enim non poteris ampliùs villicare. Hac ſiquidem parabola inſtituere nos voluit benigniſſimus Dominus, vt tempeſtiuè, dum adhuc viuimus & ſani ſumus, frequēter rationes noſtras dati & accepti reuoluamus, excutiamus, & ritè diſponamus; ne cùm ad rem ventum erit, confundamur, & in carcerem detrudamur, vnde nunquam liberemur. Adiuuat nos etiam ad hæc hiſtoria, hoc eſt narratio filij prodigi; vnicuique ſatis cognita, ſi ſatis applicata.

Luc. 6. Villicus iniquitatis.

Luc. 15. Filius prodigus.

Qui igitur extremo illo die claram, iuſtam, & exactam rationem reddere deſiderat, quotidie, veſperi præcipuè, conſcientiam examinet, quomodo diem illum, & totam eouſque vitam tranſegerit: quo ſtatu ſit anima, ſi fortè nocte illa ex huius corporis ergaſtulo eſſet euocanda, iudici ſiſtenda, rationem roganda. Sic enim & ſæculares mercatores, & prudentes receptores ac œconomi faciunt; quotidie ſub veſperam ſtatum rerum ſuarum explorantes. Et hæc omnia meritò; quia, vt canit Eccleſia in perſona cuiuſque Fidelis de ſe demiſſè ſentientis, & pro ſe ſoliciti: *Quid ſum miſer tunc dicturus? Quem patronum rogaturus, Dum vix iuſtus ſit ſecurus?* Nam vana non eſt, licet in vita ſtultus eſſet, cuiuſdam apparitio & reſponſio; cùm enim à domino rogaretur poſt mortem apparens eius ſtultus, reſpondit: Rigidè computatur, & nihil remittitur. Ideò benè oratur ab Eccleſia: *Donum fac rem ßionis, Ante diem Rationis.*

Dies iræ, &c.

Cum ſacerdote Chriſti vicario hîc computandum. — Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, quòd facultatem nobis fecerit, toties quoties volumus hîc cum ipſius vicario computandi, & debitorum noſtrorum remiſſionem per pœnitentiæ Sacramentum recipiendi. Quique nos certos reddidit, verbo ſuo vt ſigillo conſignans,

fore

fore vt in cælis remissum sit & solutum, quidquid hîc sacerdotes remiserint & soluerint super terram. Quàm multæ animarum myriades citra hoc remedium interirent: immò quàm paucæ saluarentur! quia quis post Baptismi plenariam ablutionem, albam suam vestem immaculatã cõseruat, vbi ad annos discretionis peruenerit? Et quandoquidem post Baptisma peccantibus non est ad illud de nouo recursus, quò confugeremus peccatores, si hoc tam salutare Pœnitentiæ Sacramentum à Christo institutum non esset? *Matth 18.* Beneficiũ Sacramẽti Pænitentię.

Viderint nunc quàm prudenter agant, qui hanc gratiam hîc rationes cum Christi vicario subducendi contemnunt: quique hoc graue causantur, quod maximo nobis est leuamini. Etiamsi semel tantùm, vel ter, aut septies ad summum à Christo concessum esset eo modo per absolutionem sacerdotalem in gratiam redire, quis vnquam sufficientes agat gratias? Nunc autem nullo posito numero; quoties opus habemus, licet accedere, culpam fateri, meliora promittere, & veniam obtinere. Qui immensam hanc gratiam negligit, videat quo modo rationem cum ipsomet Domino ponet, quando ea non iam ad remissionem sed ad retributionẽ condignam erit reddenda. Sicq; de verbo otioso, vt ipse prędixit, quid de aliis fiet? *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Tunc volent eiusmodi, se quotidie & Confessionem, & sacram Communionem frequentasse; quotidie conscientiam examinasse, & vitam suam excussisse ad vnguem; qui iam magnæ pœnæ loco habent, semel in anno hæc obire. *Iob 9.*

Cùm itaque sciamus, iustissimum illum omnium iudicem Christum oculis capreę perspicacissimis corda & renes inspecturum, ipsas quoque iustitias & virtutes iudicaturum, & scrutaturum Hierusalem (quietas inquam tranquillasque conscientias) in lucernis; hoc est, exactissimè; quis non videat consultissimum esse, vt tempestiuè bona omnium fiat discussio; ac rationes dati & accepti benè concinnentur? *Sophon. 1.*

Oratio ad reddendam Deo bonam rationem.

SI ad vltimum vsque quadrantem satisfieri tibi voles, Domine, quis sustinebit? at rigidissimum illum calculum in extremum reseruas diem: Da igitur vt ita modò cum tuo vicario rationem reddam, veniámque obtineam, vt me extrema illa reddenda ratio non percellat. Amen.

CAP. XCIV.

Quàm durè hoc pauidas vibrabitur, Ite, per aures?
Quantus ab æthereo nunquam fragor ingruit axe.

Genes. 3. QVVM Adam ſonitum tantùm, hoc eſt minimum indicium A
Domini deambulantis in Paradiſo perciperet; fugit cum vxore ſua, & abſcondit ſe à facie Domini. Cumque à Deo vocaretur, rogareturque vbi eſſet, reſpondit: *Vocem tuam Domine audiui in Paradiſo, & timui.* Quid, obſecro, futurum eſt de voce illa, quæ fiet non in Paradiſo, non à quærente & vocante ex miſericordia ad ſolatium, auxilium, & ſalutem, qualis illa erat vox Dei ad primum parentem: ſed quæ ab illo procedet, cui à Patre data eſt omnis poteſtas, in cælo & in terra, ad expoſtulandum, corripiendum, vindicandum, iudicandum & condemnandum?

2. Verbum aſperum: Ite.

Matth. 28. Ioan. 5. Luc. 12.

Quando efferati illi Iudæi Saluatorem noſtrum in horto quærebant, ad ligandum & capiendum eum, vi atque efficacia dulciſſimæ illius vocis agni mitiſſimi Ieſu: *Ego ſum*; omnes in terram retrorſum ceciderunt, perinde ac ſi fulmine icti profligatique fuiſſent. Quid igitur expectandum ab illa tremenda atque horribili voce, qua dicet iis qui à ſiniſtris ſtabunt: *Ite, recedite à me*? Si ſuauis vox agni, parati ad victimam pro ſalute etiam ſuorum raptorum, ita eos perculit; quid futurum exiſtimabimus, quando ille idem ex agno in leonem rugientem conuerſus, omnem ſuum furorem atque iram accenderit; ſuoſque angelos miſſurus eſt, qui inimicorum ipſius manus & pedes ligent, & mittant in tenebras exteriores? quid tunc talibus animi, quando pugnabit pro eo vniuerſus orbis terrarum? B C

Ioan. 18.

Quàm durum tonitru, Ite?

Interrogatur itaque modò, quàm durè illud [Ite] per pauidas aures vibrabitur? Dicit Reſponſio, quod & verum eſt; quantus nunquam fragor ab ęthere ingruit. Sic ſanctus Iob loquitur huic Reſponſioni conuenienter: *Cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus; quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri*? Propheta regius conſonat, aut contonat potiùs, viciniùs ad rem adhuc accedens: *A voce tonitrui tui formidabunt*. Ac ſi dicat: Aquæ, hoc eſt inconſtantes, qui fluxum huius mundi velut flumina Babylonis amauerint, iiſq; confiſi fuerint, illi à voce tonitrui tui, vel potiùs à tonitru vocis tuæ formidabunt: quia hìc ſuauem ſibilum auræ tenuis Spiritus ſancti audire contempſerunt. D

Iob 26. *Pſal. 103.*

Exod. 20. Quando filij Iſraël videbant voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem, cùm Deus legem ſuam per Moyſem daret; perterriti, ac pauore concuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi: E

Loquere



Quam dure hoc pauidas vibrabitur Ite per aures?
Quantus ab æthereo nunquam fragor ingruit axe.

Hoe hardt werdet om draghen, dat scherp woordt: Gaet vā my?
Die hardtste donderslaghen en hebben al niet by.

Quel triste merueille, Sera-ce a l'oreille, Ce, VATEN DE MOY?
Il ny a tonnerre, Escabulant la terre, De si grand effroy.

Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.
F Quid erit igitur, quando idem iudex venturus est, de quo dicit Amos: *Leo rugiet: quis non timebit*? Quid futurum, inquam, quando Christus legislator, etiam cum sono tubæ (*canet enim tuba*) rationem Legis obseruatæ vel neglectæ exacturus est? Et sicut omnia Dei opera perfecta sunt; ita perfectissima absolutissimaque iustitia futura est, quando ad illam exercendam se accinget: tunc omnes creaturæ eius iudicio opitulabuntur, ad maiestatis, iræ, vltionis, & districtionis augmentum, contra insensatos peccatores.

Amos 3.

Sap. 5.

Quisquis igitur tunc tonitru illius vocis [Ite] volet euadere; audiat nunc cum D. Ioanne libenter bonoque animo, vocem tonitrui illius quam in sua Apocalypsi vocantem audiebat, quæque adhuc, quamdiu viuimus, vocat: *Veni & vide.* Quæ vox est Christi nos ad se vocantis, quo illuminemur, videamusque quid facto aut non facto sit opus: vtque tandem videamus quæ Deus in cęlo præparauit diligentibus se: interim ad eum accedamus, vestigia eius sequamur, & vultum eius requiramus.

Apoc. 6.

Quo animo existimamus Petrum illum Telonarium fuisse, quando in ægritudine visus sibi est ante huius iudicis stare tribunal, vt sententiam acciperet: & præsertim, quando bona sua facta exigua, contra ingens illud horrendumque pondus suorum criminum æqua bilance trutinari videret, hoste diabolo pro sinistra parte rem exaggerant: nihilque angeli reperirent, quod dextrę lanci in meritorum partem apponerent, præter vnicum illum panem, quem aliquando iratus (lapidis loco) in pauperem coniecerat; qui cum suis consodalibus certarat, se vel importunè à dicto Petro, omnibus pro tenace satis noto, aliquid extorsurum? At res meliùs cessit quàm cœperat: nam loco eius asperi dicti ac tonitru, Vade vel recede à me: dictum ei est pacificè: Vade, & adiice huic pani aliquid, vt oppositam partem superet: iam enim aliquantulum eam panis solus eleuarat. Iuit, sua dedit pauperibus, se Christi nomine vēdidit; & abundè ingentem pani cumulum meritorum adiecit: vt in Iudicij die non ampliùs vocem illam [Ite] timere debeat. Ita nos quoque, si sapimus.

Surius to. 1. in vita S. Ioannis Eleemos.
Petrus Telonarius in Iudicio.

Oratio vt mitem in Iudicio sententiam audiamus.

SI iam ne verbulū patienter inaudimus, quomodo in extremo iudicio asperum illud verbum, Recedite à me, *audire poſſemus? Quocirca pijſsime Domine Ieſu, fac ita nunc inſonet vox illa in aures noſtras, vt in die illa tremenda, iucundam illā beatorum ſententiam audiamus:* Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. *Amen.*

CAP. XCV.

Quàm lõgùm Æternũ durat? fors mille per annos?
Millia myriadum trismyriadúmque nihil sunt.

Aeternitas incomprehensibilis.



TAMETSI Æternitas tam beatorum quàm damnatorum est; quia tamẽ hîc pro duro atque aspero verbo accipitur; horribilis, pœnosa, & quæ damnatorum Æternitas, intelligenda est: iuxta ferendam in tales sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum: ibúntque hi in combustionem æternam*. Erit profectò A
3. Verbum asperum. asperum hoc verbum, cor impiorum transuerberaturum, & ita oppressurum, vt nesciant quò se vertant.

Quando Æternitatis immensitas consideratur, verum hoc esse deprehenditur quod dicitur: Longum non est quod finem habet. Quo innuitur, hoc solùm longum debere dici, quod fine caret: quodque semper æquè prolixum est, quantumcunque ex eo decursum fuerit.
Gregor. Sic D. Gregorius ait: Pro magno haberi non debet, quod fine complectitur. Æternum, longum igitur & magnum admirandumque est meritò; cuius longitudo & diuturnitas nullis verbis aptè exprimi potest: neque mente concipi, neque vlli alij rei comparari, quæ etiam
Augustin. quæst. super Genes. lib. 1. non sit æterna. Breuiter ita D. Augustinus: Æternum est, cuius finis non constituitur. Habet propterea ista Interrogatio; Quàm longùm Æternum durat? an fortè per mille annos? Hoc enim longum tempus censeri solet, de quo meritò prę diuturnitate dicatur, quod dicimus communiter quando longum temporis spatiũ volumus significare; in omnem æternitatem; æternum est antequam redeat. Sed ex vsu assumtus tantùm iste loquendi modus est, neque vllo pacto propriè acceptus, sicuti hîc de Æterno propriè sumto rogatur. Dicit idcirco benè Responsio: Millia myriadum trismyriadumq; nihil sunt. Ratio est: quia vbi finis non est, nihil est quod numeretur mensuretúrve ad hoc, vt numerus vel magnitudo sciatur eius quod immensum est.

Quàm admirabile verè verbum est: Æternitas! immò quàm res admirabilis potiùs est cogitanti & æstimanti, sed præcipuè percipienti & probanti! Etiamsi quis in tormentis esse cogeretur, donec totum mare guttatim exhauriretur; singulis mille annis guttam vnam eximendo, spes esset, fore vt tandem tanta moles aquarum aliquãdo euacuaretur, posito quòd nihil interim influeret: at mille annorum millia respectu Æternitatis, non sunt guttæ vnius instar respectu maris, etiamsi mare decies millies maius esset quàm est.

Quomodo tunc, cùm serò erit, eos pudebit, & pigebit, tædebitque, qui



Quam longum ÆTERNVM durat? Fors mille per annos?
Millia, myriades, trismyriadesque, nihil sunt.

Hoe lanck is Eeuwicheyt? Ist vock wel duysent iaer?
Naer duysent duyst gheheyt, ist altyts euen naer.

Combien d'ans enfile, L'Æternité? Mille, Ou mille enuiron?
Tu n'y peus attaindre, Quand tu voudrois feindre, Ia maint million.

qui neglexerint; dum videbunt, se momento vno salutari opportunè, tempore gratiæ impenso, potuisse in vita sua acerbam illam, horribilem, & lamentabilem æternitatem redimere, & euadere! Hoc tam est efficax, benè expensum, & cordi impressum, vt ne ictum quidem oculi, neque breuissimum temporis spatium velit quis infructuosè præterire vel perdere. Maximi propterea momenti sententia est illa, menti mortalium penitus infigenda: Magnum momentum, à quo pendet Æternitas. Momentum est breuissimum temporis spatium: vt Apostolus dicit, *In momento, in ictu oculi*. Nónne res pretiosa valdè, momentum in tempore gratiæ saluti curandæ concessum, cùm eius pretio & merito non solùm luctuosam illam gehennę æternitatem euadere valeas, verùm etiam ęternam illam beatitudinem & beatam æternitatem possis promereri? E contrà si neglexeris, erit tibi felix illud, sed neglectum momentum in singultum, & acerbum conscientiæ remorsum, cum maledictæ ęternitatis accessu, si ita moriaris. O beatum, inquam, momentum, quo timendam pœnarum in beatam gloriæ æternitatem fas est mortali commutare! Meritò igitur Æternitas animo infigatur, cuius memoria quanti momenti momenta sint singula faciat æstimare; & non data opera tempus fallere, tempusque terere: sed potiùs aduigilare ne elabatur. *O Aeternitas, Aeternitas!* ne discedas à meo cogitatu. Vigilem me conserua in omnibus actibus meis; vt iuxta tuæ normæ æquitatem omnia mea disponam. Iuxta seriam admonitionem, quam mihi dat spiritus Dei per Prophetam suum in exemplum: *Annos æternos in mente habui*. Vnde etiam opportunè desumtum est, quod Episcopo, iam consecratione eius completa, dicitur: *Annos æternos in mente habe*. Vt, qui ingens pondus in humeros suos susceperit, cuius in extremo iudicio exactam redditurus est rationem, cum æternæ damnationis interminatione, si non fecerit satis: vbi quisque plus satis habiturus est negotij, quo se suamque causam tueatur, & pro se solo respondeat.

1 Cor. 15. Felix & pretiosum momentũ tempore gratiæ.

Tempus fallentes, se fallunt.

Psal. 76.

Pontificale Rom.

Veniet sine dubio tum satis in mentem Æternitas, eiusque condignus horror & æstimatio, quando iam, qui neglexerint, sentire eius vim incipient. At si modò, quod satius est, eius præambulum aliquod experimento cupis accipere: Imaginare tacitus tecum, etiam si rectiùs vis, clausis oculis, te tuam animam videre ad littus maris stãtem, & paruo cochleari aquam maris haustam in profluentem iuxta fluuium effundere, qui fluuius à tergo gyrum aliquem faciens, iterùm in mare refluat, cum omnibus aliis fluminibus in idem mare confluentibus: & interim misera tua anima, tam diu à malignis spiritibus acerrimis flagris & tormentis afficiatur, donec totum mare ad dictum iam modum exhausisset; quid videtur? quãdo illa quęso liberaretur? nunquam, in æternum: quia res illa sic posita finem nunquam acciperet.

Salutaris imaginatio.

Alia codẽ spectans meditatio.

Imaginare similiter, si alius suam videat animam, iuxta ingentem montem quæ illum vnico tantùm puluisculo sigillatim accepto, tollat, & in alium locum transferat: vento interim omnia iterùm post eius tergũ ad montem ipsum reflante; & secum arenosa quæque alia rapiente: quæ spes consummandi aliquando cœpti laboris; quæque spes solatij miserandæ illi animæ, si interim à tortore tartareo intolerabilibus cruciatibus torqueretur? Res haud dubiè æterni temporis existeret. Quàm iniqua igitur vanorum mortalium sors, dum potiùs momentaneum eligunt quod delectat, cum æterno quod cruciat; quàm momentaneum quod cruciat, cum æterno quod delectat.

Aequitas diuinæ iustitiæ in damnationem peccatorum.

Conqueri certè nemo spe sua frustratus poterit meritò de Dei iustitia, quam tanta præcesserit misericordia; quæ est super omnia opera eius: nam discussis omnibus, quouis modo peccator in peccatis suis à morte comprehensus, cadit causa. Si peccauerat; quare non se ad thronum misericordiæ Dei conuertit, cuius infinitus est ad miserendum thesaurus? Quare non egit pœnitentiam? cur veniam non rogauit? cur misericordiæ opera non exercuit, vt in die vindictæ misericordiam inueniret? quare non ingemuit? Sique æternùm damnatur, æquum est. Licet enim peccatum, actus sit temporaneus & finitus, in se transiens non transit tamen, sed permanet in æternum eius indignitas & culpa, quia contra infinitam & immensam Dei maiestatem commissum est: debetque propterea æternùm puniri. Quin etiam, qui peccat quàm diu viuit, si æternùm viueret, æternùm quoque peccaturus æstimatur: in voluntate namque æternaliter peccare censetur, vnde etiam æternaliter torqueri meretur. Cùm igitur peccator, quoad voluntatem in æternum peccasse censeatur, & contra infinitum & immensum Deum peccauerit; immensam pœnam meretur; & cùm in anima & corpore finitus sit, & ita immensæ pœnæ incapax, ęquum est vt æternã & infinitam, quoad durationem, sustineat pœnam. Quinimmò ea gratiæ potiùs & misericordiæ est, quàm summũ ius, summusque iustitiæ rigor, vt quod in immensitate meruerat, & ferre non poterat propter incapacitatem, hoc in ęternitate compenset.

Peccator censetur ęternaliter peccare: quoad voluntatem.

Electio vitę vel mortis datur.

Insuper, quid excusationis adferre poterunt, qui horribile illud æternum sortientur, cùm illud ipsi elegisse censendi sint? Nónne posuit ante nos Dominus ignem & aquam: vt ad quod voluerimus extendamus manum nostram? hoc est, ad deflagrationem gehennalem per peccatum; vel ad cæleste refrigerium per virtutem? Denique nunquid optionem dedit, dum temporum spatia & rerum discrepantiam ita prudenter & misericorditer temperauit, vt laborem in breui huius vitæ curriculo statuerit, præmium verò in altera vita quæ ęterna futura est? Quis conqueri queat, si aliter ei quàm tunc velit eueuerit, cùm iam ita elegerit? Ita siquidem se res habet atque si detur optio, vt hinc in

in forū ſacco indutus, & in plateis dicteriis, opprobriis, cœno & ſordibus, immò & verberibus impetitus incedas; & acutis ſaxis, immò ſpinis inambules: at vbi ad terminum perueneris, ſacco exutus, regalibus veſtibus circumdatus, ſceptro & corona decoratus, totius mundi rex conſtituaris. Aut è contrà: vt eandem viam conficias regalibus amictus ornamentis, per plateas laudibus, encomiis, & præmiis exceptus, per flores incedas, omniſque lætitia & triumphus in tuam oblectationem exerceatur, rex mundi conclameris, Deus quiſpiam (ſi voles) fingaris: at quando viam illam conſummaſſes, veſtibus pretioſis ſpoliatus, ſacco indueretis, vel nudus flagris tantùm & opprobriis onuſtus eiicereris, & deinceps in æternum cruciareris. Si optio daretur, eligereſque hîc potiùs ac tantillo ſpatio voluptati obſequi, & in æternum poſtea luere, quàm vice verſa paruo patientiæ compendio æternam gloriam mercari; nónne inexcuſabilis eſſes, ſi te facti ac conſilij tui ſerò poſtea pœniteret? Meritò talis conqueri non poſſet, ſed eſſet omnibus querelis & lamentis mundi meritò deploranda eius fatuitas & inſania. Maneat itaque Aeternum hoc alta mente repoſtum, vt temporaneum ſecundùm illius iuſtam optionem prudenter ac prouidè diſponatur: quia tunc irreuocabile eſt futurum. Neque D enim temerè æternus cruciatus per ſerpentem, annuli in modum caudam ſuam mordicus tenentem, figuratur.

Tempus laboris, breue: mercedis, ęternum.

Bona conſideratio.

His pro coronide ſubiiciam, quod Ioſaphat Auenir Indorum regis filio, æternorum in ſomnis adumbratione, Ioannes Damaſcenus accidiſſe commemorat. Is Barlaam eremitę induſtria & diſciplinis ad Chriſtianitatem conuerſus, meretriculæ cuiuſdam forma blanditiiſque & procacitate fuiſſet captus, niſi diuina miſeratione contigiſſet, vt parumper obdormiſcens, & Sanctorum gloriam, & damnatorum pœnas videret. Si ergo iſta per ſpeculum, & in ænigmate, & per quandam ſoporis vmbram viſa tantam vim habuêre; quid virium, quantumque efficaciæ haberent, ita vt ſunt conſpecta, & quadam quaſi mentis lingua delibata?

Io. Damaſ. in vita Barlaam.

Oratio pro ſalutari Æternitatis memoria.


O *Pretioſum momentum, à quo pendet æterna* Æuiternitas! *Da, Deus omnipotens, vt Aeternitatis memoria ita cordi noſtro infixa reſideat, quatenus omnia noſtra ſic diſponamus, vt æterna damnatione vitata, ad gloriam æternam mereamur peruenire. Amen.*

CAP.

CAP. XCVI.

Omnia quid rerum ſupra eſt portenta fidemq́ue?
Quòd ſcelerū ſub mole gemit neq; terra dehiſcit.

Admirāda innumera.



VM tam admiranda ab ipſo mundi principio in hunc vſque diem fecerit omnipotens Deus, tam in omnium rerum creatione ac conſeruatione, quàm in abditis noſtræ redemtionis myſteriis: tum quoque in prodigiis ſtupendis olim in populi Iſraëlitici gratiam patratis; tum in tam præſtantibus miraculis, in humana carne per ſe & per ſuos factis; qualia & adhuc interdum ſpeciali Sanctorum ipſius fauore, mundo exhiberi audimus & videmus: non eſt quòd exiſtimet aliquis hac Interrogatione requiri, quod ſit omnium mirabilium illorum maximè admirandum. Hoc enim ſoli Deo cognitum eſt: neque ad nos pertinet vllo id modo inueſtigare aut cognoſcere. Sed Interrogationis Reſponſioniſque ea eſt intentio: indicare, vnum eſſe ex admiratione dignis, quodque meritò ſit animaduertendum, pluſquam communiter ab hominibus animaduerti videmus: id autem eſt, Dei longanimitas & miſericordia, non obſtante peccatorum multitudine ac grauitate. Adeò vt huc referri poſſit quod dixit Philoſophus: Propter admirari, cœperunt homines primùm philoſophari. hoc eſt, cœperunt primùm diligenti ſtudio intellectum, veritatem, & rerum cauſas inueſtigare. Qua agendi ratione, velut quadam diſtillandi arte, Philoſophi ex cauſis nobiles & diuinos aliquādo conceptus, vt virtutum ſuccos, elicuerunt: quorum efficacia quaſi terrenis deſpectis derelictiſque, ſublimiora petentes, ad excellentiorem aliquam Creatoris ac Domini omnium, æternique ac omnipotentis Dei notitiam (quantum illa ætas permittebat) veniebant. Quemadmodum nos quoque frequenter ad penitiorem rerum plurimarum cognitionē penetraremus, ſi paulò plus ſuper creaturis, & rerū cauſis atque euentibus philoſopharemur; ſicuti D. Chryſoſtomus familiarem eiuſmodi philoſophiam Chriſtianis eſſe peroptabat. Quid namque bonorum conceptuum, cogitatuum, & motuum animi ad quaſcunque etiam virtutes non eliceremus, ſi vſitatior nobis eſſet mirabilium operum Dei & miſericordiarum eius conſideratio? Hinc fieret, vt per viſibilium cognitionem in inuiſibilium altiorem notitiam veniremus; ſicut per ea quæ facta ſunt, ad eum qui fecit omnia pertingitur: & per corruptibilium inſpectionem, ad incorruptibilis tandem naturæ ſpeculationem peruenitur: quemadmodum etiam in viliſſimis rebus, quando animus applicatur, licet philoſophari.

Vnum, inter reliqua, non infimum, Dei longanimitas.

Ariſtoteles 1. Metaph.

Philoſophari vtile eſt.

Chryſoſt.

Verùm, ſicut idem Chryſoſtomus inquit, miracula aſſiduitate vileſcunt.



Omnia quid rerum ſupra eſt portenta fidemque?
Quod ſcelerum ſub mole gemit neq; terra dehiſcit.

Noemt een wonder van deghen, dat al te bouen gaet.
Dat de ſonden ſoo weghen, en de Werelt noch ſtaet.

Quel grand cas ſurpaſſe, Et eſtrange effache, Tous eſtonnemens?
Que le pecheur Monde, Au grand faix ne fonde, En ſes elemens.

lescunt. Quis miratur solem ita suum cursum tenere, & diem ac noctem vices suas ita obseruare? iuxta illud Psalmistæ: *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Quis fluxum & refluxum maris admiratur; quem æstum vocamus? Quis continuum fluminum cursum? quis pluuiam, niuem, grandinem, ventum, segetem, flores, gramina, & id genus infinita alia tum animata, tum inanimata miratur: quorum ne minimam quidem partem dignè omni nostra philosophia consequamur? immò etiamsi toto vitæ nostræ tempore super minimo aliquo puncto desudaremus, latens Naturæ secretum nequiremus eruere. Ostendat mihi magnus quispiam rerum æstimator cerebrum & membra acari, seu chironis; excutiat industriam apis, & formicæ solertiam; oculi fabricam & vsum, seu aliquid eiusmodi pro meritis expendat. Et tamen hæc nemo admiratur; quia quotidie videntur, familiaria sunt. Ita ferè in miraculis, signis, fideique nostræ mysteriis accidit. Interim nos insipidi sapientes, vaniq́ue admiratores rerum, tanti facimus, ita admirabundi suspicimus hominis in agendo dexteritatem, artem, structuram, vocem, pulchritudinem, robur, eloquentiam, peregrinum amictum, ornatum, opulentiam, ingenium, solertiam, agilitatem, varietatem plusquam histrionicam, & similia vana, caduca, fallacia, & vt plurimùm noxia, Deoq́ue displicentia: nobisq́ue ipsi admirandi videmur præ iudicij acumine dum hæc admiramur: miramurq́ue, si non totus mundus nobiscum illa eadem admiretur. Et interim ignoramus, admirandam esse nostram insipientiam, qui talia tanti facimus, & Dei miranda negligimus. Parum verè cogitamus, quod dicit Chrysostomus: Qui humana admiratur, nulli erit admirationi. Ratio ex D. Augustini sententia proferri potest, quâ sic ait: Non erit magnus, magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides; & quòd mortales moriuntur.

Psal. 118. Admirāda vsu vilescunt.

Vanè vana admiramur.

Chrysost. *Augustin.*

Tali sententiâ cuiusdam sapientis se consolabatur ipse Augustinus in magna & acerba illa vastatione & persecutione VVandalica, qua Africa diuexabatur. Et verè ita est: vsque adeò aliquando in re futili admiramur, siue in bono, siue in malo, ac si omni admiratione dignum esset; & interim ad mirabilia Dei, omnem captum, industriam, philosophiamq́ue nostram superantia non attendimus. Tale est vnum è multis, quod modò quæritur, & in Responsione proponitur; scilicet, quòd terra sub scelerum mole gemit, neque tamen dehiscit. Quòd scilicet mundus præ peccatorum grauitate ruinam minatur, & tamen adhuc immensa Dei benignitate sustentetur; vt interim peccatores conuertantur. Diuus Hieronymus ad Gaudentiū scribens hoc etiam notabat: Proh nefas! (inquit) Orbis terrarum ruit: & in nobis peccata non ruunt.

Terram, sub mole peccatorū non ruere, admirabile.

Hieronym. ad Gaudent.

Inter omnia mundi miranda hoc ex infimis non est, quòd tota terræ

Terræ miranda moles, & conditio. moles ſe ipſa ſuſtentet; nullo neque fundamento, neque alio fulcro quàm ſua mole nitens; in medio aëre librata ac pendula: ſuopte pondere partibus omnibus æqualiter vndique ad centrum contendentibus ſtabilita, mirabili Dei prouidentia. Sic dicit Propheta: *Fundaſti* Pſal. 118. *terram, & permanet*. Super quo fundauit eam? nam extra eam nihil eſt quod loco fundamenti eſſe poſſit. Aër enim circumiacet, qui totum terræ globum, & aquas omnes, certis terræ alueis vt finibus contentas, ambit: nec verſus aërem nititur terra, vt res fundata verſus ſuum fundamentum ſolet, ſed ab eo recedit: aëre ſurſum, terra naturaliter deorſum tendente.

Super quo igitur fundauit terram Deus, vt ita permaneat manſuraque ſit in perpetuum? Dicit alibi: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem* Pſal. 103. *ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi*. Cælum quidem & terra tranſibunt in die nouiſſimo, ſecundùm qualitates, ſed non ſecundùm ſubſtantiam. Ignis enim conflagrationis, exuſtis omnibus quæ ſuper terram ſunt, eius etiam ſpeciem reformabit. Inter omnia itaque admiranda hoc vnum eſt, quòd terra, quæ tam firmiter ſuper ſe ipſa fundata eſt, propria ſua mole, quaſi ſenio confecta, paulatim videatur deficere & labaſcere; vt quæ potis non ſit ſe ampliùs ſuſtentare; grauata tamen inſuper pondere peccatorum importabili, non labatur, neque fatiſcat; ſed adhuc perduret, & ſibi conſtet. Quemadmodum mirum videretur, ſi decrepitus, vix ſe ſcipione ſuſtentans, etiam ſarcinam grandem incuruo & ſenili dorſo ſuſtineat, neque ſuccumbat. B

Terra, ſenio confecta.

Quis dubitet, mundum ad deuexam ſenectam perueniſſe? Nam hinc dicitur Chriſtus veniſſe ſub mundi veſperam; *Vergente mundi veſpere*: hinc dicitur nouiſſima hora eſſe, & finis ſeculorum; nouiſſimi dies, quibus ſeculi conſummatio imminet. Attamen in extrema ſenectute planè decrepitus, cùm ſe iam vix ipſe ſuſtentat, ingentem inſuper cogitur ferre criminum ſarcinam. Mirúmne igitur, cùm ſingulis paſſibus & momentis ſuapte mole minetur ruinam; ſtare tamen adhuc, nec ſub tanto ſcelerum faſce corruere? Quantum ſit onus peccatorum, Prophetæ Hieremiæ viſio demonſtrat: in qua *talentum plumbi, & maſſa plumbea* nuncupatur. Hinc quoque grauitatem peccatorum expende. Cùm Cæli ingentia illa corpora, ſolem, lunam, & ſtellas, præter ſuammet vaſtitatem, non ſolùm ferant, ſed etiam circumferant abſque ruinæ periculo, vnicum tamen peccatum ferre nequiuerunt: ſed ſtatim per ſolidas illas machinas peccatum cum ſuo auctore Lucifero delapſum, etiam terram penetrans, ad fundum abyſſi infernalis deſcendit. C D

1. Cor. 10. Gal. 4.

Onus peccatorum. Zach. 5.

Terra etiam, quæ caſtella, vrbes, montes, regiones, & quidquid ſupponitur, ſuſtinet; aliâs adhuc peccato cedens, præ pondere fatiſcens peccatores abſorbuit, Core, Dathan, & Abiron, cum aſſeclis, totaque E F

Num. 16.

eorum

eorum substantia. Quo argumento terra testata est, se grandem hanc peccatorum sarcinam non sponte sua ferre, dum sustinet: sed singularem admirandamque esse Dei misericordiam, benigna sua manu eam sustinentis. Quemadmodum visa est hoc ipsum minari, & contestari, quando ob scelus omnium infandissimum in Dominum ipsum commissum, petrarum scissione, & montis Caluariæ trepidatione, terræque motu ostendit, se omnia cum sceleribus illis absorpturam fuisse, & in profundum tartari transmissuram, si sibi permissa fuisset. Et nisi iam Christus, velut verus agnus Dei, omnia peccata mundi super se tulisset; non ad vindicandum, sed ad morti illa tradendum. *Matth.27.*

G Alioqui, terram ferre peccata, & non succumbere, tam admirandum est, quàm si arcem vel ciuitatem scaphæ chartaceæ impositam Oceanum traiicere videas, quæ ipsa per se sine pōdere statim minimo vento agitata, aut vndula aquæ consperſa subsideret. *Isaiæ 18.*

H Hanc igitur admirandam Dei misericordiam perpende; qua sicut olim aquam sub suis suique Apostoli Petri & aliorum interdum solidauit vestigiis, vt inambulantes præter naturam ferret; ita terrā quasi suę Passionis instrumentis suffulciens ne labatur, sub pondere peccatorum tuorū durabilem efficit; vt tempus habeas pœnitendi, & gratiā tanta tibi longanimitate indultam tandem aliquando consequare. *Matth.14.*

Audiant meritò tergiuersatores & vitæ melioris procrastinatores iustissimam clementissimi Domini querelam, qua sic nobiscum per Prophetam expostulat: *Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: Populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum. Confusi sunt sapientes, & capti sunt: verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.* *Ierem 8.*

Hinc non sine causa fleuit amarissimè Saluator noster super ciuitatem Hierusalem, dicens: *Quia, si cognouisses, & tu: & quidem in hac die tua: quæ ad pacem tibi. Sed, non cognouisti tempus visitationis tuæ.* *Luc.19.*

Oratio ad peccati horrorem & detestationem.

IMportabile pondus super humeros nostros attollimus, Domine Deus, quando peccata committimus; vt mirum sit nos ferre, quod nec cælum, nec terra tulerunt: aperi, quæsumus, oculos nostros, vt fœditate peccati perspecta, horrorem concipiamus, & illud in æternum auersemur. Amen.

CAP. XCVII.

Cur pauci emergunt vitiorum fluctibus hausti?
Non adhibere manus, tantùm bona discere curant.



Cur tam pauci à peccatis conuertantur.

QVOD si post cibum potumque sumtum, æquè semper fames sitisque vexarent; post sementem, nunquam seges sequeretur; post sumtus molestiasque remediorũ nil morbus remitteret; post opus & laborem, res æquè infecta maneret atque si nunquam manus admota fuisset; quanta admiratione caperentur, qui ita frustrà in omnibus laborassent, oleum perdentes & operam? Et hæc quidem omnia quotidie accidunt in sensu spirituali, quoad animæ nutrimentum, spiritualem sationem, curationem, & opus, per verbum Dei in Ecclesia Christi; & pauci admirantur sinistrum hunc successum, & tot rerum frustrationem. Frequentet puer quispiam, licet tardioris ingenij, scholas; discat alius opificium; nihilque vel parum toto anno proficiant, præsertim si plures ita anni frustrà consumti fuerint: quæ spes patientię? quis non erit particeps querimoniarum? quid non de talibus præceptoribus in medium proferetur? de temporis iactura, de pecuniis incassum expensis, de ineptia & rei indignitate? Et interim scholam Christi, Ecclesiam inquam, toto vitæ spatio frequentamus; & æquè insipientes manemus, & æquè indocti; vix ipsum vitę Christianę Alphabetum tenentes; iuxta illud Apostoli: *Cùm deberetis magistri esse propter tempus; rursum indigetis, vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

Hebr. 5.

Nónne pudor est, nos non raró ad eam annorum ætatisque perfectionem, officiorum statuumque functionem peruenisse, vt nihil amplius desiderari videatur; & interim nec ipsum nominis nostri Christiani primum titulum vel apicem cognoscere? Vniuersæ concionatorum voces, omnes cælitus immissæ castigationes, cuncta Dei in nos collata beneficia nobis intonant, & quotidie ingeminant: Conuertimini, conuertimini, & Venite: Recedite à viis vestris malis, & redite ad cor: & nihil inde consequitur; frustrà laboratur. Immò ita in peccatis pergitur, & proficitur magis ac magis; ac si omnia iam dicta media ad peccatum incitarent. A

Isaia 21.

Scire volũt omnes, sed rectè viuere pauci.

Interrogatur itaque modò, quî fiat, vt post tot voces concionatorum, post tot flagella, minas, obsecrationes, tam pauci ad meliorem vitam conuertantur? Responsio dicit: Curant duntaxat discere vel scire bona; non autem manus adhibere operi. Quo significatur, quem- B

admodum



Cur pauci emergunt, vitiorum fluctibus hausti?
Non adhibere manus, tantum bona discere curant.

Hoe coemt dat naer t'Sermoen, so luttel hun bekeeren?
Men slaet gheen handt aent doen, Maer men wilt al maer leeren.

D'ou vient qu'entre mille, Nul, n'est tant habile, Que de faire mieux?
L'on ne veut qu'apprendre, Et non pas se rendre, De fait vertueux.

admodum quis dudum ſcholam vel officinam frequẽtabit, nihilq́ue, vel parum admodum proficiet, ſi ſolùm videat audiátve, nihil autem C ipſe faciat, manumq́ue operi adhibeat; & diu medicum audiet de morbi natura, de remedio, ceterisq́ue diſſerentem, priuſquam ſanetur ægrotus; ſi nihil eorum, quæ dixerit ordinaritq́ue, ſeruarit: ita hominem Chriſtianum diu frequentaturum conciones; ſi ſolùm audire, & diſcere auditu velit, nunquam autem operi manum adhibere, vel vitæ emendandę, vel mediis ad conuerſionem præſcriptis obſeruandis. Is eſt enim ferè hodie agendi modus, vt poſt concionem, loco fructus & obſeruationis dictorum, dicendi modus, eloquentia laudetur, vel etiam improbetur oratio; & concionator iudicium ſub- D eat auditorum. Quod tam ſtultum eſt, atque ſi æger poſt medici diſceſſum cum adſtantibus incipiat admirari doctoris expertiſſimi prudentiam, dexteritatem, facundiam: quòd omnia ſcilicet tam benè dixerit, morbiq́ue vim ita attigerit, atque ſi in ipſis penetralibus ægroti habitaret: & interim de iis quæ ad remedium ordinaſſet; ne verbum quidem. An talis conualeſcet? Nequaquam: etiamſi omnes mundi medicos ita audiat. Sic tamen quotidie audiuntur ferè conciones, & ideò tam parum proficitur. Hinc etiam libentiùs audiuntur conciones diſputatiuæ & altiuolæ, quæ neminem tangant, quàm quæ vitia perſtringant. Sicut D. Paulus inquit: *Semper diſcentes: & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*. Quia ſcilicet in executione ſita eſt; iuxta illud: *Intellectus bonus, omnibus facientibus eum.*

Quid à concionibus ſequatur communiter.

Ab ægroto, Simile.

2.Tim.3.

Pſal.110.

E Rectè de talibus auditoribus, quibus concio per vnam aurem influit, & per alteram effluit, dici ſolet, quòd inſtar infundibuli vel dolij pertuſi ſint: cui quidquid infunditur, perfluit. Et ita ſemper diſcunt, & poſt multos aliquando annos craſſæ ſuæ ignorantiæ & vitæ indiſciplinatæ immoriuntur; vitam non inuenientes, quia viam non tenuerunt, quam ignorarunt: ignorarunt autem, non quòd non audierint, viderintq́ue demonſtrari; ſed quia non ambularunt, neque F pedem in ea ponere voluerunt. Poſſent etiam omnes illi *auditores verbi, & non factores*, quos reprehendit Apoſtolus, comparari hominibus, quibus vel manus ligatæ, vel etiam deſectæ ſunt; vt audita ac iuſſa capeſſere nequeant: ſiquando auditum Dei verbum non ſequitur opus.

Iac.1.

Rectè ideò idem Apoſtolus hoc vitij alia ſimilitudine depingit, vt meliùs caueatur; ſic inquit: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm: fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor; hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe, & abijt; & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.*

Auditor verbi, non factor, cui ſimilis.

Apertum argumentum eſt, eos qui tam multa audiunt & nihil præ-

Luc. 8. Aures audiendi.

ſtant; non habere aures audiendi, vt Chriſtus dicebat. Nam eius, qui tales aures habet, ſtatim manus interno quodam inſtinctu percipiunt quod auribus hauritur, vt illud opere adimpleant: ita illæ ſiquidem cum auribus interiùs conueniunt, veluti campanulæ horologij foris patentes, cum rotulis quæ intus latent. Secundùm namque internum motum & progreſſum rotularum, præludij & horarum pulſus ſe prodit exteriùs; fitque ita, vt index & ſonitus horarum ritè per omnia concordent. Qui multum quidem audiunt & loquuntur, & nihil faciunt; oſtendunt, ſe nō habere aures audiēdi, neque manus operandi.

Laërtius lib. 7.

De talibus dici poſſet, quod Zeno olim cuidā adoleſcenti dicebat, qui multæ in menſa garrulitatis erat. Aures, inquit, tibi in linguam confluxêre. Subindicans, ſicut Natura homini duas aures dedit, & vnam tantùm linguam; duas etiam manus; ad multum audiēdum, & parum loquendum, multum verò opere exſequendum: ita eos qui parum prꝑſtant, & multum loquacitatis habent, auribus priuatos videri; quòd aures in linguam eis defluxiſſe, & transfuſæ videantur.

In auditores otioſos. *Plutarch. in Laconic. Apopht.*

Quid igitur conuenientius de Concionatore & auditoribus dici poſſit, quando poſt longos multosque ſermones, nihil aliud ſequitur; quàm quòd Agis Lacedæmoniorum rex Oratori Abderitarum dicebat; poſtquam ille multa locutus, tandem dicendi finem feciſſet; rogaretque quid ciuibus ſuis eſſet renunciaturus: Agis rex, illud (inquit) renuncia; quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me ſilentem audiſſe. Et verè ita res habet, cum plurimis oſcitabundis auditoribus. Quando concionator finem facit, quid fructus ſequitur? quę morum mutatio? quid omnium auditorum in opus deducitur? Quid iam? hoc ſaltem verum videtur: tamdiu illos concionatorem audiuiſſe, quamdiu locutus eſt; niſi tamen dormierint interim, vel caſtris in Hiſpania ſtruendis occupati, ne audiuerint quidem.

Iudicium de concione & concionatore, totum ferè eſt quod colligi ſolet.

Si quid ampliùs à concione ſequatur quàm iam dictum eſt, totum id ferè (vt dicere cœperamus) in iudicando Concionatore, & concione conſiſtit. Si quis id non credit; communem agendi modum atque vſum conſulat: videbitque, hoc ferè eſſe primum, quod proximo proximus dicit: Hem, quàm benè concionatus eſt! quàm doctè! quàm piè! quàm feruenter! quanto cum ſpiritu! quàm facundè! quanta cum gratia! quàm præclarâ pollet memoriâ! quantæ lectionis eſt! & ſexcenta eiúſmodi. Hæc ferè quæ laudis ſunt. Sin diſplicet prędicator: in variis accuſatur, iudicatur, condemnatur. Ecce fructum ferè concionum apud quamplurimos; iudicare, inquam, de concione, non

Inepti iudices concionum.

autem quidquam facere quod in concione auditum fuerit. Cumque ſtultiſſimum ſit, non concionatores velle de concionatoribus iudicare; (cæcos, inquam, de coloribus) nemo tamen eſt, vel elinguis, qui non auſit de quolibet ſuam ferre ſententiam.

Itaque

Itaque meritò quærebat domina quædam ab omnibus domesticis, num concio esset facta? omnibusque iterùm atque iterùm factam affirmantibus, se eam audiuisse, indeque rediisse; atque ita certò esse factam: Dicta est (inquit illa) sed necdum facta concio. Iam restat vt eam faciatis; opere adimplentes quod audistis.

Lepidum dictum.

Necessum etiã ferè foret modò, ad peccatores promouẽdos, illo vti cõsilio, quo S. Patritius in Hybernia vsus fertur. Vbi cũ se prędicationibus nihil proficere videret; Deũ precatus est, vt ostento aliquo hominum illorum duritiem commolliret, quò ab erroribus iam tandem resipiscerent: & ad veram religionem conuerterentur. Diuinitus admonitus, humi circulum designauit: atque inibi terra penitus subsidente, hiatus ingens apparuit, magnumque omnibus incussit terrorem, ne in profundum acti, pœnas iam incredulitatis darent. Vt ita dicam; infernum quasi illis patentem ostendit; quo absorbendi essent, nisi se emẽdarent. vestigia huius hiatus adhuc demõstrari perhibẽtur.

Marulus li. 3. ca. 4. S. Patritij specus.

Ita opus esset hodie quosdam ad gehennę fauces perducere, immò etiam extrema pedum parte igni admouere; adeò verbis & prædicationibus nihil commouẽdi videntur. In illos quadrat quod dicit adagium: Surdis canere. Fortè illis accidit, quod de se D. Augustinus tandem confessus est, postquã suam illam agnouit miseriam. Inualuerat, inquit, super me ira tua, & nesciebam. Obsurdueram stridore catenę mortalitatis meę, pœna superbię animę meę, & ibam lõgiùs à te.

Augustin. Conf. li. 2. cap. 2.

Scribit Cicero, vbi Nilus ad illa loca (quæ Catadupa nominantur) præcipitat ex altissimis montibus, eam gentem quæ locũ illum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi carere. Ita strepitus rerum mundanarũ, per aures animumq; cum ingenti tumultu ruentium & fluentium, facit vt insitum verbũ non suscipiant, quod possit saluare animas eorũ. Facti sunt instar *aspidis surdæ, obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Aspis siquidem dicitur vnam aurem terræ affigere, alteram verò caudæ extremitate obturare: quando præsentit eos adesse qui suaui modulamine illam cogant venenum deponere. Ita seculo addicti homines, terrestrium studio impliciti, & longioris vitæ spe nixi, salutis monita non admittunt, ne pestilentem illam animi tabem cogantur euomere.

Cic. in som. Scip.

Psal. 57.

Oratio pro peccatorum conuersione.

VErbum tuum, Domine, mihi velut speculũ est, in quo omnes cõscientiæ meæ maculas, & animæ meæ vulnera contẽplor; Da, sic illud audiam, vt etiam opere adimpleam: vt in me & Aethiops pellẽ mutet, & leopardus deponat maculas; & camelus per foramen acus in cælestem Hierusalem valeat introire. Amen.

CAP.

CAP. XCVIII.

Quando opportunum est peccati absistere calle?
Mox, hodie, iamnũc. Puncto mors imminet omni.

Mox est conuertendum.



NON ita ista Interrogatio proponitur, atque si meritò quis possit dubitare; præcipuè in re tam manifesta, qua notum & certum est, primo quoque momento à peccatis esse resiliendum; sed ideò interrogatur, quia multi quod facto opus norunt, non faciunt; vel quòd memores non sint, vel quòd vitio tarditatis laborent, in iis quæ ad animæ salutem pertinent.

Similia varia.

Notum & certum id esse, ex eo constat, quòd necessum non sit interrogare, quando opportunius satiúsve sit, ex cœno, puteo, igne vel A
aqua se eripere, si quando aliquis inciderit: aut quando sit consultius, B
asinum ex fossa extrahere? Quis enim nesciat, quin hæc statim & absque mora sint agenda? Non solùm, quòd bonum non sit, diu talibus inhærere; verùm etiam quòd periculum sit manifestum, fore vt profundior semper fiat immersio, & spes exigua emergendi supersit, cùm malum per moram inualuerit. Quia enim non semper facultas euadendi conceditur, quando voluntas adest: ideò occasio & temporis opportunitas arripienda est: atque velle oportet, dum posse suppetit.

Hannibalis dictum.

Hannibal quum Romam oppugnare vellet, bis imbre densissimo coactus fuit retrocedere; ferturque dixisse: Cùm potui (scilicet post pugnam statim Cannensem) non habui voluntatem: & quando volui, non habui potestatem capiendi Romam.

Multa sunt eiusmodi, quorum quamprimùm habenda est ratio; quibusque prima opportunitate absque mora adhibendæ sunt manus. Vtpote, quis dubitet, quando consultum sit, incendio occurrere: vocare medicum, dum quis in morbum incidit? quandoquidem id statim factum oportuit; iuxta illos versus:

Ouid. Remed. 1.

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

Verùm, quod dolendum est, quàm celeres & promti sumus ad ea procuranda, quæ ad corporis valetudinem conducunt; tam solemus esse tardi & negligentes, in iis quæ ad miseræ animæ sanitatem ac necessitatem pertinent: ne quidem de remedio vllo cogitantes, etiamsi vulnerata in sanguine peccatorum suorum moribunda volutetur.

Eccli. 21.

Quocirca prudenter nos admonet Sapiens, dum ait: *Fili, peccasti? non adicias iterùm: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Ecce, hoc primum est ad conuersionem à peccatis, vt quis desistat à malo; & peccatum peccato non adiiciat. Et, quò intelligamus, statim esse à

peccato



Quando opportunum eſt, peccati abſiſtere calle?
Mox, hodie, iamnunc: puncto mors imminet omni.

Wanneer iſt meeſt ghevaen, hem te keeren van ſonden?
Hoe eer, hoe bet ghedaen: Want wie heeft ſeker ſtonden.

Dites moy quelle heure, Me ſoit la meilleure, Pour me conuertir?
Ia, ſans plus d'eſpace, La mort te pourchaſſe, Touſiours ſans dormir.

C peccato resiliendum, neque differendam pœnitudinem; subdit ilico: *Quasi à facie colubri, fuge peccatum. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas*: (animam enim & corpus transuerberat reatu damnationis æternæ) *plagæ illius non est sanitas.* Quis non statim fugeret, cui aliquid horum occurreret, seu coluber, seu leo, seu gladius? Non ibi consilio, mora, vel deliberatione est opus: res ipsa festinationem suadet & postulat.

D *Cùm congregasset Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem; vipera à calore cùm processisset, inuasit manus eius. Ille mox excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.* Ita planè cõsultum est, quàm primũ prauos ac pestilẽtes cogitatus, quasi irrepentes viperas ac serpẽtes excutere, & in ignẽ diuini amoris nostræque salutis iniicere. *Act. 28.* Vipera excussa.

Peccatum, virusque illud conscientiæ, si excludi nequit; moram saltem sub tecto nostro trahere permitti nõ debet, sed mox eliminari: quia, si de aliqua re meritò dici potest; Periculum est in mora: maxima id ratione de peccati mora, & conuersionis dilatione dici debet. Neque in naufragij, incendij, morbi, alteriúsve damni periculo tantum mora timenda est, quantum in resipiscentiæ protelatione. Periculum in mora.

Appositè propterea alibi adhuc incitat Sapiens torpentem, his verborum stimulis: *Ne dixeris: peccaui: & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Ne tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te.* *Eccli. 5.*

E Quàm igitur est clarum, iuxta Responsionem, mox, hodie, iamnunc, à calle peccati absistendum; tam etiam re ipsa esset præstandum, & statim à peccatis resiliendum. Oporteret subitò, cum Magdalena, corde intrinsecus tacto, ad pedes Christi concidere, & veniam precari; quod fit dum ad Sacerdotis pedes prostratus peccator confitetur.

F Sed, heu! quàm multi reperiuntur, qui semper corui cantilenam cantitant: *Cras; Cras!* & illud cras, nunquam venit: & ita pœnitentiam de die in diem, & ex anno in annum protrahunt, vt tandem cum teterrimo inferorum coruo, cuius canticum cecinerunt, in torrentem tormentorum demergantur. Vox corui.

G Quanto feliciùs, consultiusque columbæ vocem, vel turturis gemitum fuissent imitati; illudque: *Citò, Citò*; meliùs ipsorum auribus insonuisset! Turpem tristemque hanc tergiuersationem in se D. Augustinus postquam agnouit, mirè & dignè detestatus est, sic Domino confitens: Non erat quod tibi responderẽ, dicenti mihi: Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti vera te dicere, non erat omnino quid respõderem veritate conuictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta: modò, ecce modò; sine paululùm: sed modò & modò non habebat modum: &, sine paululùm, in longum ibat. Ita nobiscum agitur, dum è peccatorum cœno & somno esset surgendum. Vox turturis. *Augustin. Confess. lib. 8. cap. 5.* Procrastinationis confessio.

Quocirca optimum est consilium, statim se ex tam miserando statu eruere; sicuti quamprimùm surgitur, quando in platea labi contigit; præcipuè in cœnoso & putido aliquo loco. Exemplum vtriusque lapsus & resurrectionis, tam corporalis quàm spiritualis, in vno quasi ad oculum contemplari licebit. Petrus Consaluus, dum quadam die equo superbè vectus per totam vrbem cum coæqualibus spatiaretur, totus vanitati mundi expositus, hîc illic lasciuiens, in profundum lutum cecidit; ex quo cœnosus extractus, cùm à puerorum grege circumstante totoque mundo sannis & risibus exciperetur procaciter; rubore perfusus, sibique iratus, ita secum locutus est: Quandoquidem, ô munde, sic à te, cui tam gnauiter seruiui, tractor; ego quoque vicissim te, vt mereris, tractabo. Itaque eodem momento constituit se Deo famulaturum: quod paulò pòst, cum magna ciuium admiratione aggressus est, in familia Dominicanorum. Et verè iumenta nos idipsum docent. Si generosum equum contigerit in via cespitare, aut etiam labi, ocyùs se in pedes erigit, & factum per lapsum dispendium maiori mox acceleratione compensat; ex ipso lapsu promouens. Sic scimus Sanctos à conuersione fecisse. Vnde siquidé mulier in ciuitate peccatrix, & ei cognominis Ægyptica, tantos post lapsum egissent in virtutibus progressus, nisi ex lapsus ipsius fœditate maiores sumsissent proficiendi spiritus? Sicut & plures eiusmodi.

Petri Consalui conuersio. *Platus de bono Relig. li. 3. ca. 38. ex Dominicanorum historiis.*

Simile ab equo labente.

Exempla conuersionis.

D. Pauli conuersio, & in melius mutatæ vitæ præstantia, dilucidè hæc omnia demonstrant. Quum iam ad summum eius malitia in Christianorum persecutione peruenerat; sibique totus in sua impietate placeret, putans se etiam obsequium præstare Deo; ab omnipotenti & misericordi manu Dei prostratus, statim paratus fuit errata corrigere, & voluntatem Dei agnitam sequi, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Ita oporteret peccatorem dicere & facere, statim atque digito Dei interiùs se tangi perceperit: & statim surgendo, & alacriùs tum in bono proficiendo. H

Act. 9.

Iacobus martyr, à præsectis membrorum nodis Denodatus dictus, cùm esset Fidelis, Fidelibusq. ortus parentibus, atq. inter Isdegerdis regis Persarum aulicos primo loco haberetur, Gentili domino gratificari cupiens, eò prolapsus est, vt idolum adoraret. Deinde, à matre per litteras increpitus, culpam agnouit, animo resipuit, pœnitentiam egit; honores quibus fruebatur cõtemsit. Ecce, statim resiluit à lapsu; nunc quomodo etiam ex lapsu profecerit, audiamus. Regem nihil veritus, idola eius detestatus, & se palàm Christianum esse professus est; tam constanter, vt articulatim dilaniatus, non formidare supplicia, sed appetere videretur. En, vt martyrij coronam ei ruinæ occasio contexuerit. Ita donis augentur cælestibus, qui lapsi, monentis Dei vocem, & manum attollere volentis mox arripiunt: secus, qui auersantur

Nicephor. li. 14. ca. 20. Iacobus intercisus.

Aliud exemplum.

ſantur auxilium, vel à Deo intus, vel foris à proximo oblatum.

Tres ſunt præcipuæ rationes, ob quas mox ſit à peccatis reſurgendum. Primùm, quia incertum eſt, an Deus ſit aliàs adhuc ita cor eius tacturus intrinſecus; timendumque ne non. Secundum, incertitudo vitę; quia vt in Reſpõſione additur: pũcto mors imminet omni. Si autem certus eſſes, te hac hora moriturum; certũ eſt, peccata deteſtareris. Atqui ſi certum non eſt te moriturum; certũ etiam nõ eſt te non moriturum. Tertium eſt, magnitudo periculi ex omni parte. Nocuit differre paratis. Semper enim malum ingraueſcit per morã, in hoc genere; licet in aliis aliquando mora mitiget ſopiatque calamitates. Tres cauſę accelerandę pœnitentię.

Exemplo ſit tam noxiæ moræ, & tam ſupini neglectus in re tanta, quod de incendio Conſtantinopolitano in vita Danielis Stylitæ legimus. Is magnam quidem certè vrbem magnas adorturas eſſe minas, cùm à Superis accepiſſet reuelationem, eam Epiſcopo ſignificat Gennadio, iubens contentiore vti precatione. Quinetiam Imperatori Leoni prædicit ſimilia, & bis in hebdomada iubet communes fieri ſupplicationes: ſic enim eis pollicetur iram Dei futuram mitiorem. Atque ij quidem præceptis illius contemtui habitis, erant ipſâ intellecturi experientiâ, ea quæ multitudo peccatorum effecit, vt ad effectum deducerentur. Tempore itaq. euoluto quod Daniel prædixerat, repentè in maxima & regiâ ciuitate incipit incendium, quod vſque adeò exarſit, adeóque inualuit, vt ferè vniuerſam peruaſerit ciuitatem. Vix tandem in tanto malo eis venit in mentem ſancti Danielis prædictio. Hucuſq. ex Metaphraſte. Quis dubitet, ſiue in hoc, ſiue in Sodomitico alióve quocunque incendio, quando conſultius ſit occurrere? Nónne ſtatim? Ideoque cogebant Angeli ſummo diluculo Lot, *dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes; ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius; eduxeruntq́ eum, & poſuerunt extra ciuitatem.* Reliqui verò futuri eius generi, aliique ad eum pertinentes, præſens periculum non vitarunt, quia cum iuſſu Angelorum Lot eos præmoneret, contemſerunt: *Viſus eſt eis quaſi ludens loqui.* Sic qui tardant conuerti ad Dominum, etiam terrefacti diuinitus.

Simeon Metaphraſt. Surius 11. Decemb.

Geneſ. 19.

Oratio contra dilationem conuerſionis.

AD lapſum peccatorum faciles, Domine, & tardi ad erectionem ſumus: coruinum illum ſemper procraſtinantem cantum elonga à me; ſed alacrem effici ac ſolicitum: vt vel non cadam, vel lapſus ilico in pedes erigar; & ad te per veram pœnitentiam conuertar, ne vnquam in mortem obdormiam. Amen.

CAP. XCIX.

Quo datur antidoto scelerum dispellere virus? Quattuor accincto Memorare Nouissima corde.

Quatuor Nouissima.

PARTIM timore, partim amore naturaliter homo à peccatis abstrahitur, & ad id quod rectum est permouetur. Sunt idcirco quatuor Nouissima valdè accómoda, vt humanum animum à vitiis absterreant, & ad bona pelliceāt. Et siquidem veluti in speculo & æternæ gloriæ præmia ob oculos statuunt; & mortis, iudicij, damnationisque æternæ terrore percellunt. Vis & efficacia memoriæ horum, etiam exemplo testimonioq. eius quod Moyses dixit & egit, comprobata est. Quum enim ille effrenem populi Israelici viuendi licentiam, & parum cordatam timorisque omnis expertem agendi rationem animaduerteret; pro præsentissimo tanti mali remedio, quo statim à peruersitate ad vitæ rectitudinem conuerterentur, singulari optabat voto, vt nouissimorum recordarentur. Sic habet: *Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus: generatio praua atque peruersa; populus stultus & insipiens. Gens absque consilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent, & intelligerent; ac Nouissima prouiderent!* Ac si dicat: Dubium non est, quin vitam suam emendarét; neque vllo pacto tot criminibus se implicarét. Quî enim fieri potest, vt quis benè vitæ suæ rationem instituat, qui nec præteritorum vlla cum attentione recordatur, neque præsentia vllo cum intellectu complectitur, neque illis secundùm rectæ rationis iudicium vtitur; neque quæ ventura sunt præuidet, vt secundùm illa omnes suos actus dirigat? Neque enim is præteritorum errorum damno fit prudentior; neque præsentia mala deuitat, vt quæ non intelligit; neque futura ob id venientiaque aduersa formidat, vt quæ non præuidet: atque ita viuit, itaque habet, prout sors tulerit. Neque in lætis ac prosperis modum seruat; neque cùm ventus ei contrarius est, nouit mediocritatem tueri. Sed sicut in illis citra modum eleuabatur; ita in istis immoderatè deiicitur. Atq. ita viuendo, sine lege, sine rege, sine Deo & conscientia, post laxam discinctamque vitam, per lamentabilem mortem, venit ad locum horroris & miseriarum.

A.

B.

Deut.32.

Memoria horum destitutus, exlex est, & effrenis.

Psal.76.

Prouidus prudensque Christianus, ob id, sequitur Regij Prophetæ exemplum, dicentis: *Cogitaui dies antiquos; & annos æternos in mente habui. Et mediatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Talium namque rememoratione, spiritus alioqui grauis & obdormiscens excitatur, fitque alacer; vt exploret agenda, eaque strenuu s exequatur. Sicut omnia animalia videmus apprehensione dis-

criminum,



Quo datur antidoto ſcelerum diſpellere virus?
Quattuor accincto Memorare Nouiſſima corde.

Hoe ſal ick my, voor beſt, van alle ſonden wachten?
Hebt d'uyterſte, oft Vier leſt altyds in v ghedachten.

D'ou vient la Sageſſe, Qui touſiours addreſſe, L'homme aux droits ſentiers?
D'une ſouuenance, De l'incertain chanſe, Des Termes derniers.

criminum, præcipuè mortis, extrema attentantia. Idem nos monet Sapiens : *Memento Nouissimorum : & desine inimicari.* Inimicitias enim per peccatum in Deum, in proximum, & in nosipsos exercemus : quæ tali memoria facilè consopiũtur. Sicut enim equus caudæ suæ diuerberatione muscas, vespas, & œstra à corpore abigit : ita homo memoria æternæ damnationis, vt longissimæ caudæ præsidio, tentationes peccatorum, & stimulos carnis discutit & à se abigit. Sicut etiam nauis in aqua clauo regitur, & piscis atque auis cauda rectè se dirigunt, & in quamcumque volunt partem inflectunt, vt noxia vitent, & quò tendunt inoffensè perueniant: ita potest homo Nouissimorum recordatione, velut caudæ motu, rectum vitæ sanctæ cursum tenere; & euitatis noxiis, ad æternæ felicitatis portum incolumis pertingere : vt & telum ad scopum dirigitur. Eccli.28. C Equi cauda. D Nauis clauus. Auis cauda, & piscis,

Sententiam aliam profert Sapiens, ex qua Responsio desumpta est: *Memorare Nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Putat Origenes hanc commonitionem per tintinnabula in extremitate vestis sacerdotalis pendentia & sonãtia significatam fuisse. Hoc consilium & remedium saluti animarum tam præsens, tamque necessarium, à tot Sanctorum Sanctarumq. millibus probatum & comprobatum est. Qui quatuor Nouissima sibi vt præsentia ante oculos statuentes, ita se in posterum toto vitæ suæ tempore gesserunt, qualiter certum est quemque optaturum se fecisse, quando ab illis circumuentus, videbit nullum esse ampliùs effugij vel concilij capiendi locum. Eccli.7. *Orig. Hom. 9. in Exod.*

Claude igitur oculos corporis, & apertis mentis oculis, abstractus ab omni præsentium rerum recordatione, quãtum fieri potest, te quasi in lecto ægritudinis tuæ stratum considera : iustissimi iudicis tribunali adesse pensa; tuamque causam æqua bilance trutinari; teque ancipitem exspectare, in quam sit partem propensura, quamque sortem tibi adscriptura, cui æternùm manciperis. Vt enim spes gloriæ cælestis consoletur afflictum terret tamen æternę damnationis angustia. Hæc nunc cogita, & secundùm illa de tuis disponito præmaturè. Lectus ægritudinis.

Siue namq; te terret æternæ damnationis immanitas, siue te trahit incomprehensa cælestis gloriæ magnitudo! à Iudicij lance dependet euentus : qualem autem te mors inueniet, talem sistet iudicio ; mors vero bona vita sequitur bonam; ergo iuxta horum intuitum est viuendum.

Oratio ad vitanda peccata.

QVandoquidem me, Domine, amor ad bonum non incitat, & miserum sit, cum fatuis virginibus serò sapere, ac pati repulsam; timorem Nouissimorum cordi meo infigito; vt ita me modò geram, sicut tunc me gesisse desiderem. Amen.

CAP. C.

Ipsa refer, quò iuge animis incisa reuoluam?
Lethum, Iudicium, Infernus, cælestia regna.

Quatuor Nouissima, omnia complectuntur.

PER quatuor terræ angulos siue regiones, Orientem, Meridiem, Occidentem, & Septentrionem, vniuersum semper Orbem terrarum intelligimus: ita etiam dici possit, his quatuor Nouissimis totum genus humanum comprehendi. sicuti namq. vbicunque est homo, quatuor mundi plagas in conspectu habet; ita quisquis viuit, hæc quatuor extrema ante oculos habere debet, quibus se quasi circumseptum conspicit. Ideoque, non malè hæc quatuor illis rotis assimilet, quas Propheta Ezechiel vidit, quæ sibi inuicem implicitæ, vnam quasi rotam constituebant, erantq. plenæ oculis. Quo intelligamus, omnium & singulorum oculatam ac quasi præsentem debere esse memoriā homini Christiano, iuxta quatuor Euangelistarum testimonium vitam suam instituenti. Vnde & dicitur, quòd *Spiritus vitæ erat in rotis*: quia ita est Spiritus quidam vitalis & efficax, in assidua quatuor Nouissimorum recordatione; qui homini animum & vitam suppeditat ad rectè viuendum, vitamq. æternam consequendum. A B


Ezech 10. Rotę quatuor.

Horum quatuor Nouissimorum etiam superioribus aliquot Capitibus mētio facta est: vt, de Morte, Cap. LXXXV. LXXXVIII. & LXXXIX. De Iudicio; in XCIII. Cap. Inferni meminimus Cap. XCI. & Cælestis gloriæ, CX. Capite. Itaq. quatuor ista nunc nobis consideranda sunt, velut extrema & nouissima, quæ sui memoria & consideratione, hominem in officio contineant, quò sic viuat, sicut mori optat, & prout postea iudicari, & demum tractari desiderat.

Hieronym. super Matt.

D. Hieronymus bonum nobis hac in praxi documentum & exemplum reliquit; dum sic de se ipse, quoad horum memoriam, loquitur: Siue comedo, siue bibo, siue aliquid aliud facio; semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui; venite ad iudicium. Indicansq; quàm efficax in ipso hæc esset recordatio, addebat: Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Si ita tali tantoque viro infixa fuerit Nouissimorum memoria, vt nūquam eum destituisse videatur; quantum nos diligentiæ adhibere debemus, ne eorum nos vnquam capiat obliuio?

Deinde, si horum memoria & consideratio ita illum toto fecit corpore contremiscere, qui præ vitę austeritate & abstinētia sic confectus erat, vt arentia ossa vix aliud quàm cutis rugosa contegeret; quæq. ad se inuicem (dum corpusculum quieti vbi sors ferebat traderet) collidebantur;





Ipſa refer: quo iuge animis inciſa reuoluam.
Letum: Iudicium: Infernus: Cæleſtia regna.

Welck ſynſe, op dat ick myn, daer toe mach gaen begheuen?
Doodt: Oordeel: Helſche pyn: ende dat Eeuwich leuen.

Dites moy ces Termes / Que ie puiſſe fermes / Au coeur les grauer.
La Mort: la Seance / Du Iuge, a ſentence / Le Ciel, et l'Enfer.

debantur;quid de nobis dicturi ſumus?quanto nos terrore & horrore mortis iudiciique recordatio afficere deberet? Nos,inquam, quorum & grauior culpa,& minor eſt pœnitẽtia: qui nec minimum habemus, quod cum eius ſanctimonia,vitęque auſteritate conferatur:qui,eheu! vt plurimũ equo malæ noſtræ naturæ & cupiditatis frena laxamus & concedimus; vt pro ſua libertate & arbitrio, quocunque volet, euagetur & proruat.

C Certum eſt tamẽ,mortis diem taliter viuentes tam inopinatò comprehẽſurum,ac ſi iudicis aut tortoris manus quempiam mox ſuſpendendum arripiat,qui nihil minùs cogitans, plenis velis per ſuas voluptates ferebatur,affluens gaudiis. Quemadmodum etiam bos ad mactandum ductus, nihil minùs quàm ictum mallei imminẽtem exſpectat,interim dum blanda voce & mollibus manibus demulcetur;immò & ſertis floreis coronatus honoratur, vt victima nil miſerãtis Orci:ita & illis inopinata frons mortis malleo ferienda eſt, & mens improuida iudicij fulmine conſternanda, quicunque antea horum meminiſſe noluerunt. Hoc ipſum nobis Chriſtus ipſe ſeriò inculcat: *Attendite,ne ſuperueniat in vos repentè dies illa; tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Sedent autem ſuper faciem terræ; qui ſuper terram, & in rebus voluptatibuſque terrenis quietem ſuam, ſolatium,& delectationem ſtatuunt; cum ocio, ſecuritate,ſine metu,ſine Nouiſſimorum memoria viuentes, nihilque cogitantes quid poſtea futurum ſit; quorſúmve anima ipſorum deueniet. Aut ſi fortè aliquando per acrem conſcientiæ remorſum,talium paruula eos tangit cogitatio;ſtatim conantur expellere,data opera obliuiſci ſtudent,& quæſita etiam aliunde occaſione,detergere ſatagunt; & mox ad conſuetas redeunt oblectationes, in quibus toti effuſi ſedent ſuper faciem terræ, in conſpectu hominum,à quorum laudibus, fauoribus, & conſortio dependent.

Dies mortis ſicut fur.

Bos ad victimam.

Luc.21.

Super faciem terræ ſedent qui?

Notatu dignum,quàm euidenter hoc in Martino Luthero demonſtratum fuerit. Is, præterquam quòd hæreticæ prauitatis labe conſperſus eſſet,& hæreſium noſtri temporis architectus; omni etiam vitiorum cœno erat perfuſus. Itaque dum ſemel cum ſuis combibonibus egregiè genio indulgeret, (quod ei erat familiare) cogereturque ſaburræ leuandæ gratiâ è turba diſcedere; auditus eſt ſolus ſub dio ſtans ſecum colloqui; & conſcientia intus ſtimulante, ſic ſe ipſe compellare, ventriculũ molli pulſitãs manu: Martine,Martine: hîc quidem ſat benè ſic agitur:ſed quid poſt hæc futurũ eſt?ita ille.ſed quid? ad ſocios rediens,antiquum obtinuit; & immemorem futurorum vitam viuens, condigna etiam, ac horribili morte extinctus eſt, vel à ſeipſo, vel à dęmone noctu in lecto præfocatus. Ita,inquam, agitur cum talibus, qui vel Nouiſſimorum memoriam non habent, vel ſi quando

Martini Lutheri remorſus conſciẽtię.

quando in mentem præter ſpem venerit, ilico explodunt; vt quæ inſanas illorum in hac vita voluptates impediat.

Ratio nominis Nouiſſimorũ.

Quatuor hæc Nouiſſima hominis appellãtur, quia homini ſub extremum vitæ, & finis loco contingunt. Si ita Nouiſſimum accipias, vt poſt illud nihil ſequatur amplius; vnicum cuique tale tantùm poteſt accidere: probis & electis videlicet æterna gloria, reprobis è contrà damnatio. Et tum mors atque iudicium, extrema ſeu nouiſſima certo tantùm reſpectu (quòd vitæ terminum concludant) erunt dicenda. Sed rectè, vt dixi, omnia quatuor Nouiſſima vocantur.

Mors, 1. *Horat. lib. 1. Epiſt.*

Mors quidem, quia vltima linea rerum eſt. Siue à lineis ordine ductis accepta ſimilitudine, quarum poſtremam mors occupet reliquaſque conterminet: ſiue à lineis quas pictor penicillo in tabula ducit, quarum vltima totum opus abſoluit. Morte enim & omnes actus noſtri vt lineæ variæ terminãtur, & picta totius vitæ tabula vltimo mortis tractu perficitur, atque extrema adhibetur manus; vt hîc nihil amplius reſtet faciendum patiendúmve.

Iudiciũ, 2. *Heb. 9.*

Sequitur deinde Iudicium, ſicut in XCIII. Capite audiuimus: *Statutum eſt hominibus ſemel mori: Poſt hoc autem iudicium.* Satim ſcilicet atque anima ex hoc fragili hoſpitiolo corporis emigrarit. Iudicium hoc particulare vocatur; quia de vnoquoq; fit in particulari, in hora mortis: & iuxta huius iudicij ſententiam definitiuam ſeu finalem, æternę vel beatitudinis vel damnationis acquirendæ ſententia, etiam in generali illo totius mundi iudicio ferenda eſt. D

Iudicium itaque tum hoc, tum alterum, vnum è quatuor Nouiſſimis appellatur; non quaſi nihil aliud poſt illud ſequatur; ſed quia finis quoque aliquis & terminus eſt, pręcedentia quaſi certo limite concludens. Sic namque ſententiæ prolatio nouiſſimum proceſſus eſt, litem terminans; poſt illam tamen ſequuntur adhuc quædam alia: pro illo nempe qui litem lucratus eſt, præter honorem, tranquilla inſuper fruitio iuris & rerum, pro quibus diſceptabatur: pro illo verò, qui cauſa cecidit, præter ignominiam, amiſſio præterea eorum in quæ ius prætendebat, & luctus, & gemitus.

Duo priora omnibus cõmunia.

Duo iſta Nouiſſima priora, Mors & Iudicium, omnibus ſunt tum bonis, tum malis communia. Moriendum eſt omnibus, & omnes coram Iudice manifeſtari oportet & iudicari; nemine, quantumuis ſancto, quantumuis malo, excepto. Sed poſt hæc duo, magna ſequitur ſequeſtratio, & diſtinctio bonorum à malis admiranda: quò & duo alia Nouiſſima ſpectãt. Poterunt hæc ſimilitudine prolata clariùs animaduerti, & menti profundiùs infigi.

Simile ab incarceratis, ad iudicem ductis.

Omnes quotquot ſumus, boni & mali in hoc mundo, immò in hoc corpore, veluti in carcere, ob crimen rebellionis ac læſæ Maieſtatis Diuinæ, per peccati reatum morti obnoxij, vincti conſtrictique tenemur. Interim filius Dei, vt Regis filius,

filius, pacem nobis composuit, nosque Regi reconciliauit; ea lege, vt qui se secundùm media ab ipso in Ecclesia ordinata gratanter atque humiliter gereret; ei pax inita ad salutem vitamque proficeret: qui verò negligeret; irrita ei omnia & infecta fierent, & indignitatem suam morte & æternis suppliciis esset luiturus. Hic status est captiuorum; id est omnium nostrûm super terram viuentium, nemine secluso. Iam quatuor Nouissima ex ordine, similitudini cœptæ insistentes, ad rem applicemus. Per mortem, tanquam per portam carceris, omnibus est transeundum, vt iudicis imperio educti, ipsi sistantur examinandi & iudicandi. Mors igitur transitus est ex hoc mundo vel corpore, vt carcere, bonis & malis communis: sicuti è carcere per eandem portam educuntur vita donandi honorandique, & morte quoque afficiendi. Iam è carcere ad tribunal venitur, vbi sententia feretur. Hoc secundum Nouissimorum; Iudicium videlicet. Mors, porta.

Hucusque simul pari quasi passu gradiuntur & boni & mali: per ianuam carceris ambo; ambo ad Iudicium. At deinceps, pro sententiarum diuersitate, vnus suspenditur, vel ad aliud mortis genus abducitur; alter innocens declaratus absoluitur; & insuper honore & præmiis afficitur. Atque ita, iuxta sententiæ cuiusque tenorem, boni à malis separātur per Iudicium; & quique ad suum Nouissimum, extremumque Nouissimorum dimittuntur: boni, ad beatitudinem sempiternam; mali, ad combustionem inexstinguibilem. Quemadmodum in vita diuersas ambularunt vias, hi vitiorum, illi virtutum; ita tunc etiam contrarias planè in partes diuellentur; boni ad dextram Iudicis cum Angelis & Sanctis Dei; mali ad sinistram cum dæmonibus & damnatis collocandi. Beatitudo ęterna. 3. Damnatio ęterna. 4.

E

F

Vnusquisque igitur tria è quatuor Nouissimis habiturus est: neque plura, neque pauciora. Mortem & Iudicium boni æquè ac mali: & tum pro tertio, Infernum vel Cælum: neque alia datur ratio statuendi computandique. Quartum non est quod quis exspectet: quia quisquis post Iudicium pro tertio Nouissimorum Infernum adeptus fuerit; nil est quod ille vnquam Cæli nanciscendi spem sibi polliceatur. Sic qui pro tertio è quatuor cælestem fuerit gloriam consecutus; non est quod is metuat, se illo priuatum iri, & ad tartara vnquam amandandum. Sed tum ibi incipit, quod cuique in æternum est immutabiliter permansurum. Partitio Nouissimorum.

Heu, quàm longè tunc alij erunt cordis nostri cogitatus, quàm sunt modò! Diuersi magis, quàm quæ per somnium ab his quæ in rei veritate contingunt, siue bona, siue tristia. Erunt propterea tunc valdè in vsu hæ & huiusmodi exclamationes & lamenta: Hei mihi! vbi fui? quid egi? vbi fuere sensus cordis mei? Quomodo ita excæcatus fui? Quî fieri potest, vt hæc non aliter præuiderim? me miserum, insensa- Vtilis meditatio.

 tum,

tum, malesanum! quò me ipse demens perduxi! Iam satis recordor, mihi non semel prædictum fuisse; fore tam deploratæ vitæ tam deplorandum exitum. Angelum mei custodem me sat sæpè præmonuisse, meliora suggessisse. Conscientiam meam frequenter mihi scrupulum iniecisse, & in faciem restitisse; sed contemsi omnia; surda omnia aure pertransiui. Væ mihi, væ mihi, qui serò sapio! antea hæc omnia aliter expendisse oportebat; dum lamentis & præcibus locus fuit.

Quòd hæc & similia damnandi vociferaturi sint, & talibus vanis clamoribus côtestationibusq. aëra repleturi, satis clarè ex sacra Scriptura colligitur; quæ sic ipsorum lamenta describit: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis; dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: hi sunt, &c. Nos insensati! Ergo errauimus à via veritatis; & iustitiæ lumen non luxit nobis; & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? In malignitate nostra consumti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt.* *Sap. 5.*

Vtilissima Philosophia, hęc in animũ inducere. Non est itaque infirmæ sapientiæ, inter omnes orbis vniuersi scientias, quatuor Nouissimorum habere memoriã, & in illis philosophari. Vt propterea benè de his proferri possit illa Salomonis sententia: *Quatuor sunt minima terræ: & ipsa sunt sapientiora sapientibus.* Licet enim magna & maxima sint in se considerata, tamen si exiguam horum apud homines mundanos existimationem attendimus, minima quasi reputantur. Raro enim ista versantur in cordibus hominum: & rebus etiam minimis postponuntur. Sapientiora tamen sunt sapientibus, omnemque excellunt mundanæ sapientiæ sublimitatem. Hinc non sine debita ratione antiqui olim Sapientiam in quadrato statuebant, quando illam in nymphæ modum effingebat: per quadratam sapientiæ basim, firmam & inconcussam eius sedem indicantes. Et sacri Ecclesiæ Doctores, quorum sapientia inclusi intus populi côseruantur, & ab incursantibus hæreticorum procellis muniuntur, per quadrata ligna quæ ad Arcæ Noës fabricam parari Diuinum iussit Numen, significari dicuntur. Sapientia itaque summa est in quadrato hoc consistere: & sicut quadrum vtcumq; ceciderit, semper sibi simile est, ita horum assidua meditatione in moderata vitę ęquabilitate permanere: sicut de Anna matre Samuelis legimus: *Vultusq; illius non sunt ampliùs in diuersa mutati.* Et ait Apostolus: *Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* *Prou. 30.* *1. Reg. 1.* *2. Tess. 2.*

Exod. 25. Ad hæc omnia, & ad assiduam in primis quatuor nouissimorũ memoriam nos admonet arca fœderis, quæ iussu diuinæ sapientiæ quatuor annulos in quatuor angulis habebat, quibus insertivectes auferri non poterãt, sed expresso Dei mandato in illis iubebantur permanere;

nere; vt ſemper ad illam humeris tollendam geſtandamque parati reperirentur. Sic verus Chriſtianus, arcæ viuæ præ ſe ferens imaginem, quatuor hiſce annulis munitus eſſe debet, quò ſemper vt præſto ad omne Dei obſequium, ſiue ſiſtat in viuis, ſeu pergat ad funus. Tantumque norit horum eſſe præſidium, vt omnis quoque generis machinamenta diaboli ſoluat atque confringat his prædiuus; ſi præſens eorum ſemper fuerit & efficax recordatio.

Videamus iſtud non obſcurè per Zachariam Prophetam adumbratum; vbi ſic ait; *Leuaui oculos meos, & vidi; & ecce quatuor cornua. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me; Quid ſunt hæc? Et dixit ad me. Hæc ſunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, & Iſrael, & Ieruſalem? Et oſtendit mihi Dominus* QVATVOR FABROS. *Et dixi; Quid iſti veniunt facere? Qui ait, dicens, Hæc ſunt cornua quæ ventilauerũt Iudam per ſingulos viros, & nemo eorum leuauit caput ſuum: Et Venerunt iſti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium*, &c. Quatuor itaq. nouiſſima vt quatuor fabri ſunt malleis ſuis vim omnem hoſtilem demolientes. Zach. 1.

Quæ cùm ita ſe habeant, certo certius eſt; quiſquis omnem ſuum cogitatum, ſermones omnes & actus, & ſe pariter ſuper curru Memoriæ collocat (qui quatuor Nouiſſimorum rotis ſuper vitæ huius viam voluitur, & rectà ad vitam æternam fertur, equis duobus, bona inquam voluntate & bono conatu tractus) illum ſub viæ huius finem vitæque exitum, ſe poſt tranquillam ac ſuauem eiuſmodi vectationem ante ingreſſum cæleſtis patriæ reperturum: vbi cum ingẽti gaudio de curru depoſitus, ad immenſam gloriæ coronam admittetur; tanquam ad locum & honorem ſibi debitum, & iam dudum præparatum: vbi creatorem & redemtorem ſuum, tantæque gratiæ largitorem Deum laudabit in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ad benè viuendum & moriendum.

PArum eſt admodum, incepiſſe; ſed benè conſummaſſe, meretur præmiũ: Quocirca, Domine Ieſu Chriſte, qui principium & finis es, da, quæſo, ſic omnium rerum finem ſemper recogitem; vt toto vitæ meæ curriculo ita me geram, ſicut in nouiſsima hora à te reperiri deſidero. Vt facto per tui timorem ſapientiæ principio, & per amorem progreſſu; in tui dilectione conſummer; & tandem in cæleſti gloria cum omnibus Sanctis tuis nomen ſanctum tuum in æternum glorificem. Amen.

Epilogus.

Chrysost. CVM veritas, iuxta D. Chrysostomum, mater sit sanctitatis; quid restat, quando iam ex VERIDICO CHRISTIANO veritatem audiuimus, nisi vt illa cor nostrum possideat, foueatque, & vitæ sactimoniam in nobis gignat? Ista autem sunt, inquit D. Augustinus, quæ sanctitatis causa seruanda sunt: Pudicitia corporis, Castitas animæ, & Veritas doctrinæ. *August.* Quis verò nesciat, hæc in fidei sinceritate & vitæ morumque probitate consistere? Cùm igitur illa, quæ fidei sunt Christianæ, primùm hoc libro tractata sint; & deinde quæ ad rectam vitæ normam pertinent; reliquum est, vt fidei puritas ac constantia, vitæque rectitudo & sanctitas, magno studio conseruentur. Sic etenim per timorem Domini, vt veræ sapientiæ principium, ad amoris tandem perfectionem tendetur; quò & vitia vitentur, virtutesque exerceantur. Vt per carnis depressionem assurgat spiritus: per mundi contemtum cælum petatur; & spreto deuictoque animarum nostrarum hoste diabolo, soli Deo seruiamus: cui hîc adhæreamus per gratiam; & in altera vita per gloriam.

Quia verò hæc omnia ab initio sapientiæ producta quatuor Nouissimorum limite terminauimus; ob id breui eorundem inculcatione opus vniuersum concludemus. Quocirca, vt principium cum fine feliciter connectamus, sicq. vitam nostram instituamus, vt per communem omnium terminum ad æternam vitam commigremus: imaginemur, quæso, ac si in conspectu Dei totiusque cælestis exercitus constituti, quatuor nobis Nouissima proponi videremus, darique nobis optionem eligendi ex his quæcunque nobis aliquando optemus euenire. Cogita igitur & expende tecum seriò; quænam horum eligeres? quæ verò reiiceres? Quantum ad mortem attinet; nemo mortalium (vti modò fusè docuimus) illam potest euadere, vt nec Iudicium. In hæc enim non cadit electio. Perrumpenda illa sunt, & transeunda, velimus, nolimus. Duo itaque alia supersunt; Infernus, & Cælestis gloria. Cui Paradisus obtigerit; nihil optabit aliud. Cui verò (prô dolor!) Gehenna pro sorte accidet; mutare non poterit. Quare, perpende quasi in Dei præsentia vtrum horum duorum esses electurus, adhuc integra re. Manifestum est; Cælestem eligeres beatitudinem. Ita nos ergo modò geramus; sicut tales decet qui id elegerint, eamque felicitatem sibi obtingere peroptant. Sic enim nobiscum inibitur ratio coram summo tribunali, ac si partem detestandam ęternæ damnationis libera elegissemus voluntate, si (quod auertat Deus) nobis ea contigerit. Et tum, etiam si omnes Sancti pro nobis supplices intercederent, respondebitur nobis, quod modò per Prophetam à

Spiritu ſancto præmonemur: *Dilexit maledictionem, & veniet ei*. Et, *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*. Tantum (eheu!) elongabitur, tantumque chaos inter talem & beatorum ſortem conſtitutum erit; vt nullum vnquam neque conſilium, neq; remedium futurum ſperandúmve ſit, neque in cælo, neque in terra, guttam minimam ſolatij vel refrigerij obtinendi; quemadmodum Abraham diuiti epuloni miſerandis modis æſtuanti, flagranti, & flagitanti reſpōdebat. At verò, qui meliorem adeoque optimam elegerit partem, electus is etiam & preelectus erit à Domino; & ſors Sanctorum non auferetur ab eo in æternum. *Pſal. 108.*

Oratio.

O Benigniſsime & clementiſsime Domine Ieſu Chriſte, qui temetipſum tam amanter in perditorum hominum manus tradidiſti, vt pro nobis iudicareris, condemnareris, & morti turpiſsimæ Crucis tradereris: te per illibatam animæ tuæ puritatem & innocentiam, perq; immenſum & immeritum ſanctiſsimi tui corporis cruciatum & mortē humillimè deprecamur, vt gratiam nobis donare digneris; quò tempeſtiuè videamus, quæ nobis deuitanda, quæq; facienda ſint, vt Diuinæ tuæ Maieſtati placeamus; & pariter voluntatem ac robur, vt eadem rectè & conſtanter opere compleamus: vt poſt bonam, ſanctam, ac laudabilem vitam, per Mortem & Iudicium tranſeuntes, ab ingreſſu Gehennæ protecti, per gratiam tuam ad æternam Vitam peruenire mereamur. Amen.



TOLLE, LEGE:
TOLLE, LEGE.

ARRIPVI, APERVI, LEGI
IN SILENTIO CAPITVLVM,
QVO PRIMVM CONIECTI
SVNT
OCVLI MEI.

D. AVGVSTINVS,
Confess. lib. VIII. Cap. XII.

ORBITA PROBITATIS AD CHRISTI IMITATIONEM VERIDICO CHRISTIANO SVBSERVIENS.

Aspicientes in Avctorem fidei. Heb. xii.



Chriſtiani nomen ille fruſtra ſortitur, qui Chriſtum minime imitatur. D. Auguſt. de ver. Chriſt.

QVOCVNQVE IBAT SPIRITVS,
ILLVC, EVNTE SPIRITV,
ET ROTÆ PARITER ELEVABANTVR,
SEQVENTES EVM.
SPIRITVS ENIM VITÆ ERAT IN ROTIS.

CVM EVNTIBVS IBANT,
ET CVM STANTIBVS STABANT,
ET CVM ELEVATIS A TERRA,
PARITER ELEVABANTVR ET ROTÆ,
SEQVENTES EA.
QVIA,
SPIRITVS VITÆ ERAT IN ROTIS.

Ezech. Cap. I.

ORBITA PROBITATIS, AD CHRISTI IMITATIONEM VERIDICO CHRISTIANO SVBSERVIENS.

Cum refutatione superstitiosi cuiusque atque inepti oblectamenti.

Procemium.



QVEMADMODVM præcellens aliquis pictor, omni sua industria ad viuum conatur exprimere, quod sibi ex arte imitandum præsumserit; ita illa homini Christiano incumbit cura, vt Christum Saluatorem nostrum in vita sanctáq; conuersatione imitetur, & in se ad viuum quasi delineatum exhibeat: iuxta nominis sui susceptique operis exigentiam. Hoc enim est adniti, donec in ipso formetur Christus; vt loquitur Apostolus: & veluti in expositione decimæquintæ Interrogationis Responsionisque VERIDICI nostri hucusque depinximus. Hoc & imago præsenti tractatui præfixa commonstrat; in qua ex decem pictoribus vix vnus tandem prototypon ad Christi imitationem assequitur. Gal. 4.

Ad hanc autem concinniùs peragendam, iuuat quidquid homini Christiano ad benè beateque viuendum adminiculo est, & calcaris loco seruit: quo ita tandem in omni virtutum genere proficiat, vt Christum veluti prototypon suum in se ipse velut in tabula repræsentet. Et, quemadmodum iam dictus VERIDICVS, cum iconibus, earumque interpretationibus, eum in finem Lectori Christiano proponitur; ita eodem collimat, & quasi PROBITATIS quædam ORBITA, rectà ducit sequentis Rotulę vsus ac praxis, cum hac eiusdem elucidatione.

Cap. I.

Quæ ſit primaria huius Tractatus intentio.

SCOPVS huius excogitati conceptus eſt, vt qui vel ſeriæ lectionis, vel grauiorum occupationum pertæſi, delicium potiùs aliquod, quàm ſolidiorem cibum, orexi proſtrata deſiderant; iucundo modo certoque oblectamento ad lectionem huius illiúſve Capitis, prout ſors feret, alliciantur: ipſiſque certa in manus ratio detur, qua per modum recreationis, vtiliſque atque honeſtæ voluptatis, anſam in melius proficiendi habeant. Sic enim fiet, vt ſuaui quaſi funiculo, ad veram debitamque Chriſti imitationem adducantur: qua in ſe ſuiſque moribus, abſolutiſſimum illud omnium virtutum ſummæque perfectionis exemplar, quantum humanæ fragilitati conceſſum eſt, ad viuum effingant exprimantque. Turpe enim eſt, & artificis nomine indignum, ſi nihil quod artis ſuæ ſit, calleat: pictorque pro Chriſti Seruatoris effigie, neſcio quid monſtri potiùs in tabula ſua, & Chriſtianus in vita ſua, conficiat referatque.

Cap. II.

Confutatur Liber Fortunæ ſuperſtitioſus.

VERVM enimuerò, quis ſatis deploret deteſtandum quorundam ſtudium, qui præterquam quòd humana imbecillitas ſua ſponte in omne malum procliuis eſt, oleum camino addentes, neſcio quas effingunt artes, vt pronæ propenſioni fomenta ſubiiciant? Quid enim hoc aliud eſt, quàm nutantes labanteſque ad præcipitium certamque perniciem impellere? & ad infernum proruentibus calcar ſubdere?

Eiuſmodi farinæ & ferraginis eſt, inter mille, infelix ille infortunatuſque *Fortunæ Liber*; quem Teutonicè, **Thuys der Fortuynen**, hoc eſt, *Fortunæ domum*, appellant. Qui lepido quodam quærendi, inueſtigandi, legendique ſtudio quod præſcribit, partim manifeſta notaque facere videtur, quæ

quę cuiquam acciderint, vel eidem fortè sunt futura: partim etiam ex incertis fallacibusque quibusdam ortus nataliumque indiciis ac signis, vnicuique suam, vt aiunt, fortunam ininfortuniúmve præsagire & prenunciare videtur: ad talia se præsumtuosè efferendo, quæ soli diuinæ prouidentiæ manifesta esse cognoscuntur.

Et quantumlibet tam fastuosi vanique libri auctor, sub initium profiteri videtur, excogitatam traditamque tantùm esse hanc agendi rationem, ad melancholiæ humores dissipandos, arcendumque tædium; & ad otiosas ineptasque confabulationes impediendas: Et tametsi, vt inquit, res ita interdum eueniat, prout in tali ludicro vaticinio sortilegioque præsagitur; certo scilicet Planetarum influxu (qui homini inclinationem quidem aliquam, nullam verò necessitatem ingenerat) secretò id operante: non tamen propterea illud omnino ita credendum, neque tali euentui firmam fidem adhibendam: quantumlibet, inquam, ita ipse auctor sincerè præcauere, prudenterque præfari videtur, Lectoremque religiosè præmonere: non solùm tamen eidem apertè concedit, aliqualem talibus fidem tribui posse, (modò non indubitatam ac firmam) verùm etiam manifestè, suæ protestationis oblitus, subinde seriò sic augurata propinat; & ad apertam superstitionem, vana vaticinia, & profana eiusmodi infandaque facinora viam sternit, ostiumque patefacit euidentissimum.

Hinc fit, vt quotidianâ experientiâ (quod deplorandum est) discamus, non solùm quamplurimos ignarę sortis homines, per imprudentiam in istiusmodi errores prolabi, vt vel præterita, vel præsentia, futuráve abstrusa scrutari præsumant; verùm etiam multos diabolicis his fascinis obstrictos, iam dicto Fortunæ, nataliúmve, seu genethliaco libro audere vti, vt curiosis, fantasticis, fanaticisque hominibus ventura ipsis certò prænuncient: quod scelus honesto pallientes velamine, vocant, Suam alicui legere genealogiam, vel Natalitia profiteri.

CAP. III.

Per illicita oblectamenta non tollitur, sed crescit potius animorum ærumna.

HIc est, ecce, lepidus ille liber, melancholiæ arcendæ peridoneus; quò potiùs incauti ac miseri homines (quando res sinistro illis auspicio cadit; aliaque quam optent, eis ex pestilentis illius libri dictantur oraculo) planè emotæ mentis fiant, & spei prorsus desperatæ: vt iam deinceps sciẽtes volentesque id quæritent & sectentur, quod infortunatus ille Fortunæ liber, seu genialium dictatura temerè admurmurauit: quod aliàs nunquã toto suæ vitæ curriculo, vel per somnium cogitassent. Vnde fit, vt iste laqueo sibi infelix præcludat guttura, ille se aquis præfocet, alius se in ignem coniiciat; alius verò, iuxta illam naturę suę sibi iam recèns sic incantatam pronitatem, talia, seu furti, seu cædium, seu stuprorum, & id genus facinora insanus pepetret; quę illum ad infamem & quasi vaticinatam ipsi mortem adigant. Aliqui verò (quibus sors vtcunque benignior cecidit) vel longa tabe se conficientes, vel graui melancholia pressi, vel aliàs desperabundi, vitam trahant mille mortibus miseriorem.

Hęc est, inquam, iucunda illa animorum oblectatio, quam specioso velo prætendebat auctor. Hæc illa, vt aiebat, inuenta dexteritas, & percommoda ratio, ad fabulas futilesque collocutiones impediendas: & interim efficit, vt quis vulgi fiat fabula, & miserandum toti mundo spectaculum. Vt omittam, me ignorare, an vsquam vnquam, toto terrarum orbe, tam ineptæ, tam indecentes, tamque perniciosæ haberi queant confabulationes, quæ his tam insulsis, infamibus, pestilentibusque dictis, effictisque dicteriis meritò debeant impediri: nisi fortè, quemadmodum vnum malum, alio simili, & vt plurimùm maiori malo malè corrigitur; quod malesani hominis, immò maligni spiritus consilium est; sub specie mali alicuius prohibendi, perniciosius aliud malum intrudere.

Quæ

Quę vnquam queant fœdiora, perniciosiora, magisque infamia proferri colloquia, quæ & castas aures magis offendant, & pura pectora grauiùs saucient, quàm quæ singulis fermè vicibus, singulis quibusque sortitionibus, pagellis, & responsis, in libro illo Fortunę obtruduntur? Omnia lurconum, lenonum, meretricularum, & impurissimorum quorumlibet parasitorum turpiloquia, & fęculenta dicta auribus ingerit. Adstantium atque audientium facies, & eius præsertim, cui sua (sic enim loquuntur) Fortuna prælegitur, ita rubore suffundit, vt non solùm inde confusus abscedat, sed etiam aliquando toto vitæ suæ tempore quasi infamis & notatus habeatur.

Quis pudoris honestatisque iacturam expendat, (vt animæ labem taceam, quæ inde contrahitur) quando in probos iuuenes, castasque virgines, infortunata eiusmodi pronunciantur auspicia? Ludus enim iste nunquam satis deplorandus, tædij vt aiunt fallendi gratiâ, vt plurimùm inter adolescentiores exercetur: dum ille qualem vxorem, qualémve sit in sæculo Fortunam habiturus; illa qualem maritum, quótve sit ploles habitura, quidve ceterum ipsi sit sors latura, tali indagine perscrutatur.

Hæc est, iterùm dico, illa tam solerter, vt ipsis apparet, excogitata fallendi tædij temporisque ratio: quasi verò Christiani non sit hominis, solicitè attendere, ne vel momentum tam pretiosi temporis absque fructu depereat, potiùs, quàm vt quæsitis mille fallendi negligendique modis, illud ita dilapidetur perdaturque. Veruntamen, si concedere id opus est, vt interdum quis tædij fastidiique tollendi gratiâ se oblectet recreétve; an ergo non est inuenire modum, quo se honestè, licitè, quin & vtiliter reficiat aliquis tollátve tædium, aut à seriis (vt remisso neruo arcum) animum relaxet; nisi obscœna, infanda, & in Deũ blasphema ex Auerni cœno media hauriat, seséque deplorandis illis modis oblectet, quibus & Angelos contristet, & exhilaret dæmonas?

CAP. IV.

Exploditur alius libellus, Ludus Fortunæ nuncupatus; cum omni noxiæ lectionis oblectamento.

IVXTA hanc tam infauſtam malè fortunatæ Fortunæ domum, velut omnium obſcœnitatum infamem officinam, iure optimo veluti condignum vicinum, libellum illum paruulum facetum collocabimus, qui Teutonum lingua, **Het spel van auonturen** inſcribitur: hoc eſt, *Ludus fortuitorum euentuum*: æquè *Ludum Fortunæ* dixeris. Qui tametſi nihil (vt priores illi) ſuperſtitioſum continet, nullúmve hic videatur eius generis ſubeſſe periculum; tot tamen tamque turpis notæ, verſis ſingulis ferè pagellis, continet impura dicteria, ſaleſque tam ſalaces; vt mirum ſit, tam puſillum codicillum, vt qui pugillo concludi queat, tantam rerum fœdarum farraginem poſſe complecti: adeò, vt fœdus hic lenociniorum fœtus, tam fœcundo fœculentoque geſtatus vtero, ſuo toto, ac matre ipſa, maior appareat.

Ea autem eſt huius à diabolo mille-artifice inuenta ludi oblectatio, vt ferè ſemper ſortientis audientiſque pudore ſuffundat faciem, exiſtimationi eius inurat notam, atque animam vulneret: & ita quaſi triplici Ioab lancea conficiat infelicem: dum præter plena turpitudinum plauſtra, vel de amplexibus, vel de geſtando vtero, vel de prole habenda, aut etiam ſecretò habita, voculas accinit.

Eiuſmodi habendi ſunt omnes illi ad laſciuiam libidinemque concitandam, ad turpis amoris ignes ſubiiciendos & obſcœna quæque capeſſenda conſcripti confictique libri: qui vt noctuque diuque iuniorum manibus teruntur, ita incredibile eſt, quantam tenerioribus illis animis prætextu iucundæ oblectationis ingerant ſtragem. Ito itaque, & te perde prudens volenſque, cum talibus oblectamentis: quæ omnia Vulcano potiùs ſint immolanda, quàm in manus vnquam veniant hominum.

Cap. V.

Orbitæ probitatis *commendatur vtilitas.*

Qvocirca, vt indecentes, impudicos, perniciososque illos Sortium, Natalium, Casuumque euenturorum ludos, & fœda nociuaque omnia eiusmodi oblectamenta, meliori honestiorique exercitio excludamus, & (quod quidem in nobis est) exterminemus; vel saltem, cui sua salus cordi erit, oblatis ei salubrioribus, occasionem demus istiusmodi vanitatem, superstitionem, & noxiam oblectationem repudiandi; visum fuit, sub finem Veridici nostri Cristiani, honestum alium, iucundum, atque vtilem oblectamenti modum adiicere: per quem, omnem decentiam, probitatem, ac pietatem, cum quadam animi voluptate, & vt dicitur, ludendo addiscere liceat.

Non id quidem, vt quis per propositam inuestigationem, inuentionem, lectionémve eorum quæ obtigerint, præteriti alicuius, præsentis, vel futuri secreti nodum sibi solui, vel præsagiri quidpiam arbitretur: sed tantùm, vt occasione eiusmodi scrutinij & lectionis, ansam aliquam per interiorem animi motionem arripiat, ad meliùs quod sui nominis & officij ratio postulat peragendum: vocationemque veri Christiani perfectiùs exequendam. Quò sic, & vitia vehementiùs detestetur, & in ardentiorem virtutum amorem rapiatur. Sicque exactior Christi imitator, & tabulæ in anima Christiana depingendæ Apelles existat: quemadmodum etiam ad hoc meritò ansam captamus ex omnibus, quæ audimus, videmus, cogitamus, agimus, & patimur. Sic enim omnia cooperantur in bonum, ei qui omnium, ad salutis suæ scopum collineando, habet rationem.

Quis, quæso, improbet, immò quis non summoperè collaudet; si quis ita in concionibus audienda vel audita ad se rapiat, (dum præcipuè cor sibi tangi sentiscit) ac si speciatim sibi à Deo dicta forent, ac cælitus denunciata? Ita egit sanctus Franciscus, dum ex Euangelio hæc verba in templo pronunciari

Matth. 10. nunciari audiuit: *Nolite poßidere aurum neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, &c. sibi eam regulam seruandam proposuit; tanquam à Deo taliter promulgatam.

Sic & de sancto Antonio legimus; qui cùm ingressus Ecclesiam, ex Euangelio audiuisset: *Si vis perfectus esse; vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: tanquam ea sibi dicta essent (inquit D. Athanasius) sic Christo Domino obtemperandum existimauit.

Matth. 19. Athanas. in vita S. Anton.

Cap. VI.

Quid Clodouæo expeditionem in hæreticos paranti diuinitus euenerit.

Eum ferè in modum Clodouæus, primus Galliarum rex Christianus, signum sibi in bonum, quasi à Deo datum & optatum accepit, illudque secutus est confidenter. Cùm enim Arrianos ex Gallia profligaturus exercitum comparasset; nuncios ad beati Martini Basilicam direxit, dicens: Ite, & forsitan aliquod Victoriæ auspicium ab æde sancta suscipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait: Si tu, Domine, adiutor mihi es; & gentem hanc incredulam, semperque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu Basilicæ S. Martini dignare propitius reuelare: vt cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo.

Greg. Turonens. li. 2. cap. 37. Hist. Franc.

Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, iuxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur basilicam, hanc antiphonam, ex improuiso, primicerius qui erat incepit: *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me; & inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.* Quod satellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota beato Confessori promittentes, læti nunciauerunt Regi. Hoc signo gauisus fretusque Clodouæus, victoriâ, Deo cælitus admirabiliter adiuuante, potitus est.

Psal. 17.

CAP. VII.

Quid matri sanctæ Luciæ ex Euangelij verbis salutari prouenerit omine.

LEGIMVS quoque quomodo S. Lucia ad sepulchrum sanctæ Agathę cum sua matre orans, vt eidem fluxu sanguinis laboranti, beatæ Agathę intercessione sanitatem impetraret; cùm ex Euangelio recitari audiret, quo pacto mulier illa simili laborans morbo, tactu fimbrię vestimenti Christi sanata fuisset; matrem suam, verborum illorum occasione, adhortata est, vt sepulcrum S. Agathæ, loco fimbriæ Christi, contingeret, firmiterque confideret, se meritis & interuentu sanctę martyris sponsęq. Christi, optatam sanitatem consecuturam; quemadmodum fides illius hęmorrhoissæ eam testante Domino saluam fecerat: quod vbi fecit; mali omnis molestiam à se fugauit, & curata est.

CAP. VIII.

De consilio vel consolatione, ex pij libri apertione & inspectione piè requirendis.

QVIS etiam iustè vitio verterit, si quis, vel in pusillanimitate spiritus & tempestate, vel in mœsti, aridi, desolatique animi grauedine, aut graui tentatione, siue etiam boni alicuius motus interioris excitandi studio librum aliquem (pium tamen) arripiat, apperiensque attendat, quid sibi primùm ante oculos obiectum fuerit: idque legens, occasionem inde vel solatij, vel consilij, vel melioris propositi instinctum eliciat? Scio istud à plurimis ita piè vtiliterque aliquando fuisse vsurpatum, & etiamnum vsurpari. Non quidem ei rei ita inhærendo, perinde ac si necessariò ita fieri oporteat; sitq; certum cęlitus datum oraculum; sed solum, in quantum, Deo ita benè disponente, atque omnia & omina dirigente, vtile atque commodum esse percipitur, ad turbidiorem animum tranquillandum, ad nutantem confirmãdum,

triſtem conſolandum ; tenebrasq. rei fortè propoſitæ offuſas diſcutiendum : & ad omnium conditorem Deum puriùs alacriusque accedendum, ſerioque ad cor conuertendum.

Cap. IX.

Admiranda D. Auguſtini conuerſio, per libri ſacri apertionem.

Non multum diſſimili modo placuit diuinæ prouidentiæ lucidam illam gemmam, ſanctum, inquam, Auguſtinum, ex hæreſos tenebris, cœnoſoque vitiorum laeu eripere, & Eccleſiæ ſponſę ſuæ micanti coronæ inſerere. Nam, cùm iam quaſi inops omnis eſſet conſilij, neſciretque quò ſe verteret, tali tandem ratione conuerſus eſt. Sed ipſum id narrantem audiamus. Quamdiu (inquit) quamdiu cras & cras? Quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc; & flebam amariſſima contritione cordis mei. Et ecce; audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quaſi pueri an puellæ neſcio: Tolle, lege: Tolle, lege. Statimque mutato vultu intentiſſimus cogitare cœpi, vtrúmnã ſolerent pueri, in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino, audiuiſſe me vſpiam. Repreſſoq. impetu lacrymarum, ſurrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, niſi vt aperirem codicem & legerem, quod primum Capitulum inueniſſem. Audieram enim de Antonio, quòd ex Euangelica lectione, cui fortè ſuperuenerat, admonitus fuerit, tanquam ſibi diceretur quod legebatur: *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis theſaurum in cælis: & veni ſequere me*: & tali oraculo confeſtim ad te, Domine, eſſe conuerſum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi ſedebat Alipius: ibi enim poſueram codicem Apoſtolicum, quando ſurrexeram. Arripui, aperui, et legi in ſilentio Capitulum, quò primùm coniecti ſunt oculi mei: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus; nõ in cubilibus & impudicitiis; non in contentione & æmulatione:*

Auguſtin. lib. Confeſſ. 8. cap 12.

Matth. 19.

Rom. 13.

latione: sed induimini Iesum Christum: & carnis prouidentiam non feceritis in concupiscentiis.

Nec vltrà volui legere: nec opus erat. Statim quippe, cum fine huiusce sententiæ, quasi luce sinceritatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum, interiecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi: & tranquillo iam vultu indicaui Alipio. At ille, quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicauit: Petit videre quid legissem. Ostendi, & attendit etiam vltrà quàm ego legeram, & ignorabam quid sequeretur. Sequebatur verò: *Infirmum autem in fide assumite.* Quod ille ad se retulit, mihique aperuit: & tali admonitione firmatus est. Hactenus ipse Augustinus. Ecce admirandam tanti viri conuersionem, & Alipij in bono proposito confirmationem tali profectam oraculo, & modo legendi primum quod se aperto libro vultui inspectantis obiiceret. *Rom.14.*

Cap. X.

Conuersio duorum Curialium stupenda, libro vitæ S. Antonij inspecto.

QVIDNI his stupendam Curialium illorum conuersionem annectamus, quæ occasione libri vitę S. Antonij (in casa quadam, quam quidam monachi incolebant) inspecti & delibati feliciter accidit? Quia igitur tam conformis est iste euentus, ei quem hoc nostro studio intendimus, omnibusque ista lecturis optamus; etiam eiusdem D. Augustini verbis eum proponemus. Sic enim ipse infert, de Potitiano sibi & Alipio quod recèns acciderat, narrante. Pertendebat, inquit, ille & loquebatur adhuc; & nos intenti tacebamus. Vnde incidit, vt diceret; nescio quando, se & tres alios contubernales suos, nimirum apud Treuiros, cùm Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos. Atque illic, vt fortè combinati spatiabantur, vnum secum seorsum, & alios duos itidem seorsum, pariterq. digressos. Sed illos vagabun- *August. Conf. lib.8. cap.6.*

dos irruisse in quandam casam, vbi habitabant quidam serui tui, Deus, spiritu pauperes; qualium est Regnum cælorum. Et inuenisse ibi codicem in quo scripta erat vita Antonij; quam legere cœpit vnus eorum: *Et mirari, & accendi; & inter legendum meditari arripere talem vitam*: & relicta militia sæculari seruire tibi: erat autem ex eis quos dicunt Agentes in rebus. Tunc subitò repletus amore sancto & sobrio pudore, iratus ita sibi, coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? cuius rei causa militamus? maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, Ecce nunc fio.

Dixit hoc, & turbidus *parturitione nouæ vitæ*, reddidit oculos paginis. *Et legebat & mutabatur intus*, vbi tu Domine videbas. Et exuebatur mundo mens eius; vt mox aparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, & discreuit decreuitque meliora: iam iamque tuus, ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra: & Deo seruire statui: & hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim, sumtu idoneo reliquendi omnia, & sequendi te.

Tum Potitianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos, deuenerunt in eundem locum: & inuenientes, admonuerunt vt redirent, quoniam declinasset dies. At illi, narrato placito & proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas orta esset atque firmata, petiuerunt, ne sibi molesti essent, si adiungi recusarent. Isti autem nihilo mutati à pristinis, fleuerunt se tamen, vt dicebat, atque illis piè congratulati sunt, & commendauerunt se orationibus eorum: & trahentes cor in terram, abierunt in palatium: illi autem affigentes cor cælo, manserunt in casa. Et ambo habebãt sponsas. Quæ posteaquam hoc audiuerunt, dicauerunt etiam

ipsæ

ipsæ virginitatem tibi. Hucusque D. Augustinus, de horum conuersione, quæ & eius conuersionis pars magna fuit.

CAP. XI.

Inopinata Aethiophis inalbatio, lectionis occasione.

SIC ferè & Æthiops, Eunuchus Candacis reginæ, fidelis effectus est, occasione scilicet Scripturæ sacræ quam fortè legebat: & cui Philippus diaconus, à Deo missus, opportunus interpres superuenit. Sic narratur in Actis Apostolorum: *Ecce, vir Aethiops, eunuchus potens Candacis Reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalem: & reuertebatur sedens super currum suum; legensq́ Esaiam prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Esaiam Prophetam, & dixit: Putásne intelligis, quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitq́ Philippum, vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est,* &c. *Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquã: & ait Eunchus; Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchns, & baptizauit eum. Ibat autem per viam suam gaudens.* Ecce, occasione fortuitæ & incertę lectionis, Deo ita tamen dirigente, illuminatus, conuersus, & baptizatus est; & Æthiops mutauit pellem suam.

Act. 8.

Isaie. 53.

CAP. XII.

Mirabilis circa S. Ephræm euentus, iuxta præceptum animo votum.

VALDE congruum iam dictis exemplum est & illud, quod de sancto Ehrem refertur. Cùm enim aliquando, singulari

Ex Metaphrast. Surius tom. 1. Febr. 1.

gulari quodam instinctu, ad pietatem maiorem, sublimioremque vitæ sanctæ Philosophiam complectendam moueretur; eoque studio Edessam tenderet; sic secum dixit, Deumque precatus est in hunc modum: Iesu Christe, omnium Domine, concede vt ego Edessam ciuitatem ingrediens, in talem virum statim incidam, qui sit idoneus ad differendum mecum de ijs quæ ad animæ ædificationem pertineant & vtilitatem. Cùm sic orasset, atque ad portam ciuitatis peruenisset, cœpit cogitabundus secum attento solicitoq; animo expendere, quomodo virum illum optatum accederet; & quænam ex illo ad maiorem vtilitatem vitæq́ perfectionem esset interrogaturus. Dumque sic cogitabundus incederet; ecce tibi mulier quædam leuicula & meretrix, in ipso portæ introitu, sancto Ephræm facta est obuiam. Cumque defixis in eam oculis, quasi emotæ mentis, subsisteret; & tristis perturbatoque animo torqueretur; quòd non vt precatus fuerat, sed contrarium potiùs votis ipsius accidisset; cœpit & illa eum sic stantem acerrimo obtutu contemplari. Postquam verò sic diu se inuicem adspexissent, volens eam pudore afficere, & ad verecundiam, quæ mulieribus conuenit, adducere magnus Ephræm: Quid verò (inquit) non erubescis mulier, tam fixis oculis nos intuens? Illa autem: Mihi, inquit, conuenit te sic adspicere: ex te enim sumta sum, & tuo latere. Te verò, non nos sed terram potiùs oportet aspicere, ex qua ipse sumtus es; & in quam rursus reuertêris. Hæc cùm audijsset Ephræm, præter omnem expectationem, & mulieri fassus est, magnas se habere gratias, propter eam quam ab ipsa acceperat vtilitatem. Et Deo acri emisit studio gratiarum actiones; qui per ea, quæ pręter spem accidunt, ea sępè potest facere, quę ipsam spem superant.

Cap. XIII.

Exemplo serui Abrahæ idem ostenditur.

NON absimilis est iste euentus illi à Deo exoptato & prosperè directo, quem sibi Abrahę seruus pręfigebat, dum Isaac filio Domini sui vxorem esset quęsiturus: sic inquiens secum,

ſecum, & Deum deprecans: *Domine, Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie: & fac miſericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur, puella cui ego dixero; Inclina hydriam tuã, & bibam: & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac; & per hoc intelligam, quòd feceris miſericordiam cum domino meo. Necdum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in ſcapula ſua: puella decora nimis, virgoq́ue pulcherrima, & incognita viro: deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur.* Occurritq́ue *ei ſeruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ reſpondit: Bibe domine mi. Celeriterq́ue depoſuit hydriam ſuper vlnam ſuam, & dedit ei potum. Cumque ille bibiſſet; adiecit: Quin & Camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundénsq́ue hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam: hauſtam omnibus camelis dedit. Ipſe autem contemplabatur eam tacitus, ſcire volens, vtrum proſperum iter ſuum feciſſet Deus, an non.* Geneſ.24.

En, quemadmodum admirabili Dei prouidentia, & votum ipſius Abrahę adimpletum ſit, & quam ſibi ſeruus eius pręſtituerat rata conditio. Dixerat ei ſiquidem Abraham: *Dominus in cuius conſpectu ambulo, mittet angelum ſuum tecum, & diriget viam tuam.* Serui verò præſumtam eligendæ & à Deo dandæ vxoris conditionem audiuimus adimpletam.

CAP. XIV.

Exemplum Chriſti, librum repentè aperientis & legentis.

AFFINE etiam ſatis eſt vſui modoque nobis propoſito, illud quod de ipſomet Domino noſtro legimus, de quo ſic D. Lucas: *Venit Ieſus Nazareth, vbi erat nutritus: & intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbathi in Synagogam: & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Eſaiæ Prophetæ.* Luc.4.

Isaiæ.61 *pheta. Et* VT REVOLVIT LIBRVM, INVENIT LOCVM, *vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me: Euangelizare pauperibus misit me. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omniũ in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* De ipsomet namque Christo agebat illa Prophetæ sententia, in quam aperto primùm codice, tam opportunè inciderat, ipso tacitè id ita disponente, & ad præstitutum scopum dirigente.

CAP. XV.

Benè ominata S. Martini electio, per fortuitam Psalmi octaui lectionem.

QVIS dubitet, quin ipse idem Dominus noster diuinæ suæ prouidentiæ ductu, tam appositè, in diui Martini Turonensis Episcopi fausta inauguratione, versum illum legi quasi casu curauerit, quo testante omni populo, & electus à Deo Martinus confirmaretur, & vice versa repudiaretur eius æmulus; qui nullum non mouerat lapidem, vt sancti viri ordinationem impediret, seque ipse eius loco subtruderet? Sed verba ipsa audiamus, quibus vt res gesta est describit Seuerus Sulpitius. Sic habet: Vna omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum: felicem fore tali Ecclesiam Sacerdote. Pauci tamen, qui ad constituendum Antistitem fuerant euocati, impiè repugnabant, dicentes scilicet, comtentibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominem despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita à populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, dum vituperare cupiunt, prædicabant. Inter Episcopos tamen, qui adfuerant, præcipuè Defensor quidam nomine, dicitur restitisse. Vnde animaduersum est, grauiter illum Lectione Prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito Lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuisset, turbatis ministris, dum expectatur qui non aderat, vnus è cir-

Seu. Sul. in vita S. Martini. Sur. tom. 6. Nouẽb. 11.

è circumſtantibus, ſumto Pſalterio, *quem primum verſum inuenit, arripuit*. Pſalmus autem hic erat: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum, &* DEFENSOREM. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduerſa confunditur. Atque ita habitum eſt, *diuino nutu* Pſalmum hunc lectum fuiſſe, vt teſtimonium operis ſui DEFENSOR audiret; quia ex ore infantium atq. lactentium in Martino Domini laude perfecta, & oſtenſus pariter, & deſtructus eſt inimicus. Pſalm. 8.

Refert P. Petrus Maffeius in hiſtoria Indica exẽplum ſatis congruenter predictis annectendum. Antonius Correa à Didaco Lupio Sequeria Goano prętore miſſus, vt cum Peguſiorum Rege fœdus iniret. ad Martabanum emporium Peguſiorum appulit. Eò cùm miſſi à Rege conueniſſent, & ſuas ceremonias in fide præſtanda ſuo ritu peregiſſent; Correa, vt qui vano errore ductus Chriſtianam fidem Ethnicis iureiurando obligari fas eſſe vix duceret, librum profanum loco bibliorum adferri curauit, vt eum tangens iurare in ſacra Euangelia videretur. Sed, cùm iam fallacem admouet manum, diuinitus factum eſt, vt in ea verba Eccleſiaſtæ incideret; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: erant ſiquidem inter profana ſacræ interdum immiſtæ ſententię, vt fit. Quod ille animaduertens, ſubita perculſus religione cohorruit; ac preclarè ſenſit, quam inuiolatam fœderum fidem vel cum ipſis Barbaris, eſſe cęleſte iubeat numen. Ergo apud ſe perinde iuſtum atque legitimum id iuſiurandum Antonius habuit, ac ſi pro vulgari eo libro ſacroſancta vtriuſque teſtamenti volumina contigiſſet. Maffei. Hiſt. Indic. lib. 7. Eccleſ. 1.

CAP. XVI.

Heraclij exemplo diuinus probatur nutus in re ambigua.

PROPIVS adhuc ad noſtram, quàm ORBITA noſtra prętendimus, formulam aptatum exemplum legimus in Cedreno, quod ex eodem recenſet Ill^mus Card. Cæſar Baronius, vbi de Heraclio agit, his verbis:

Heraclius Imperator iuſſit populum (exercitum ſcilicet)

Baron. tomo 8. de Heraclio, anno 622. tribus diebus *Diuinum oraculum* præstolantem, castè ac purè conuersari: sicque *responso accepto*, in Albania decreuit hieme commorari. Quomodo autem id acciderit, de Diuino responso; ita apud Cedrenum reperies: Triduo exercitum lustrat; *apertisque* postea inuiolatis Dei Euangeliis, inuenit sibi mandari vt in Albania hiemet. Frequentem fuisse eiusmodi *consultationem diuini Numinis*, per Euangelij, siue totius sacræ Scripturæ *codicis apertionem*, quæ superiori tomo dicta sunt, satis ostendunt. Hactenus Baronius. Forte Heraclius consulendi diuini beneplaciti gratia noui Testamenti volumen aperiens, in illum Corinthior. 16. locum incidit, vbi inquit Apostolus: *Veniā autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero, nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo*, VEL ETIAM HIEMABO. Aut in illum ad Titum 3. vbi ait: *Festina ad me venire Nicopolim*: IBI ENIM STATVI HIEMARE.

(Margin: Credenus. — 1. Cor. 6. — Tit. 3.)

CAP. XVII.

Tria alia exempla Consultationis Diuini Numinis, per libri apertionem.

I. OPPORTVNE tria alia his subseruientia ex Gregorio Turonensi exempla recensebimus, quæ sic se habent: Quadam die ad conuiuium à Moroueo, Chilperici regis Francorum filio, accitus ipse Gregorius; cùm pariter, inquit, sederemus, suppliciter expetiit Moroueus aliqua ad instructionem animæ legi. Ego verò, reserato Salomonis libro, versiculum, *qui primus occurrit*, arripui; qui hæc continebat: *Oculum qui aduersus respexerit patrem, effodiant eum corui de conuallibus*. Illo quoque non intelligente, consideraui, hunc versiculum *à Dominō præparatum*. Hucusque Gregorius Turonensis. Tenebatur siquidem vrebaturque iste Moroueus ambitione regnandi: ideoque Chilperico patri suo adhuc viuenti calumnias & insidias varias ac graues struebat.

(Margin: Gregor. Turon. li. 5. ca. 14. Hist. Franc. — Prou. 39.)

II. Vnde, postquam ipse Moroueus Pythonissam temerè ac nequidquam consuluisset, à D. Gregorio correptus, & à sacrilega

(Margin: Ibid. apud Greg. Tur.)

crilega illa ſciſcitatione eluſus, tres libros ſuper Martini ſepulchrum poſuit, Pſalterij, Regum, & Euangeliorum. Et vigilans tota nocte, petiit vt ſibi beatus Confeſſor *quid eueniret*, oſtenderet. Et vtrum Regnum adepturus eſſet, an non, *Domino indicante* cognoſceret. Continuato triduo in ieiuniis, vigiliis, & orationibus; ad beati tumulum accedens, reuoluit viciſſim prædicta volumina. Verſus autem primus paginæ, quam reſerauit in libris Regum, hic erat: *Pro eo quòd reliquiſtis Dominum Deum veſtrũ,&c. Ideò tradidit vos Dominus Deus veſter in manibus inimicorum veſtrorũ.* Pſalterij autem verſus hic eſt inuentus: *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis mala: deieciſti eos dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem! Subitò defecerunt: perierunt propter iniquitates ſuas.* In Euangeliis autem, hoc repertum: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet: & filius hominis tradetur, vt crucifigatur,&c.* Sic dignum ſuis meritis ac moribus Moroueus accepit oraculum: quo veluti triſulco ſpiculo cor eius ſceleſtum confoſſum eſt.

2. Paral. 7. Ierem. 2. Pſal. 72. Matth. 26.

III. Tertium exemplum refert ipſe de ſe Gregorius, quomodo hac conſulendi Dominum ratione, in afflictione ſit vſus; ſic ait: In craſtina autem die, (id eſt, Sabbathi in ipſo Paſcha) venit Leudaſtes, calumniator potens & impudens, in vrbem Turonicam: adſimulanſq; aliud negotium agere, apprehenſos Platonẽ Archidiaconum, & Gallienum, in vincula connectit; catenatosque & exutos veſte iubet ad Reginam deduci. Hæc ego audiens, dum in domo Eccleſiæ reſiderem mœſtus turbatusque, ingreſſus oratorium, Dauidici carminis ſumo librum: *Vt ſcilicet apertus aliquẽ conſolationis verſiculum daret.* In quo ita repertum eſt: *Eduxit eos in ſpe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.* Interea ingreſſi in fluuium, ſuper pontem, qui duabus lintribus tenebatur; nauis illa quæ Leudaſtem vehebat demergitur. Et, niſi nandi fuiſſet adminiculo liberatus, cum ſociis forſitan interiiſſet. Nauis verò alia quæ huic innexa erat, quæ & vinctos habebat, ſuper aquas Dei auxilio vehebatur. Ita D. Gregorius.

Greg. Turonenſ Hiſt. Fräc. lib. 5. cap. 49. Pſalm. 77.

CAP. XVIII.

Rotæ volubilis attentio regis ſuperbiſſimi animum inflexit.

VT aliquid in ORBITÆ noſtræ gratiam, quam voluendam exhibemus, de ſalutari rotæ volutione proferamus; quomodo Seſoſtris Ægyptiorum rex ſuperbiſſimus ad ſaniorem mentem orbitæ gyratione redierit, audiamus.

Nicephor. li. 18. ca. 29.

Is ſiquidem illuſtris admodum & felix, plurimas & maximas ſibi ſubiecit nationes: atque ex eo ſucceſſu in proteruam arrogantiam ſublatus, currum ſibi aureum pellucidis pretioſiſque lapillis ornatum fieri fecit: in quo confidens, quatuor ex deuictis regibus currui, qui eum traherent, iugo illis impoſito iunxit. Hoc verò cùm ſæpiùs fieret; & celebri quodam feſtoque die, ex quatuor iſtis regibus vnus oculis conuerſis continuè retroſpiceret, & ROTÆ VOLVBILITATEM intueretur: Seſoſtriſque eum, cuius rei gratia tam frequenter oculos in ROTAM coniiceret, percontaretur; reſpondiſſe fertur: Cum ſtupore admiror rotam, cùm eam inſtabili modo ferri, atque aliàs aliter volui, &, nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus autem demiſſa ſublimantem conſpicio.

Seſoſtris porrò, vbi dictum id intellexit, ſtatuit, ne illi poſthac currum traherent. Sicque viciſſitudine & inconſtantia mundanarum rerum perſpecta, & ſuſpecta illi eadem & deſpecta eſſe cœpit. Vtinam omnes illi faſtuoſæ vanitatis mundi ſectatores, turgenteſque inani hac gloria miſeri, miſeriam ſuam, rerumque fluxarum viciſſitudinem agnoſcerent! Vtinam & ORBITÆ huius noſtræ vſu, fiat in noſtris animis dextrę Excelſi mutatio!

EPILOGVS.

Vſum ORBITÆ, *nominis rationem, optatamq; eius vtilitatem declarans.*

HIS igitur hunc in modum hucuſque deductis, clarior gratiorq. futurus eſt Tractatuli huius ſubiectæq. rotulæ vſus

læ vſus & exercitatio; euadetque manifeſtior nominis ipſius ratio, qua ORBITAM PROBITATIS eam appellamus.

Vſus enim, quem ſalutaris vtiliſque oblectamenti loco commendare intendimus, eſt iſte: Vt quis, cui lubuerit, inter rotulæ chartaceæ feneſtellas quatuor, Euangeliſtarum nominibus diſtinctas, vnam quam voluerit, animi gratiâ deligat, ſibique deſignet. Tum rotulam mobilem aliquantulum circumagat, parúmve vertat; videatq. quem numerum præſumta priùs feneſtella ſuppeditet; & illum in ſubiuncto ſententiarum Indiculo requirat, in margine interiori. Lectâ autem ibidem numeri illius ſententiâ, folium, ad quod nouo ibi numero remittitur, in ipſo VERIDICI libro inueſtiget. Quo inuento, habebit quo oculos in obiecta paſcat imagine; & quo iuxta litteras illic diſpoſitas, in ſubſequente imaginis verſuumque explicatione animum oblectet. Fieri autem poterit, vt inter adſpiciendum emblemata, ſymbolicaſque illas figuras, interque legendum, Deus tacitè ſuauiterque intus operetur.

Nam, ſi variegatæ, detractis hinc inde corticibus, virgæ, in canalibus ante ouium oculos poſitæ, ex earum contemplatione, fœtus in matrum vteris verſicolores, & planè albæ albos efficere potuerunt, ipſo Iacob id ea ratione factitante; quare non etiam obiectæ hominum obtutibus imagines, & variæ ad pietatem morumque informationem excogitatæ rationes, id Deo operante conficiant, vt meliora concipiant animis, & tandem vt fœtæ matres fœtum bonum producãt operibus? Sic enim in Curiali illo ſuperiùs memorato conſpeximus: Et mirari, & accendi, & inter legendum meditari cœpit arripere talem vitam; qualem ſcilicet legebat, S. Antonij. Iterum: Et legebat, & mutabatur, vbi tu Domine videbas. Et exuebatur mundo mens eius; vt mox apparuit. *Geneſ. 30. & 31.* *Tractatus huius. cap. x.*

Quare non hoc modo Deus cor hominis pulſet, & ad ſui amorem inuitet? Scimus enim quid dixerit ipſe: *Ecce, ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam; intrabo ad illum; & cænabo cum illo, & ipſe mecum.* Quis ſcit, ſi voculæ vnius atque alterius adminiculo, velut igniculo *Apoc. 3.*

niculo in medullas cordis iniecto, ignem illum in animum ſic legentis accenſurus ſit ipſe qui eum in terram mittere venit, viniceque deſiderat vt ardeat; omnemque vitiorum ſiluam depopuletur, ad verum amorem inflammet,& decoctâ ad purum ſcoriâ, aurum animæ, charitatis, ac veræ ſapientiæ reddatur illuſtrius?

Scimus quamplurimos hac ſuaui piaq́. praxi adiutos,& ad Dei obſequium relicta mundi vanitate attractos, quos & nouimus nominatim. Scimus id illum, etiam minori interdum occaſione efficere, qui ex nihilo fecit omnia: vt neque fruſtra idcirco nos ad volucres cæli, miluos, paſſeres, hirundines, ciconias; ad lilia agri, fœnum, ſtipulam, feſtucam,& ſpinas; ad apes, formicas, culices,& viliſſimos terrę vermiculos, doctrinæ ſalubrioris virtutisque maioris acquirendæ gratia, non ſemel remiſerit.

Hic igitur eſt ſcopus meus: vt ex re parua per occaſionem, Deo intus operante, cum aliquo etiam animi oblectamento, præcipua vtilitas, quæ in ſalutis augmento conſiſtit, acquiratur. Eamq; ob rem, tractatulum iſtum praximque ſalutarem ORBITAM PROBITATIS nuncupaui. Iuxta enim votum meum, ac ſpem de Dei bonitate conceptam, ſincerumque præſcripti modi vſum, meritò liceat exſpectare, vt qui rectum Virtutum tramitem tenuerit, magis ac magis ad iiſdem inſiſtendum veſtigiis confirmetur: qui verò exorbitarit, ad rectum probitatis callem hanc ſecutus ORBITAM reducatur. Et poſtquam dimiſſis vitiis in omni virtutum genere ad veram Chriſti prototypi noſtri imitationem ſe probè exercuerit, ad illam tandem beatorum pertingat patriam, quò tam probata tot tantorumque paſſibus ORBITA perducere conſueuit.

FINIS.



QVÆRITE ET INVENIETIS.
S. MATHÆVS.
S. IOANNES.
S. MARCVS.
S. LVCAS.
IHS
9
33
1. Delige, quamcunque voles, ex quatuor fenestellis vnam.
2. Tum, verso parumper chartaceo orbiculo, sis te.
3. Vide, quem delecta tibi fenestella suppeditet numerum.
4. Illum eundem in subiecto Indicule require: ac Sententiam legito.
5. Quere tunc in Veridico folium, quò te Sententia remittit.
6. Illic, et imaginem contemplare; et eius explicationem considera.
Reuela oculos meos: Et considerabo mirabilia de Lege tua. Ps. 118.



INDICVLVS ORBITÆ.

1. A Te PRINCIPIVM: *tibi desinit.* Veridic. fol. 1
2. *Prima docens rectum Sapientia.* 6
3. *Sapientia prima, Stultitiâ caruisse.* 10
4. *Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?* 14
5. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.* 16
6. *Sibilat, & terram diffundit in aëra pestem.* 18
7. *Tam viles pulli nati infelicibus ouis.* 22
8. *Dedit hanc contagio labem.* 26
9. *Mõstrum horrendum, informe, ingens, cui lumẽ ademtum.* 28
10. *Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.* 30
11. *Rapiunt secum sub Tartara turbam.* 34
12. *Non citò credideris, quantum citò credere lædat.* 36
13. *Patriæ non degener artis.* 38
14. *Quidquid loquatur impudens dæmon, struit.* 40
15. *Sanctus haberi, Iustitiæq; tenax factis dictisq; mereris.* 44
16. *Nymphæ adsunt: & adest dulcis* CHARIS. 46
17. *Mille mali species, mille salutis habent.* 48
18. *Incorrupta* FIDES, *nudaq; Veritas.* 50
19. *Magna mihi* SPES *est in bonitate Dei.* 52
20. *Hac sine, nullus eris.* 56
21. *Placatur donis sic Deus ipse suis.* 60
22. *Casta placent Superis: pura cum mente venite.* 62
23. VIRTVS *est vitium fugere.* 64
24. *Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.* 66
25. *Scelerisq; inuentor iniqui.* 70
26. *Bellaq; & atroces iras septemplicis hydræ.* 74
27. *Discite* IVSTITIAM *moniti; & non temnere Diuos.* 76
28. *Detestanda lues, & inexcusabile crimen.* 78
29. *Exiget at dignas vltrix Rhamnusia pœnas.* 80
30. *Multis terribilis, caueto multos.* 82
31. *Nec in cælum dubites te tollere factis.* 84
32. *Illud* AMICITIÆ *sanctum & venerabile nomen.* 86
33. *Tantùm miserere, precésque Supplicis exaudi.* 90
34. *Impia subiectis fugêre incendia pennis.* 92

35. Ardua molimur: quia nulla nisi ardua vincunt. 94
36. Tu, quãtũ humani possũt se tẽdere passus, Arduus accelera. 96
37. Nec tædia cœpti Vlla mei capiam. 102
38. Tela inter media, atque aduersos sustinet hostes. 106
39. Da deinde auxilium Pater; atque hæc omnia firma. 114
40. Si quo fuerit discrimine notum, Dux an miles eam. 118
41. Armis vir dignus; armáq; digna viro. 126
42. Ite procul lusus, blanditiæq; leues. 130
43. Tuus, ô Regina, quod optas, Explorare labor, mihi iussa capessere fas est. 136
44. Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. 142
45. Non ego ventosæ plebis suffragia venor. 144
46. Tres CHARITES tibi dona ferunt. 148
47. Túne pati poteris ferales rodere coruos? 152
48. Blanda patrum segnes facit indulgentia natos. 154
49. Hei mihi! ista illum perdidit assentatio. 158
50. Vix quisquam vero pretium largitur amico. 160
51. An tibi Mauors Ventosa in lingua? 164
52. Currit in exitium LINGVA proterua suum. 168
53. Qui vaga clamosæ reprimas conuicia linguæ? 174
54. Ne liuida lædat Lingua virum. 178
55. Quin molles surda Syrenas præteris aure? 182
56. Este procul lites, & amaræ prælia linguæ. 186
57. Venti transuersa frementes Confligunt. 190
58. Soluere quassatæ parcite membra ratis. 192
59. VLCISCENS, sibi pœna semper ipse est. 196
60 Disce puer VIRTVTEM ex me, verúmq; laborem. 200
61. Supplicium ipse suum est. 204
62. Quæ vindicta prior? quàm, &c. 206
63. Tam pia (ne dubita) minuet vindicta dolorem. 208
64. Vt ameris, amabilis esto. 210
65. Quid non EBRIETAS designat? 214
66. Cupido legit omnia vultu. 218
67. Heu! stabiles portas & mœnia vellit. 226
68. Pauci quos æquus amauit Arbiter, atque ardens euexit ad æthera virtus. 230

69. Nil

69. *Nil Dominum toto quod sit in Orbe latet.* 234
70. *Surge, age; & in duris haud unquam desice rebus.* 240
71. *Spes alit agricolas.* 244
72. *Non sit locus ullus inerti* PIGRITIÆ. 250
73. *Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem.* 254
74. *Sperne voluptates: Nocet emta dolore voluptas.* 256
75. *Nunc manifesta patet falsi fallacia* MVNDI. 258
76. *Heu! quàm præcipiti mersa profundo Mens hebet!* 264
77. *Sic capitur falso credula turba dolo.* 268
78. *An inanem prosequar umbram?* 270
79. *Sunt apud Infernos tot millia* FORMOSARVM. 274
80. *Nos quoque floruimus; sed flos fuit ille caducus.* 278
81. *Læua in parte papillæ Nil salit Arcadico iuueni.* 284
82. MORS *sola fatetur, Quantula sint hominū corpuscula.* 286
83. *Crede,* ANIMA *Attalicas regia vincit opes.* 290
84. *Esse nihil toto tristius Orbe potest.* 294
85. *Omnia sub leges* MORS *vocat atra suas.* 298
86. *Non est (crede mihi) sapientis dicere;* VIVAM. 300
87. *Sera nimis vita est crastina:* VIVE HODIE. 302
88. *Illa capit iuuenes, prima florente iuuentâ.* 304
89. *Grata superueniet quæ non sperabitur hora.* 308
90. *Hos Pater æthereis Cælestum destinat oris.* 312
91. *Tartareæ sedes; & formidabile Regnum.* 314
92. *Mihi frigidus horror Membra quatit.* 316
93. *Alta sede* QVÆSITOR *sedens.* 318
94. *Volat ut iacto cita fulmine flamma.* 322
95. *Horaq; erit tantis ultima nulla malis.* 324
96. *Sponte scelus præceps ruit: implacabile monstrum.* 328
97. *Vbinam Metanœa doloris Conscia perpetui?* 332
98. *Tolle moras: semper nocuit differre paratis.* 336
99. *Tu rectè viuis, si curas esse quod audis.* 340
100. *Vitam quæ faciunt beatiorem?* 342

AVCTORES, E QVIBVS VERSVS INDICVLI ORBITÆ DESVMTI SVNT,

ſuo ordine notati; quos hic ſeparatim ponendos iudicauimus, quia illic ratione numerorum ſingulis ſubiectorum futuri erant impedimento.

1.Virg.
2.Iuuen.
3.Horat.
4.Virg.
5.Virg.
6.Mantuan.
7.Iuuen.
8.Iuuen.
9.Virg.
10.Elegiograph.
11.Sil.
12.Ouid.
13.Ouid.
14.Quintian.
15.Iuuen.
16.Pont.
17.Ouid.
18.Horat.
19.Ouid.
20.Propert.
21.Ouid.
22.Tibull.
23.Horat.
24. Ouid.
25.Fauſt.
26.Mant.
27.Virg.
28.Mant.
29.Ouid.
30.Periand.
31.Sil.
32.Ouid.
33.Ouid.
34.Ouid.
35.Ouid.
36.Sil.
37.Ouid.
38.Virg.
39.Virg.
40.Lucan.
41.Ouid.
42.Marull.
43.Virg.
44.Horat.
45.Horat.
46.Pet.
47.Remacl.
48.Mant.
49.Plaut.
50.Lucan.
51.Virg.
52.Ouid.
53.Polit.
54.Mant.
55.Fauſt.
56.Ouid.
57.Stat.
58.Ouid.
59.Virg.
60.Virg.
61.Ouid.
62.Claudian.
63.Ouid.
64.Ouid.
65.Horat.
66.Mant.
67.Claud.
68.Virg.
69.Ouid.
70.Flac.
71.Tibull.
72.Lud.
73.Auſ.
74.Horat.
75 Manil.
76.Boëth.
77.Calent.
78.Lucan.
79.Propert.
80.Ouid.
81.Iuuen.
82.Iuuen.
83.Stroz.
84.Ouid.
85.Ouid.
86.Mart.
87 Mart.
88.Virg.
89.Horat.
90.Sil.
91.Stat.
92.Virg.
93.Senec.
94.Mant.
95.Ouid.
96.Mant.
97.Mant.
98.Lucan.
99.Horat.
100.Mart.

INDEX RERVM VERIDICI CHRISTIANI.

A.

ABrahę modeſtia in iurgio 186
Abſolō patri rebellis punitus 153
Academiæ Platonicæ origo 4
Admiranda innumera 328
Admirandum vnum non infimum 328
Admiranda vſu vileſcunt 328
Admirantes vana, non admirandi 329
Adoleſcens ſe defœdans caſtitatis amore 282
Adoleſcētuli comtuli egregiè excipiuntur ibid.
Adoleſcentum pericula ibid.
Adulatorum indignitas 163, 203
Aequitas diuinæ iuſtitię in damnatione peccatorum 326
Aeſtimatio rerum erronea 290
Aeternitas incomprehenſibilis 324
Aeternum damnari, verbum aſperū 322
AethiopumRex ſi mutilus, amici eius ſe quoque mutilant 203
Agapetarum origo. 43
Ager Euangelicus conſiderandus & emendus 225
Ambitionis antiquum ſtudium 233
Ambitus per oppoſitas vias 9
Ambulandum dum dies eſt 255
Amicus verus 160
Amoris efficacia 208, 210
Angelo tutelari quid debeamus 123
Angeli boni obſiſtūt malis conatibus 123
Angeli cuſtodis officium triplex 118
Angelica tutela vnde incipiat, & vbi terminetur 118, 123
Angeli cuſtodis exemplum 121
Angelicæ Salutationis encomium 52
Angelica Salutatio deuotè pronuncianda 55
Animæ hoſtes tres 106
Animæ potentiæ tres 136
Anima peccatrix excitatur ad pœnitentiam 222
Animus bonus in re mala ſeruādus 242
Anima corpori præponenda 275
Anima regina 276
Animæ neglectus dolendus 280
Animę pretium inæſtimabile 290
Animæ prętium ex inferni incendio elici vt poteſt 293
Animæ rectà cęlū à morte petētes 312
Animæ rectà ad infernum tēdentes 314
Animę damnatę conſideratio 323, & ſeqq.
Animus humanus capax Dei 141
Antiochi pręſumptio 73
Anxietas vitę prohibetur 346, & ſeqq.
Apes luunt, dum ſe vindicant 198
Apis laus 252
Apoſtrophe ad animā peccatricem 295
Apoſtrophe ad corpus 292
Arbitrij libertas 95, 116. *Vide* Libertas.
Arborum conſcenſores, otioſi 250
Armatum ſemper cōuenit eſſe Chriſtanum 126
Armatura militis Chriſtiani 115
Aſpera verba tria præcipuè 315
Aſpectus incautus ſpoliat animam 221
Aſtus varij 37, 42
Aſtus diaboli 68
Attende tibi 176, 178
Auaritia ex neceſſitate ſumſit originem 244
Auarorum anxia, Deoque inuiſa ſolicitudo ibidem
Auditores concionū otioſi 332, & ſeqq.
Auditus corruptio, reſtitutio, rectus vſus 132
Aue Maria deuotè pronunciandum 55
Aues è nido delapſę, homo lapſus è Paradiſo 142
D. Auguſtini menſa 283
D. Auguſtinus exemplo iuuenibus 167
Auguſtus ſemper, Chriſtianus 96
Auiculę nos docent 245. & ſeq.
Auiculę documenta 301
Auis cauda 341
Auium labor & induſtria 246
Aures in pedibus habent reges 233
Aures ſpinis ſepire 182
Aures audiendi 334
Aurigæ gemini Phariſæus & publicanus 233

B.

BEatitudo vera 142, 144
Beatitudines octo 142
Beatitudo æterna 345

Beelzebub princeps muſcarum 127
Bona facienda quæ ſint 84
Bos ad victimam, peccator incpinatò moriens 343
Bulla in concha, Mundus 271

C.

Cadauer in conuiuiis Aegyptiorum 217
Cadaueris horror 286
Cælum cui ſapit, huic vilet terra 264
Cæli cupiditas 225
Calumniæ malignitas 177,184
Canis Rhetoricus, Zoilus 180
Canis cauda ab Alcibiade amputata 180
Canis catenatus, Diabolus 111
Canis Aeſopicus, Mundus 271
Cantus Chriſti efficax 143
Carcer corpus 344
Carnes proximi comedit detractor & auditor 183
Caro, hoſtis animæ 107
Charitas quid? 56
Charitatis operibus hoſtem vincere 208 212
Charitatis iactura per lites & contentiones 190
Chriſtus humilitatis magiſter & exemplar 231,232
Chriſti vis attractiua 147
Chriſtiani boni deſcriptio 44
Chriſtiani, vt pictores, Chriſti imitatores 45,353,359
Chriſtiani mali qui? 44
Chriſtianorum de ornatu corporali iudicium 274
Chriſto pulſanti aperiendum 373
Chryſorius moriens 309
Ciconię exemplum 152
Cinerum dies quid doceat nos 299
Clamor peccatorum 80,82
Cœmeterium, ſchola contemtus mundi 284
Collimandum in omnibus ad finem teli 300
Columbæ monitio; Citò, Citò 337
Communionem detractantium ineptia 99
Communis hominum contentio, quis eorum videatur eſſe maior 234
Compedibus aureis ſtringi 262
Complacentiæ vanitas 235
Concionis efficacia 97,100
Concio plectendorum communis 159
Concionis auditæ lepidum dictum 335
Concionatores iudicium hominum ſuſtinent 334
Concionum tot, cur tam exiguus fructus 332, & ſeqq.
Confeſſionis hieroglyphicum 207
Confiteri detrectantium, inanes excuſationes 98
Conſcientia quid? 304
Conſcientia bona 309
Conſcientię examen ante Confeſſionem 131
Conſcientia mala vindex ſui 196
Conſilium malum 16
Conſolatio in rebus afflictis 240
Conſortium malum 17
Contentio verborum quàm noxia 190
Contendere verbis illicitum 186
Continentia 131
Conuerſio ad Deum in afflictione conſulitur 241
Conuerſionis exempla 65,338,362. & ſeqq.
Conuertentium cur tanta raritas 340
Conuertendum ſtatim 336
Corda prauorum nidus hæreſeos 23
Coronę Romanę & Chriſtianæ 94
Corpus humanum, ipſumque caput, inſtar domus 220
Corporis dignitas propter animam 292
Correptio paterna, diuina afflictio 242
Correptio Superiorum patienter audienda 186
Correptionis tolerantia rara 162
Corripere meritum, veræ amicitiæ ſignum 161
Corui cantio; Cras, Cras 337
Coruorum miniſterium 248
Cruce ſe ſignandi vetus vſus 127
Crucis vexillum 114
Crucis ſignum clypeus 126
Crucis efficacia, nunc & in die iudicij 127
Cultus corporis & animę diſtinguitur 274, & ſeqq.

D.

Damnatio ęterna 345
Damnatorum teſtimoniũ de mundi vanitate 271
Damnum pulchritudinis 270
Damnum maximum peccatum 294
Dei iram pacantia, tria 90
Delectat terra, queis cęlũ non ſapit 263
Demoſthenis dictum; Tanti non emo pænitere 281
Dentium ordo duplex, & officium 199
Deſperandum nemini, dum viuit 306
Detractio vnde dicta, & quot modis fiat 174

Detractio impedienda 175
Detractionis remedia 178,& seqq. 182 & seqq.
Detractor& auditor peccant ambo 182, & seqq.
Deuotio quorundam pręposterα 99
Diaboli cultor & equus,peccator 14
Diaboli astus pericula peccati tegentis 68
Diaboli astutia contra Cōmunionē 100
Diaboli & hęretici coniunctum studium 34
Diaboli & hæretici affinitas 30
Diabolicæ illusiones 15,32
Diabolus quid monstri, & quare bestia dicatur 28
Diabolus hostis animę 109
Diabolus transfigurat se in Angelum lucis 113
Diei totius pius decursus 247
Dierum tria genera 254
Dies iræ 320
Dies mortis 343
Dilige,legum summa 86
Discendum semper 289
Discretio in formanda Iuuentute 148
Dispensatores Dei sumus omnes 318
Doctrina Christiana 46
Doctrinę cælestis nouitas & efficacia 142

E.

EBrietatis insania 214
Ebriosi se ouantes in tartara demittunt 216
Echinus,bonę conscientię typus 107
Echo,altercantium typus 189
Educatio naturam corrigit 154
Electio vitæ & mortis datur 326
Eleemosynæ pręstantia 90,92
Eleemosynę ante mortem datæ, efficaciores 93
Empiricorum instar,mundi iactātia 268
Epicurei 144
Eua, carnis figura 107
Euentuum incertitudo affligit 298
Eunus impostor 173
Excubię & custodia oris 227
Exemplum malum 16

F.

FAbricando,fabri fimus 332.& seqq.
Famę restitutio difficilis 175
Familiæ maximæ euanuerunt 260
Fasciculus myrrhæ, ad patientiam 202
Fastidium mundi præ cæli deliciis 266
Fastus fastu protritus 9
Fatuitas filiorum Israel in gustatu 264
Fidei mendacium omnium grauissimum 165
Fides quid? 50
Fides nostra victoria 110
Fides per charitatem operans 230
Figuli domus docet humilitatem, vt & cœmeterium 285
Figlinis vtebatur Agathocles Rex 285
Filij probi, familiæ ornamentum 157
Filiorum educatio 148,151,156
Filius prodigus 14,320
Finis vitę meditandus 300
Flare in capsulam foraminosam 180
Fœnum Mundi superbia 259
Formæ studium ridiculum 278
Formæ contemtus 281.& seqq.
Formæ venustas ad malum comparata grauissima 280
Formam suam reformantes, à Deo non agnoscentur 281
Formicæ descriptio & natura 251
Fornax nostræ probationis 201
Fortitudinis genus pręstantissimum 94
Fortunæ liber superstitiosus 354,& seq.
Fructus plerumque concionum est,iudicare de Concione 334
Fructus Spiritus sancti duodecim 76
Fructus meditationis mortis 288
Fumus,mundi iactantia 259
Fumo suffocatus fumi vendulus 259
Furis & mendacis affinitas 164
Furis instar,veniet Dominus 301,343
Furum fucus 78
Furum concio è scalis patibuli 159

G.

GAllinarum garritus contemnendus, dum oua tolluntur 103
Garrulorum hospitium 178
Garruli parum præstare solent 333, & seqq.
Garrulitas obest oris custodiæ 177,226
Gentiles ornatui corporis dant operam 274
Gloria Romanorum & Christianorum 94
Gloriæ cupiditas, causa peccati 72
Gloriæ contemtus docetur in cęmeterio 284
Goliath,carnis figura 107
Gratia Dei, armatura & murus inexpugnabilis 115,& seqq.

Grati, Deo omnia accepta ferunt; ingrati, sibi 246
Gratitudinis exemplum in pãthera 213
Gulosus venter princeps cocorum 227
Gustus corruptio, remedium, vsus 133
Gymnosophistarum mos contra otiosos 252

H.

HAeresios nidus triplex 22
Hęresis peste peius fugienda 18, 20
Hæresum origo 35
Hæretici amicis Iob comparati 31, 32
Hæretici cur tantopere D. Gregorium insectentur 31
Hæretici quos facilius decipiant 36
Hæretici semper mentiuntur; etiam veritatem dicentes 36, 40, 41
Hæreticorum cauilli contra Crucis signum 127
Hæreticorum origo 26
Hæreticorum conciliabula 24
Hæreticorum cum dæmonibus coniunctum studium 34
Hæreticorum pater & magister diabolus 36
Hæreticorum astus 24, & seq.
Hæreticus monstrum monstrorum 26
Hæreticus quid? 27
Hæreticos Constantinus exagitat 21
Herculis biuium 143
Herodis affectatio 73
Hester à modestia commendatur 276
D. Hieronymus monstrorum hęreticorum Hercules 26
Homicidium voluntarium 82
Horribile visu 286
Hostem subiugandi optima ratio 206, 208, 210
Hostes animæ tres 106
Hostis diaboli conditiones 110
Hostium nostrorum vilitas 114
Humilitatis commendatio 231
Humilitatis sublimitas 232

I.

IEiunij efficacia 90
Ignem super caput inimici congerere 106
Impostores 268
Improperij similitudo laus vera 102
Impunitas in Infernum ducit 155
Impunitas pernicies Iuuentutis 159
Indoles egregia 292, & seq.
In Infernum demigratio 217
Infernus nidus hæreseos 22
Initia piæ vitæ obloquiis obnoxia 192
Initium sapientię timor Domini 2
Innocentiæ efficax testimonium 185
Insania circa cultum corporis 275
Instrumenta lætitiæ inania, vanitatem mundi testantur 272
Intellectus descriptio 136, 138
Inuidiæ detestatio 204
Inuidus sibi prius nocet 204
Irascendum sibi ante omnia 197
Ite; verbum asperum 312
Iudas mundi proditionem representat 108
Iudices inepti Concionum & Cõcionatorum 334
Iudicij paradigma 319
Iudicium particulare 318
Iudicium vniuersale ibid.
Iudiciũ, secundum Nouissimorum 344
Iudicium hominũ de se inuicem vanissimum 234, & seqq.
Iulianus apostata 72
Iurgia vitanda 185
Iustitiæ Christianę officium 48, 64, 84, 90
Iuuentutis magna habenda ratio 147
Iuuentutis probæ inopia 158
Iuuentutis pernicies, impunitas, 159

L.

LAbor commendatur & diligentia 245
Labra, valuæ & valla linguæ 170
Lacedæmoniorum filij laudati 157, 158
Lætitiam luctus sequitur 256
Lampades Gedeonis 105
Lancea Ioab, lingua detractoris 175
Lapsus Angelorum & hęreticorum 30
Laquei gemmati voluptates 261
Latibula nidi hæreseos 24
Laudis amor 9
Laudis fuga ibid.
Lectio scholæ publicæ viuentium omnium 288
Lectus securitatis 257
Lectus spinis stratus ibid.
Lectus ægritudinis 341
Legis diuinæ beneficium 86
Legis terror 3, 322
Legum omnium summa 86
Leo rugiet 323
Lex triplex 56
Liber patientiæ, Crux Christi 202
Libri pij apertio & inspectio salutaris 361, & seqq. 367, & seqq.
Libertas arbitrij 95, 116, 304, 326
Lingua optimum & pessimum 168

Lingua scyphus Iosephi, Christi 173
Linguæ malę nocumenta 170,172
Linguæ recudendę 173
Linguæ legitimus vsus 171
Linguę morbus non facilè curabilis 178
Linguę constructio admiranda 168
Lilia agri nos docent 245
Lippitudo oculorum spiritualis 222
Litanię maiores, die S.Marci 126
Litera Pythagoræ 64
Loquendi parcitas 226
Lotum gustauit 264
Lucifer primum peccatum fecit 70
Ludus fortunæ, libellus nefarius 358
Ludificando mūdus excellit omnes 268
Lumen charitatis extinguitur patentibus vtrinque fenestris 190

M.

MAledicens malè audit 161
Maledicentiæ tolerantia 104
Malū pro malo repēdere non licet 196
Mancipij duplex genus 151
Manna nouum è cælo expectantes in arboribus 250
Mare est mundus 192
B MARIA exemplum humilitatis 231
B.MARIAE Virginis encomium 53
Martyrum inuicta voluntas 140
Mater laqueum pueris suis nectens 159
Matrum stultus amor 158
Medici audiendi non tantùm, vt sanus sis 333
Meditationes vtiles 324 & seqq. 345, 346
Memento homo quia puluis es, &c. 191,299
Memoria Passionis Christi magnum solatium 201,202
Memorię descriptio 136,137
Memorarę Nouissima tua,&c. 324,241
Mendacium quid? 40
Mendacij tria genera 165
Mendaces veridici 41
Mēdacem dici grauiùs accipitur, quàm esse mendacem 164
Mendacij pater diabolus 166
Mentiri verum dicendo 38,40
Mercedis detentio 83
Mirabilium effectrix voluntas voto obstricta 140
Miseria sortilegorum & diuinos dæmoniacos consulentium 356
Misericordiæ opera duplicia 90
Misericordia Dei admirādum quid 327
Moloch idolo qui filios suos immolēt 156
Momentum pretiosum, à quo pendet æternitas 325
Mons parturiens, mundus 270
Monstra 26
Morientium vota sæpè inania 302
Moriētium turbidior habitus, incertum indicium 307,313
Miserè morientis imago 306,310
Morientium in Dño exempla varia 311
Morientium status communiter hominibus ignotus 312
Mors primum Nouissimorum 344
Mors quieta ex vita benè transacta 254
Mors intrat per fenestras 220
Mors in olla 108,265
Mors nec optāda, nec nimiū timēda 308
Mors peccatorum rectà ad inferna tendentium 314 & seqq.
Mors & iudiciū omnibus cōmunia 344
Mortale peccatum 66
Mortē timent qui maximè 304,& seqq.
Mortem sibi inferens præ ignominia 198
Mortem inclamantis fabella 308
Mortificatio sensuum 131
Mortis certitudo 298
Mortis nostræ hora cur MARIAE commendata 53
Mortis meditatio summa philosophia 287,298
Mortis horror 304
Mundi contemtus vbi perfectè doceatur 284
Mundi ex MARIA solatium 53
Mundi merces, miseria & pernicies 269
Mundi statera dolosa 145,235. & seqq.
Mundi tempus, dies vnus 254
Mundi vanitas 258
Mundi fraudulentia 261
Mundum stare sub pōdere peccatorum, admirandum 330
Mundus, hostis animæ 108
Mundus delirat, hinc malè iudicat de beatitudine 145
Mundus quos maximè decipiat 268
Mundus senio confectus 330

N.

NAbal, carnis figura 107
Naturæ legis efficacia 57,58
Natura texit præstantiora quæque 192
Naturæ propensio vt fluminis ictus 192,& seqq.
Nauis clauo regitur, ita vita hominis memoria Nouissimorum 341
Nidi varij; & nidus hæreseos triplex 22
Nihilo vanior totus mundus 270

Noſce te ipſum 2
Nouiſſima cur ſic dicta 344
Nouiſſimorũ recordatio efficax 324, 340
Nouiſſimorum partitio inter bonos & malos 345
Nox pacata ex die piè traducto 254
Nox inquieta ex die malè exacto 256

O.

OBedientia pueris neceſſaria 148
Oblectamenta noxia, & ſuperſtitioſa 354, & ſeqq.
Obloquia toleranda Dei cultoribus 102
Occaſio peccati fugienda 67
Occaſio facit furem 69
Oculorum periculum & cuſtodia 218, 281
Oculorum artificioſa conſtructio 218, & ſeq.
Oculorum corruptio 220
Oculorum remedium ſpirituale 222
Oculorum acies in cęlũ intendenda 225
Oculus Dei penetrat omnia, & ſolus diiudicat benè 236
Odoratus corruptio, remediũ, vſus 133
Omina diuino nutu directa 359, & ſeq.
Operandum dum dies eſt 255
Optare omnibus facile 301
Optio vitę vel mortis omnibus datur 326
Opus mechanicum exercitio addiſcitur, ita vita Chriſtiana 332
Oratio ex ſpe 52
Oratio Dominica ibid.
Oratio breuis, gladius 116
Orationis vis 90
Orationis breuis efficacia 128
ORBITAE PROBITATIS vſus & vtilitas 359, 372, & ſeqq.
Originale peccatum 66
Oris cuſtodia 226, &c.
Ornatui corporis operam dare, Gentilium eſt 274
Ornatus animę prę ſtãtior 275, & ſeqq.
Oſſa arida docent formam & mundum contemnere 284, 286, 288
Otioſi ad formicam mittuntur 250
Otioſorum pœnæ varię 252, & ſeq.
Otium reprehenditur 245

P.

PAcis & concordię commendatio 211
Palati diuerſitas amatorum Dei & mundi 264, & ſeqq.
Paradoxa docentur in cœmeterio 284
Parentes indulgentes 155
Parentes honorandi 152
Parentibus graues quid mereantur ibid.
Paſſio Chriſti patiẽtiã docet 201, & ſeq.
Pater noſter, & Aue MARIA, delicię 55
Patientiæ commendatio 199, 243
Patientię magiſterium 100
Patientia iniuriarum, magnum miraculum 199
Patris & filij mirabilis lucta affectuum 212
Pauperum oppreſſio 83
Peccata quomodo exſtinguantur 92
Peccata clamantia 78
Peccata aliena nouem ibid.
Peccata capitalia 74
Peccat, quiſquis mentitur 165
Peccati monſtroſitas 67
Peccator diaboli equus 14
Peccator ęternaliter peccare cenſetur in voluntate 326
Peccatoris intrepidi deſcriptio 296
Peccatorum tria genera 66
Peccatorum onus 330
Peccatorum cur tam rara conuerſio 332
Peccatorum pondus à terra ſuſtineri, admirationem ſuperat humanam 330
Peccatum in Spiritum ſanctum 76
Peccatum primum in cęlo, ſecundum in Paradiſo 70, 72
Peccatum, omnium nocentiſſimum 66, 294
Peccatum irremiſſibile quomodo 77
Pelli vulpinę leonina ſuccedit 109
Periculum fugiendum 66
Periculum in mora 337
Peſte peior hæreſis 18
Peſtes admirandę 20
Philoſophari vtile eſt 323, 346
Pigri ad formicam mittendi 251, & ſeq.
Pigritię excutiendę remedium triplex 252
Piſcis caudâ dirigitur 341
Placendi Deo optima ratio 230, & ſeqq.
Pœnitentia non differenda 310
Pœnitẽtia accelerãda, ob tres cauſas 339
Pœnitentię Sacramenti beneficium 321
Præcepta decem ad vnum redigũtur 87
Pręcipitium prę nimia obedientia 32
Pręcipitium per illuſionẽ diaboli ibid.
Pręcipitium ſeductorum 32, & ſeq.
Pręſidia contra hoſtes animę 110, 114
Præſidia duo ſemper ad manum 126
Prętioſę res in vilibus rebus latent 290
Pretioſiſſima anima ibid.
Principiis obſta 336
Procraſtinatio conuerſionis 337
Prouidentia Dei in peccatis clamantibus 80
Prouidentia Dei nituntur boni, & faciũt

quod

quod sui est officij 274
Puellę charitas virum à suspendio liberantis 296
Pueri hęreticos execrantes 19
Pueri qua parte castigandi 154
Puerilis excusatio in peccatis alienis 78
Pueros tria decent 148
Pulchritudo flos caducus 278
Purgatorium 312

Q.

QVanti quisque sit pretij 234
Quatuor Nouissima 340
Quatuor nouissimorum efficax memoria 341,& seqq.
Quatuor annuli arcę fœderis 346
Quatuor fabri 346
Qui nihil scit, nihil interrogat 284
Quid nunc optandum maximè in vita 300
Quid optabitur maximè in morte 302
Quid dicent homines? vanū dictum 102
Quinque Sensus 130
Quinque vulnera 131
Quinque portę, iuga, satrapę, porticus, lapides, reges, talenta, ciuitates, &c. 130,& seqq.
Quinque filiis Mathathię quinque Sensus comparati 135

R.

REbellio carnis vnde 107
Receptores rationis reddendę memores esse oportet 319
Reconciliatio animorum commendatur 211,& seqq.
Redde rationem; verbum asperum 318
Reddenda nunc potiùs ratio sacerdoti Christi vicario 320
Regnum in nobis affectant vitia 75
Regnum Dei primùm quęrendum 246
Remedium lepidum contra maledicentiam 188
Remedium oculorum spirituale 222
Respice finem 300
Restitutio in peccato alieno 78
Ridendo mori 263
Ros, gloria mundi 258
Rota ignita, lingua 170
Rotę quatuor, quatuor Nouissima 342
Rotę volubilis attentio quàm efficax 371,& seqq.

S.

SAcramenta Ecclesię 60,62
Salamonis infatuatio 12,266
Saltus Christi multifarij 143
Salutatio Angelica 52
Salutis media sufficientia omnibus data 318
Sapientes serò 314,& seqq.
Sapiens verè 6
Sapientia vera 1
Sapientię pretium 7
Sapientię & simplicitatis coniunctio 51, 239
Sardanapali proiectus animus 266
Saul Dauidis amicitia superatus 210
Saulus vestimenta tenens peccauit 79
Scire volūt omnes, sed scitè viuere pauci, 2,332
Scolopendra Hieroglyphicum veri pœnitentis 207
Senij incommoda 261
Sensus quinque 130
Septem peccata capitalia, & septem prę-sidia 74,& seqq.
Septena varia 75
Sepulchra atque ossa, magistri nostri 284,286. & seqq.
Seruus nequam & ignauus 320
Silentio discendum 286
Silētium amicorum Iob dierum septem 286
Simia prę amore pręfocat prolem 158
Sodomiticum peccatum 83
Somnij instar, mundi vanitas 260
Somnij instar, mundi superbia 271,283
Sors hominis Christiani, Deus 273
Sortilegium splendidum sed fraudulentum, mundus 270
Sortilegium superstitiosum 354,& seq.
Speculi bonus vsus 279
Sperandum in Domino semper 244
Spes 52
Spinea corona Domini 182
Spinis indormit malè sibi conscius 257
Spiritus sancti septem dona, &c. 76
Statua hominem oppressit 198
Status gratię 312
Status damnationis 315
Stratagemata bellica varia, etiam diaboli 112
Stultus mundo, sapiens Deo, Simeon Salus 239
Superbia, ruinę causa diabolo & hęreticis 30
Superbia mater hęreticorum & diabolorum 31
Susannę innocentia 185
Symbolum Fidei 50

T.

TAciturnitas pueros decet 149
Vide Silentium.
Taciturnitas, acris vindicta 187
Tactus corruptio, remedium, vsus 133
Tactus peccatum multiplex 134
Tantus vnusquisque, quantus apud Deum 237
Tempus laboris breue, mercedis ęternum 326
Tempus fallentes, se fallunt 325
Tentationis vt literę proditorię 112
Tentationis vehementia 71
Tentatores hominum diaboli 71
Terræ miranda moles 330
Terrę faciem occupantes 343
Terram sub mole peccatorum non ruere, admirandum 329
Terreni cęlestia non capiunt 146, 264
Theologicę virtutes 45
Timor Domini, initium sapientię 2
Tolle, lege: tolle, lege 287
Tonitru terribilissimum; ITE. 322
Tria pręclara incitamenta virtutum 96
Tribus fortibus tres animę facultates comparantur 141
Tribulatio, ventus prosper 193
Tribulatio, fornax probationis vasorum 201
Tribulationis dignitas & efficacia 192
Tribulationis vtilitas & solatium 241 & seq.

V.

VAloris sui scrutandi ratio 234 & seqq.
Vanitas se exaltantium 237
Vanitas vanitatum mundus 270, 329
Varia morientium vota 302
Venatio animę perniciosa 262
Venatores animarum diaboli 317
Veniale peccatum 66
Verba Dei nunc suauia, aliquando aspera futura 316
Verba aspera tria 316
Verbi auditores multi, factores pauci 333, & seqq.
Verbosorum importunitas 186
Verecundia decet pueros 150
Vesper lætus, ex die benè transacto 254
Vesper turbidus, ex die malè traducto 156
Vestium origo, luxus, & vanitas 274 & seqq.
Via arcta & spatiosa 64
Victoria sui omnium excellētissima 94
Victoria Charitatis 212
Viduę Receptorum miserę 319
Vigilandum contra hostes 109
Vigilię bonę securitas 111
Villicus iniquitatis 320
Vindicta non est licita 196, & seqq.
Vindictæ genus optimum 206
Virgę castigatorię miraculum 155
Virgarum decorticatarum cōtemplatio quàm efficax 373
Virginitatis pereuntis initia 68
Virginúm sanctarum laus 276
Virtutes mellitę, cur 84
Virtutes Theologicæ 46, 85
Virtutes Cardinales 85
Virtutis & honoris templum ibid.
Virtutum acerbitas in quo cōsistat ibid.
Visus corruptio, remediū, & rectus vsus 132
Vita mundi retrograda 13
Vita via est ad patriam 300
Vitæ vt viæ efficax consideratio 327
Vitæ necessaria qua via optimè inueniantur 247
Vitę dies vnus 254
Viuendi necessitas solicitudinem parit 244
Volucres cæli nos docent 245
Voluntas peccandi ęterna 326
Voluntatis descriptio 136, 139
Voluntatis libertas: *Vide* Arbitrium, *&* Libertas.
Voluntatis oblatio præstantissima 139
Voluntatis malæ mala 139
Voluntatis bonę potentia, in agendo & tolerando 140

Z.

ZElus sanctus 89
Zoilus canis Rhetoricus dictus 180

INDEX EXEMPLORVM VERIDICI.

A.

ABel, Iacob, Ioseph fratribus præstiterunt 238
Abrahæ modestia in contentione 186
Abrahæ seruus signo expetiit Dei nutum 366. *& seqq.*
Abraham asperũ dictũ patiẽter tulit 316
Absalonis proteruiæ punitio 153
Adam abscondit se audita voce Domini 312
Adolescentuli comtuli sibi peius volunt, quàm voluit Natura 282
In Adolescentulos inuerecundos Persarum lex 151
Ægyptij cadauer conuiuiis suis proponebant 217
Ægysthus quare factus adulter 69, 215
Æthiopis Candacis, &c. conuersio 365
Affectatio diuinitatis in Herode 73
Affectatio diuinitatis per astum 72
Agag imparatos ad mortem præfigurat 305
Agathocles Syracusarũ rex fictilibus vsus 285
Agathon abbas lapillum in ore gestabat 228
Agesilai consilium cõtra detractores 184
Agis Lacedæmoniorum rex Oratori verboso quid responderit 334
Agrippa rex vt ludificatus Alexandriæ 273
Agrippinæ Neronis matris stultitia 156
Alcibiades canis sui caudam amputauit 180
Alexander quanti fecerit Homeri Iliadem 292
Alexandri continentia oculorum 224
S. Alexij humilitas & patientia 194
Alphonsus Arragoniæ rex sapientiã empturus, si venalis fuisset 7
Amani violenta lingua 171
Amos eremita furem mirè conuertit 212
Angadrisina pro deformitate orauit 282
Angeli custodis officium 118
Angeli custodis exemplum 121
Angeli duces exercitus 117
Angustæ viæ typus, & latæ 63
Animæ pretium ex incendio conijciendum 293
Animi moderatio victoriis omnibus præstat 94, 95
S. Antonij visio contra tædium 250
Apollinis tẽplo inscriptũ; Nosce teipsum 2
Apuleius & Hermes oculos sibi eruentes, ad meliùs philosophandum 224
Archelaus rex silendo radi volebat 228
Aristippus naufragio erut⁹, sapiẽtiæ præsidio fretus, se sociosq; consolatus est 243
Aristippi lepidum dictum 233
Astus Q. Sertorij per hinnulum 42
Astus Mahumetis per columbam 42
Astu regno potitus Gyges 69
Astus Iuliani vt Deus haberetur 72
Astus Menecratis medici vt Deus haberetur ibid.
Astu quidam in mare præcipitati, spe per mare transeundi in terrã promissã 33
Astu quidam regnum occupans 37
Astus in populi deceptionem & affectationem diuinitatis 41 *& seqq.*
Astum diaboli detexit S. Martinus 38
Atheniensium stultum facinus 13
S. Augustinus differebat conuerti 337
S. Augustini conuersio 287, 362, *& seqq.*
D. Augustinus 6, 167, 183
Auiculæ documentum 302
Auribus graues præ mundi strepitu 335
Axæ querela 225

B.

BAiazetes Turcarum princeps à Tãberlano compedibus aureis vinctus 262
Balaam benè mori sed non benè viuere volebat 303
Balsasar humiliatus 237
Baptizata angelis susceptoribus virorum specie 296
Baptizatus puer ex monstroso fit pulcherrimus

rimus 279
Barchochabas impostor 173
Barlaam & Iosaphat 301
Beatitudo mundi infelix 144
S. Bernardi soror ornatum corporalem abiecit 277
S. Bernardi patientia 199
S. Bernardus per catellum latrantem matri præfiguratus 100
S. Brigida pro deformitate orauit 282
S. Brixius S. Martini discip. 191

C

Cæsarē & fortunam eius vehis 195
Cain inuidia & homicidium 82
Caligula præ metu se intra lectum abdebat 306
Cambyses astu regno exutus 37
Captiuitas aurea 262
Carabbas stultus 273
Carthaginensium matrum stultus in filios amor 156
Castitatis amor & studium 282
Catholicorū constantia 33, 37
Causidici fumi-venduli 259
Cerinthum fugit Ioannes Euangelista 19
Cham iusta ob irreuerentiam erga patrem maledictio 153
Charitas Machabæorum in Deum 88
Chius senex 166
S. Christina inimicum per serpentem conuertit 213
Christo pulsanti aperiendum 373
Christus libro aperto in sibi conuenientem sententiam incidit 367, & seqq.
Chrysorij mors 309
Claudij imprudens factum 12
Claudius Clemēs & Ioannes Mailrosus, sapientiam Parisios aduexerunt 7
Clodouæus Dei voluntatem signo scrutatus 360
Cælum sordet cùm terra sapit 264
Concio habetur sæpè, sed fit rarò 335
Concionum præstantia 100
Concionum auditores, & non factores 332
Concilium Ariminense subdolum 24
Concilium Seleucianum pestilens 20
Conciliū Cōstantinopolitanū, per Copronymum contra imaginū sacrarum venerationem coactum fraudulentū 25
Concilium Ephesinum prædatorinm 25
Confessionis peccatorum efficacia 100
Coniugalis fidei sinceritas 283
Conscientiæ malæ trepidatio 304, 308
Constantia in bono 103, & seqq.
Constantij humilitas 5
Constantia Petri Martyris 140
Constantinus libellos calumniarū exussit 181
Contentiosis mansuetè respōdendum 186
Cōuersio D. Augustini. Vide Augustin⁹ 6
Conuersionis exempla varia 338
Conuertendum statim 336
Corinthiorum stulta temeritas 12
Cornelij Centurionis pietas 93
Corporis cura respectu animæ quanta 292
Crastinum nulli certum 311
Crœsi cantio rogo imminentis 144
Crucis signatio efficax 126
Crucis signo Iulian⁹ dæmones fugat ibid.
Crucis signi figura Thau efficacia 128
Curialium duorum mira conuersio 363 & seqq.
Custodia oculorum 281, & seqq.

D.

Damascenus Ioannes, maior humilis, quàm superbus 238
Damnati terribilis apparitio 315
Darius aureis compedibus vinctus 262
Dauid amicitia Saulem fregit 210
Decij erga patrem reuerentia 152
Dei vocantis vox attendenda 287, 323
Delicatæ mulieris diuina punitio 73
Detractores non audiendi 182
Detractorum punitio 184
Diaboli in angelum lucis transfiguratio detecta à S. Martino 38
Item à Iuliana 113
Diaboli astutia ad inanem gloriam tentantis 126
Diogenes ne quidem baculo arcedens erat à discendi studio 162
Dionysius Syracusanus furtum permisit, vt ebrietatem tolleret 217
Dionysius Syracusanus ludibrium mundi factus 269
Dioscorus sanctum Flauianū occidit 25
Discendum, & seni, & magno, & docto 288, & seq.
Discendi studium ardens 162, & seq.
Diuinitatis affectatio per astum 72
Diuinitatis affectatio in Herode 73
Item Menecratis medici 72
Item Iuliani ibid.
S. Dominicus per catellum, face Orbē incensurum,

censurum, matri præsignatus 100
S. Dominici in Deum fiducia 248

E.

EBriosorũ malè pereuntiũ exẽpla 216
Eleemosyna virtus 91, 92
Eliam coruus pauit 248
Eliseus exercitum Syriæ in medio Samariæ pauit & dimisit 208 (& seq.
S. Ephram mirabili euentu edoctus 5 365,
Epicuræorum inanis beatitudo 144
Esau insipientia 264
S. Eucharistiæ efficacia 101
Eulogij tolerantia 194
Eusebij Cremonẽsis trepidatio in morte (313

F.

FIducia in Deum 248
Fiducia cum otio, præsumptio 250
Filia patrem alit, matrem in carcere lactat 153
Filius prodigus 320
Filij prodigi imprudentia 14
Filiorum parentum curã detrectãtium, imprudentia 13
Filiorum in parentes obseruantia 152
Filiorum in parentes rebellio 153
Filiorum proba educatio 157
Filiorum benè educatorũ præstantia 157
Filiorum Israel insipientia 264
Filius ante suspendium patri nasum præmordens 159
Florentiæ lex contra otiosos 252
Formæ contemtus ob animæ curam 280
Formæ contemtæ exempla 281
S. Franciscus fratrem Leonardum à tentotione vanæ gloriæ liberauit 72
Fumi vendulus fumo interemtus 259

G.

GAllicanus sublimior in humilitate, quàm in seculi celsitudine 238
Giezi inescatio in auaritiam 69
Gloriæ cupiditas esca nocentissima 72
Gloria in confusione 263
Gloriæ inanis vanitas 235
Gratitudinis exemplum 283
Græciæ Sapientes septem 8
Gregorius Thaumaturgus 20
Gregorius Turonensis se consolatus est inopinata libri apertione 371
Idem eodem modo Morouæo sententiam congruam legit 370
S. Guilielmi conuersio & constantia 150
Gyges regno potitus, astu 69
Gygis annulus nihil ad Christiani candorem 69
Gymnosophistarũ rigor cõtra otiosos 252

H.

HÆresim & infidelitatem suppressisse, magnum miraculum 20
Hæretici fugiendi 18
Hæreticorum fucus & impostura 39
Hæreticorum sociæ ad luxum & statũ 43
Hæreticorum origo à maligno est 18
Hannibalis dictum, in oppugnatione Romæ 336
Hannibalis dictum, de Carthagine & Roma 171
Heli indulgentiæ pœnas luit 156
Heliogabali pictæ epulæ 147
Heraclij humilitas in ferenda cruce Christi 232
Heraclius libri sacri consultatione, Dei voluntatem agnouit 369
Hero diaboli suasu se præcipitem dedit 32
Herodis affectatio diuinitatis 73
Hester ornatum externum contemnebat 276
S. Hieronymus diem extremum exhorrebat 342
S. Hilarion à latronibus non terretur 301
S. Hilarion moriens 310
Hiram querimonia 225
Humilitatis custodia 285
Humilitatis exẽplum in Imperatore 232
Humilitas 238, & seqq.

I.

IAcob, Ioseph, Abel fratribus prestiterunt 238
S. Iacobus martyr 338
Ieiunij efficacia 91
Iezabel è fenestra præcipitata, &c. 32
Illusio diabolica detecta 38
Illusione diaboli se quidam precipitans 32
Illusio diabolica ex arrogantia 15
Imprudens factum Claudij 12
Incendiaria lingua 170
Indocti doctis sapientiores 5
Indolis eximiæ indiciũ 292. (156
Indulgẽtiæ puerorũ castigatæ exemplum
Inhumanitas in proximum 80, 213
Inhumanitatis iusta pœna 82, & seq.
Inimicis benè faciendum 208, & seqq.
Insaniæ genus, bonos persequi 13
S. Ioãnes Euangelista Cerinthũ fugit 19
S. Ioannis quotidiana exhortatio 87

Ioannes Mailrosus & Claudius Clemens sapientiam Parisios aduexerunt 7
Ioannes Damascenus, maior humilis, quàm superbus 238
Iob amicis suis horrori fuit 286
Iob tolerantia 104
Iosaphat quo viso à periculo carnis sit liberatus 327
Filiorum Israel insipientia 264
Isaac tolerantia iniuriarum 188
Iudicij recordatio salutaris 342
Iudicij & Nouissimorum neglectus noxius 343
Iulia Augusti filia, quòd canos sibi extrahi curabat, ab Augusto lepidè reprehensa 167
Iuliana diaboli fraudem detexit 113
Iulianus signo crucis dæmones fugat 126
Iuliani astus, vt Deus haberetur 72
Iustitiæ rigor in Otton. Imp. 185

L.

LAborandum, tametsi non egeas 253
Lacedæmoniorum mos in cõuiuiis silentij gratia 228
Lcaedæmoniorum in filios rigor 157 158
Lapidibus similes ignari 49
S. Leonardus socius S. Francisci 72
Litaniarum maiorum occasio 126
Litera Pythagoræ 64
Loquaces parum præstant 333, & seq.
Contra Loquacitatem remedium 188
Lotum gustauit: Sui oblitus est, inescatus est 264
S. Ludouicus rex & S. Ægidius minorita se mutuo amplexantur 55
Lutheri remorsus 343
S. Luciæ mater vt sanitatem impetrarit 361
Lysandri prudentia 69

M.

MAchabæorum septem fratrum in Deum charitas 88
Mahumetis astus per columbam 42
Maledicentiæ tolerantia 104. 181. 189. 199
Manna in arboribus præstolantes 250
Marcus Imperator tabellam gestans ad scolam vadit 189
S. Martini electio Diuino nutu per fortuitam Psalmi lectionem confirmata 368, & seqq.
S. Martino diabolus apparuit 38, 307
S. Martinus moriens, mori & viuere paratus 308
Martinus Lutherus remorsum conscientiæ retorquebat 343
Martyrum fortitudo 140
Matronæ Alexandrinæ patientia, in ferendis viduæ ingratæ molestiis 194
Matrum in filios stultus amor 156
Matrum Carthaginensium stultus in filios amor ibid.
Mendaci ne verum dicenti creditur 166
Menecratis medici astus, vt Deus haberetur 72, 147
Mercedis detentio, inhumanitas 83
Mirãda facta Gregorij Thaumaturgi 20
Misericordiæ opus excellens 296
Moloch idolo immolãtur filij perditi 156
Morouæus sacros libros in consultationem adhibuit 376
Mors horribilis 310
Mortem optantes sancti 310, & seqq.
Mortem optantes, & venientem detractantes 308
Mortis horâ etiam sanctos aliquando terret diabolus 312, 313
Mortuus viuum apprehensum ad mentem reuocat 289
Moyses Maurus latro conuersus 104
Moyses abbas tentatus, & liberatus 121
Moyses quidam falsus, impostor 33
Mundi illusio & inconstantia 268
Mundi beatitudo infelix 144
Mundi sublimitas in deliro Carabba derisa 273

N.

NAbal stultus 107
Nabuchodonosor è cœtu hominum eiectus 235
Nasum patri præmordẽs filius ad suspendium ductus 159
Natus in feretro, è matre mortua 299
Neronis infelicitas & miser exitus 269
Nobilium sanctorum ad Christum vocatio 147
Nosce teipsum, Appolonis tẽplo inscriptũ 2
Notitia sui quomodo acquiratur 1, 2

O.

OBedientiæ exempla 150
Præ Obedientia se præcipitãtes Ethnici 32
Occasionem negligentes 336
Oculorum custodia 281, & seqq.

Oculo-

Oculorum custodia exempla 224
Operis boni remuneratio, etiam hîc interdum 296
Orationis vis 90, 91
ORBITAE PROBITATIS vsus & vtilitas 359, 372, & seqq.
Origenis erroris origo & causa 239
Osualdi regis liberalitas 91
Otij vitandi exempla 249, 250

P

PAcis conciliandæ facilitas 207
Pambo linguæ refrænationem prima lectione didicit 228
Parentum in filios stultus amor 154
Parisiensium studiorum initium 7
Parturiunt montes 270
Pater filiũ immolaturus, diaboli fallacia 15
Pater filium vitæ suæ insidiantem mirabiliter tandem ad mentem reduxit 212
Patientia iniuriarum 103, 187, 188, 193, 194, 201
Patientia Tobiæ 104, 187
Patientia Alexij, & humilitas 194
Patientia Alexandrinæ matronæ, in ferẽdis viduæ ingratæ molestijs 194
S. Patricij specus, vbi & vnde 335
Patroclus adulatorum typus 163
Paulæ rigor in seipsam 281
S. Paulus eremita per coruum pastus 248
Paulus Simplex tacere didicit 228
S. Paulus viperam in ignẽ statim excussit 337
Peccatores terrendi aliqui 335
Perilli crudelitas, bouẽ æneũ fabricantis 81
Persarum lex in adolescentulos inuerecundos 151
Persequi bonos insaniæ genus 13
Pestes horrendæ 20
Pestis vectigal exigit ibid.
Petri Martyris constantia 140
Petrus Martyr inter prædonum manus symbolum recitat 51
Petrus Telonarius iudici sistitur, & ad meritorum augmentum remittitur 323
Philippus Macedo benè monentem captum liberum dimisit 163
Pietatis exemplum in ciconiis 152
Platonis industria in Academia statuẽda 4
Præcipitantes se præ obedientia Ethnici 32
Præsagia pia circa Sanctorum ortum 100
Praxiteles à Phryne vt deceptus 293
Procrastinatio conuersionis mala 337 & seqq.
Protagoras ex puero vt factus philosophus 292
Puer deformis baptismo fit pulcher 297
Pueri Samositæ quid in odium hæreticorum egerint 19
Pulchritudinis laus vera 276
Pygmenius cæcus Iuliano 25
Pythagoræ litera 64
Pythagoricum silentiũ quinquennale 150

Q

Q. Sertorij astus per hinnulum ceruæ, vt Deus crederetur 42
Quinque varia 130. & seqq.
Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter 69

R

RApsacis blasphemia silentio restincta 172
Rationis reddendæ exẽpla Euangelica 320
Rationis reddendæ efficax memoria 322 & seqq.
Rebelles reges Sensus quinque figurant 131
S. Remigij in aceruorum conflagratione tolerantia 243
Reparati damnati apparitio 315
Resipiscentia sancta 338
Reuerentia Decij erga patrem 152
Rhacones filiũ cõtumacẽ iudici obtulit 157
Rhodope scortum pyramidem extruxit 263
Rotæ volubilis attentio quid effecerit in rege 371. & seq.

S

SAluij Iuliani dictum, quo semper discendum aiebat 289
Samositæ vt hæreticos euitabant 19
Samositæ pueri quid in odium hæreticorum pila ludentes egerint 19
Sanctorum zelus amoris diuini 88. & seq.
Sapientiæ acquirendæ aptus locus 3
Sapientiæ typus apud Ethnicos 7
Sapientiæ pretium incomparabile ibid.
Sapientiæ introducẽdæ lepidũ exemplũ 154
Sapientia Parisiis venum exposita 7
Sapientiam emisset Alphonsus Arragoniæ rex, si venalis fuisset 7
Sapientiam Claudius Clemens, & Ioannes Mailrosus Parisios aduexerunt ibid.

Sapiētia naufragio & exilio medetur 243
Sapientes Græciæ septem 8
Sapientissimus qui Deo proximus 6,7
Sara Abbatissa diaboli astum detexit 116
Saul Dauidis amicitia superatus 210
Saulus vestimenta tenuit 79
Scientia quid conferat possessori 47
Scientiæ neglectus à Socrate reprehēsus 49
Serò sapere stultum 318. & seq.
Sertorij astus per hinnulum 42
Seruus nequam 320
Seruus ignauus ibid.
Sesostris rex Ægyptiorum rotæ inconstantia notata remisit de fastu 372
Silentij exempla 228. & seq.
Simeon Salus mūdo fatuus, sapiēs Deo 239
Simon Magus è sublimi deturbatus 235
Simplicitas prudēs omni sapiētiæ præstat 51
Smerdes impostor 37
Sobrietatis cura 229
Socrates discipulos suos speculum intueri iussit 279
Socrates inter pueros fidibus discit canere 289
Sodomorum & Gomorrhæorum punitio 83
Solon & Crœsus de beatitudine 144
Solon ob silentium stultus temerè iudicatus 188
Solonis impotentia, ob filij mortem à Thalete simulatam 242
Spartanorum in filios studium 157
Speculi laudabilis vsus 279
Spiridion simplicitate efficaci philosophos confudit 51
Spurina, pulcher adolescens se deformans 282
Statua ex inuidia cæsa, vt se vlta est 168
Stulti consilij pernicies 11. & seq.
Stultitiæ insolentis præmium 11. & seqq.
Stultus nequit tacere 188
Suspendium viri impedit puella 296

T.

TAciturnitatis exempla 150
Taciturnitatis commendatio 228
Tamberlani crudelitas 83
Temeritas stulta Corinthiorum 12
Templum Virtutis & Honoris Romæ 85
Terror sæpè frustrà incutitur 339
Thales Milesius cælum intuens, in puteum lapsus est 6
Thau signi Crucis figuræ efficacia 128
Thaumaturgi miranda facta 20
S. Theodoræ & militis charitas 89
Theodosius Arsenio filios suos in disciplinam tradens, quid dixerit 47
Theodas se attollens, humiliatus 235
Thomæ Mori dexteritas contra detractores 179
D. Thomas Aquinas, bos mutus aliquando dictus 151
Tigranes à Cyro captus, & dimissus cum vxore 283
Timoris Dei incussio in monte Sinai 3,322
Titi studiū, ne dies periret sine fructu 255
Tobiæ patientia 104,187
Tobias ab Angelo ductus & custoditus 119
Tripodis inuentio 8

V.

VAlēs & Vrsacius Catholicos circumuenerunt 24
Verborum asperorum tolerantia 316
Verecundiæ exemplum 151
Veritas odium parit 161,162
Vespasiani & Titi seueritas in detractores 184
Viæ latæ & angustæ typus 64
Viator & mors 308
Viduarum & pupillorū oppressio mala 83
Vindicta iusta à Deo 198
Virgæ decorticatæ à Iacob 373
Visiones Dei cosolatoriæ 129
Vlyssis consilium contra Sirenes 182
Vlissis socij, amatores mundi 264
Voluntatis inuicta soliditas 140
Vox Domini vocantis attendenda 287, 323

X.

XEnophon ex triuiali puerulo factus philosophus 293

Z

ZElus Sanctorum amoris diuini 88 & seq.
Zoilus, canis Rhetoricus 180

INDEX SIMILIVM VERIDICI.

A.

ABsolutio sacerdotalis, adsimilatur apochę signatæ 320. & seq.
Abundātes in seculo, somnio surgentis 272
Adolescens, testæ recenti, lagunculæ 148
Item catello ibid.
Adolescentia, plantulæ ibid.
Adulatoris libertas cauæ clauæ Herculis 163
Aeternitas, mari refluo 324. & seq.
Item monti immenso 326
Ambitio, insaniæ 235
Amicus fidelis, medicamēto, medico, &c. 160. & seq.
Amor Christi, vulneribus & sagittæ 88
Item insitioni ibid.
Anima, naui 192
Item tabulæ pictoris 45, 353, 359
Anima hominis, rei summæ æstimationis 290. & seqq.
Item dominæ, vel reginæ 135
Anima nostra, prædæ venantium 317
Anima sancta, sponsę, templo, lecto, throno, columbæ, &c. 295
Anima peccatrix, speluncę latronum, cubili porcorum, &c. ibid.
Item fœditati diaboli ibid.
Item spoliatæ omnibus 221
Anima inculta, mulieri illotę, impexę, incultæ 280
Anima corpore exuta, viduæ Receptoris 319
Animæ iudicium, liti forensi 345
Animæ hostes, hostibus filiorum Israel 106
Item tribus turmis Chaldeorum 106
Animę facultates tres, tribus arcibus 137
Animi moderatio, regiæ potestati 95
Anxiè soliciti, per noctem piscātibus 247
Auari, ventum vel aërem manu vel retibus captantibus 260
Audientes verbum Dei, & non facientes, discentibus opus mechanicum nō admotis manibus 332
Item scholas frequentantibus, & non proficientibus 332
Item ęgroto medicum tantum audienti, nihilque obseruanti 333
Item infundibulo, vasique pertuso 333
Item hominibus, manibus ligatis vel amputatis 333
Aurium custodia, sepi spineæ 182

B.

BEatitudines octo, tesseris salutis 142
Item oleo effuso 146

C.

CAluinistæ, lamiæ, & serpenti Paradisi 24
Calumnia gladio 181
Caro hominis, fœno 260
Item Euæ, Golię, & Nabalo, hosti domestico 107
Item ollę mortiferę 108
Catholici, columbæ & serpenti simul 51
Catholici constantes, granis tritici, spicis plenis, & aceruo 37
Catholici inconstātes, paleę & stipulæ 37
Cautelæ hominum aurę & vento 102
Celsitudo Dei, excelso monti 232
Charitas, carbonibus candentibus 206
Item vindictę excellenti ibid.
Item victorię nobili 207
Christianus, plantę & arbori 84, 86
Item animalculis vtilibus 44
Christiani malè viuentes, vmbrę 23
Christiani, pictoribus imitantibus ad viuum 45, 353, 359
Christi diuinitas, hamo in esca latēti 110
Christi vita, saltibus quibusdam 143
Christi doctrina, cantui auis 142
Christi passio, fasciculo myrrhę 202
Christi Crux, ligno in aquas Marath proiecto 201. & seq.
Christus, pastori 241. & seq.
Item Samaritano Euangelico 48
Christus mediator, Regis filio, se pro reis interponenti 344. & seqq.
Christus crucifixus, libro super pulpito 202
Cęlestis patria, portui 192
Cęlestia non sapientes, insipientibus filiis Israel 264. & seqq.
Cęlestia aspernantes, febricitantibus 265
Cęlum & infernus, igni & aquę 326
Cęlum prę terra negligentes, Esau primogenita vendenti 264
Cœmeterium, scholę 284. & seqq.

Concilia malignantium, nidis diaboli 14.& seqq.
Cōcilium & machinatio hostium Ecclesię, instrumentis bellicis.&c. 23
Concionatores, latranti cani, & ignem mittenti in terram 100
Confessio peccatorum, computui vel ratoni 320.& seqq.
Conscientia, tribunali 304
Conscientia mala, vermi, tormento maximo 306
Conscientia bona, Cælesti Hierusalem 309
Consciētia secura, echino inter canes 107
Conscientię obsoletę, pauimento sordibus obsito 97.& seqq.
Conscientię securitas, lectulo molli & florido 254
Conscientię inquies, lectulo spinis strato 257
Conscientię cruciatus, tormentis omnibus 196
Conscientię examen, supputationi & calculo 318. & seqq.
Conscientię discussio, libellę & trutinę 318
Contendere verbis, suscitationi ignis 186
Contentiosi, fenestris apertis lucem extinguentibus 190
Conuersatio malorum, pici 19
Conuersionis dilatio, morę periculosissimę 336.& seqq.
Item aspidis artificio, & Nili accolis 335
Conuersionis procrastinatio, coruino cātui 337
Conuersionis acceleratio, turturis cantui ibidem.
Conuersionem differentes, in puteo vel luto manentibus 337. & seq.
Cor maleuolorum, nido 22
Corda fidelium, epistolę 56
Corda dura ad credendum, tabulis lapideis ibid.
Cordis & conscientię secretum, libro clauso 236.& seq.
Coronę cęlestes, coronis Romanorū 94
Corporis structura, & caput ipsum, domui 220
Corporis humani fragilitas lagenis Gedeonis 105
Corpus humanum, vasculo rei pretiosissimę aptissimo 292
Crucis signum, flabello 127
Item clypeo 125,128
Item signum Tau, claui 128

D.

DAmnatorum fœditas, hominibus exustis 280
Dentes, organis, vallis, crati 170
Detractio, denigrationi, vestis direptioni 174
Item prospero vento 192,193
Detractio irrita, telo in cautē misso 179
Detractor, flanti in capsulam foraminosam 180
Item in puluerem sufflanti 190. & seq.
Detractoris lingua, viperę, lanceę, &c. 175
Deus, regi maximo, rationem ponenti 320
Diabolus, hosti corporali, in omni stratagemate 109,112
Item crocodilo 110
Item cani catenato 111
Item malis bestiis, omnis generis 28
Item venatoribus 317
Diaboli pręsumtio, superbię Moab 114
Diligens & prouidus, formicę & api 251.& seqq.
Diluuium, incendij extinctioni 92
Disciplinę rigor, pectini acuto 159
Doctrina Christiana, ornatui pręcipuo 49
Doctus suo malo, piscatori icto 36
Qui Dominatur animo, debellatori vrbium 94

E.

EBrietas, insanię voluntarię 214
Ebrietas, blando dęmoni ibid.
Item tempestati, & gurgiti 315
Ebriosus, se in tartara ouando sidenti 214.216
Ecclesia, Arce Noe 50
Eleemosyna, ignis extinctioni 92
Item diluuio 93
Eleemosyna viuorum, faci pręluminanti 93
Exemplum malum, lapidi offensionis 17
Item gladio Saulis 16

F.

FAcies seuera, Aquiloni 180
Familię curam habentes, gallo gallinaceo 246
Fidelium corda. epistolę 56
Fides, ianuę cęli, lumini, & tesserę 50
Forma vel ornatu aliis insidians, venenum porrigenti 281
Formę venustas, flori caduco 278
Formę operam dantes, laruatis, spectris 281

G.

Gloria mundi, rori, fœno, stipulæ, baccatisque laqueis 258. & seqq.
Gloria inanis, stercori & vermi 262
Glorię cupidus, Dianę templum incendenti 263
Glorians in malo, Rhodopę scorto 163
Gratia Dei, forti auxiliatori 116
Item, muro inexpugnabili 116
Gratię dona, talentis &c. 318.& seqq.
Gulosi, filiis Israel, ollas carnium appetentibus 229

H.

HAeresis, pesti 18,20
Item herbę scelaratę 263
Hęretici, lupis rapacibus 18,34
Item viperę 24
Item Eliu, amico Iob ibid.
Item monstris omnis generis 26
Item vappę 27
Item membro abscisso ibid.
Item oui scabiosę ibid.
Item ruinis Ecclesię ibid.
Item dęmoni 30
Item diabolo in angelũ lucis se transfiguranti 38.& seqq.
Item mendaci & fallaci 38
Item Cretensibus semper mendacibus 37
Item impostoribus 36,42
Item magis, maleficis, veridicis mendacibus 41
Hęreticorum guttur, sepulchro patenti 18.& seqq.
Hęreticorum sermo, cancro 19
Hęreticorum doctrina, veneno aspidis 18.& seq.
Item toxico, calculo 42
Hęreticorum blanditia & laxa doctrina, puluinaribus 35
Item aucupibus, laqueis, decipulis 35
Hęreticorum excęcatio, tenebris Aegyptiis, Cimmeriis, nocti, tenebris Inferni 41
Hęreticorum iactantia, gallinarum clamori 24
Hęreticorum conuenticula, speluncis latronum ibid.
Hęreticus & Diabolus, auibus concoloribus, vt coruis 34
Item duobus equis currum trahentibus 34
Homines, ouibus 241.& seq.
Homo, auibus, liliis, fœno, &c. 245
Item pulueri 190,299
Item vitro 299
Item villico, receptori, dispensatori, œconomo 318
Homo vanus, fumo 259
Item simulachro 234
Item calamo & arundini 23
Homo in vestitu superbiẽs, fasciculo fœni ornato 261
Homo lapsus, pullo è nido lapso 142. & seq.
Homines inculti, lapidibus informibus 49
Hostes animę, hostibus filiorũ Israel 106
Item tribus turmis Chaldæorum ibid.
Hostium Ecclesiæ potestas, portis Inferi 23
Humana fragilitas, vasi figuli, luto 285
Item infirmitati mœnium 109.& seq.
Humiles, paruulis 4
Humilis & superbus, duobus aurigis 233
Hypocrisis, vestimento ouium 18

I.

IESVS Christus, fructui benedicto 53
Indulgentia parentum, immolationi Moloch 156
Ineruditus, mancipio 151
Infernus, nido 19,22
Infirmitas humana, imbecillitati mœnium 109
Intellectus, spiritui, lumini 138
Inuidia, rubigini, igni pestilenti, carnificinæ 204
Item perniciosissimo animali 204
Item armis diaboli 205
Item serræ animæ ibid.
Inuidus, sibi primùm nocenti 204
Ite maledicti, voci tonitrui 322.& seq.
Iudicantes de concionibus, cęcis de coloribus 334
Iudices & æstimatores stulti, à scopo aberrantibus 290
Iudicium mundi, cæco ferienti 290
Iudicium verum, lapidi Lydio 235
Iudicium animæ, liti forensi 344
Iudicis seueritas, leoni rugienti 323
Item bilanci & libellæ 318
Iustitia & virtutes, viæ ad regnum cælorum 246
Iuuentus, semini & herbæ 157

L.

LAbra, valuis, pontibus ductilibus 170
Laudati in peccatis, auibus dulci cantu in decipulam illectis 343
Lex naturæ, arbori naturali 86
Item tabellis, pugillaribus 58.& seq.
Lex Moysi, stipiti cum serpente ęneo 86
Lex gratiæ, Cruci Christi ibid.

Lingua, inſtrumento ad omnia accommodo 168
Item igni modico, magnum incẽdium ſuſcitanti 170
Lingua mala, rotæ incenſæ 167,170
Item gladio acuto 171
Linguæ detractio, comeſtioni 183
Linguæ neglectus, trucidanti vigiles vrbis 226
Linguæ moderatio, frænis & loris 168. & ſeqq.
Item clauo nauis, &c. 170
Loquaces inobedientes, illi cui aures in linguam defluxerunt 334

M.

MAledicentia, incendio 177
Item Sirenum cantui 182
Malè moratus, Therſiti, Aeſopo, Mopſo 279
Malè viuentes, pomo putrido 17
Malorum ſocietas, carbonario 19
B. MARIA mater Dei, ſtellæ maris 53. & ſeq.
B. MARIAE in nos propenſio, phialæ plenæ 54
Matrum indulgentia, laqueo 158
Meditatio, diſtillationi 328
Memoria, archiuo & theſauro 136,138
Mendacium, mucroni 164
Mendax, ſerpenti mentienti 166
Mens ſecura, iugi conuiuio 309
Merita operum, theſauro ingenti 230
Meritorum raritas, paruo codicillo 319
Moleſtia à proximo illata, caudæ vulpinę 197
Mori timentes, ſibi malè conſcii; gallinis & porcis, dum iugulus petitur 305
Mori anxiè timentes, furibus è carcere ad crucem ductis 305
Moriens libenter, viuo ingredienti ſepulchrum 311
Moriens inuitus, vitulo vel oui ad lanienam tractæ 314
Mors, vltimæ lineæ 344
Item portæ carceris 344
Item inſidiatori 309
Mors ſanctorum, portæ cæli 309
Mortales morientes, aquæ labenti in terram 298
Mortem non præuidens, viatori terminum viæ non præcogitanti 300
Morte inopinata præoccupati, boui ad victimam ducto 343
Item auibus laqueo improuiſo correptis 343
Mortis memoria, lectioni quotidianę 286
Item philoſophiæ 287
Mortis incertitudo, furi 301
Mulier pulchra & fatua, ſui, cum circulo aureo in naribus 279
Mundanorum vanitas, ſomnio 272
Mundi vanitas, inanibus inſtrumentis muſicalibus 235,272
Item ſomnianti & cani Aeſopico 272
Item circumforaneis, nugiuẽdulis 268
Item Goliæ 270
Item ſortilegio inani, vbi nihil omnia 270
Mundi fallacia, vulpinæ pelli 109
Mundi violentia, pelli leoninæ ibid.
Mundi inanitas, bullæ ex concha ſufflatæ 271
Mundi voluptates & honores, vmbræ, nuncio, carinæ, aui volanti, ſagittę ibid.
Item cõpedibus, laqueis inauratis 262
Item morti in olla 265
Mundi voluptatibus captus, boui ad victimam ducto 262
Mundi voluptatibus dediti, ſuibus 266
Mundi deliciis capti, inebriatis 266
Mundi illecebræ, decipulis, muſcipulis, pedicis, retibus 262
Item hamis aureis 268
Mundi amatores, Ammanno ibid.
Mundi fallacia, arridenti, inſilianti ibid.
Mundi gaudia, vino bono primùm poſito 266
Mundi triſtis exitus, vino deteriori poſtea propinato ibid.
Mundi faſtus, monti parturienti 270
Mundi amaritudinibus gaudentes, piſcibus maris 265
Mundi curſus, diei vni 254
Mundi ventoſa gloria, bracteæ ſplendenti & ſonanti 258
Item rori, fœno, ſtipulæ, baccatiſque laqueis 258.& ſeqq.
Mundi finis, veſperæ 254.& ſeq.
Mundus hic, carceri magno 344
Mundus, Ioabo Amaſam ſubdolè necanti 108
Item Iudæ proditori 108
Item ſtultæ mulieri 145
Item mari magno 192,269
Mundus totus, puncto 260
Mũdus apud Sãctos, ſuſpẽſo in cruce 273
Mundus ad finem tendens, ruenti domui 330
Mundus inueteratus, ſeni decrepito 330
Mundus peccatis grauatus, ſchaphę chartaceæ arcem vehenti per mare 331

Mundus

Mundus præ peccatorum mole non corruens, misericordia Dei sustentatus; domui fulcris admotis innixæ 331

N.

NAturæ procliuitas, fluxui fluminis 192. & seq.
Nouissima quatuor, caudæ, clauo, &c. 341
Item quatuor plagis mundi, quatuor rotis 342
Nouissima non præmeditans, iaculatori malè collimanti 300
Nouissimorum recordatio, caudæ equinæ, &c. 341
Itē auis caudæ, clauo nauis, teli alis 341
Item currui commodo ad patriam cælestem vehenti 346. & seq.
Itē tintinnabulis vestimēti Aaron 341

O.

OBedientiæ promtitudo, calceamentis 148 & seq.
Obtrectatores, canibus adlatrantibus 103
Occęcati in propriis defectibus, talpę 176
Occupati, volis molarum, in quibus non nidificant aues 250
Oculi, fenestris 218
Item speculatoribus 219
Oculorum custodia, collyrio 222
Item pharmacis præstantibus ibid.
Ora litigantium, fenestris patulis 190
Oratio breuis, gladio, vel missili telo 126
Oratio cum ieiunio & eleemosina, cordi alato 90
Oratio dominica, pani 53
Oris incuria, portas hostibus pādenti 226
Os, ostio domus 227
Item portæ ciuitatis 226
Otiosi, puluinari diaboli 251
Otiosi, crapulæ dediti, &c. diaboli instrumentis 250
Otium, sterilitati 253

P.

PAtientia, virtuti miraculorum 200
Item martyrio ibid.
Patientiam non exercentes, non vtentibus toga in hieme 201
Peccata, maceriæ, & muro inter Deum & nos 82
Item vulneribus, morbis & egestati omnium 60, 61
Item vesti detritæ 64
Item pelli serpentis rugosæ 64
Item cani & angui simul 67
Item monstro ibid.
Item damno maximo 294
Item talento plumbi 310, 330
Peccatum veniale, puluisculis 66
Peccata capitalia, septem nationibus, filios Israel impedientibus, ab ingressu terræ promissæ 74
Peccator, stulto 10
Item equo diaboli 14
Item homini collapso, & sui impoti 47
Item Aethiopi, pardo, camelo 65
Item sterili arbori 67
Item mulieri parienti mortem ibid.
Item arbori aridæ 64
Peccator securus, obdormiscenti in via 340
Peccator perseuerans, triumphanti in malis 296
Peccatorū grauiū enormitas clamori 80
Peccati molestia, omnibus mundi impedimentis 97
Peccatorum sordes, corporalibus immundiciis 134
Peccatorum temeritas, Gygis annulo 69
Peccatorum series, prosapiæ malæ 74
Peccatorum congeries, ingenti volumini debitorum 319
Peccati lapsus, lapsui in lutum 338
In peccatis laudati, auibus dulci cantu in decipulam illectis 343
Peccati damnū nō ęstimantes, pueris 294
Peccati enormitas, diaboli inferniq; horrori 295
Peccatorum pericula, laqueis vbiq; sparsis 261
Peccati pericula, periculis ignis & aquæ 67. & seqq.
Peccati principia cauentes, principio morbi obstantibus 336
Peccati fuga, fugæ colubri 337
Peccatrix, pelago, lebeti 65
Persecutores, salutis promotoribus 192
Phantasia, aulæ vel atrio 136
Philosophia, distillationi 328
Pietas in parentes, ciconię cōditioni 152
Pigri, asino 252
Pœnitens scolopendræ 207
Pudor, fræno à vitiis coërcenti 150
Pueri, tabulæ rasæ 149
Pueri mali, malis surculis 157
Pulchritudo, flori, fœno, deceptioni tacitę 278
Item sepulchro dealbato 279

Q.

Quatuor nouissima, variis 340. & 346.

R.

REgnum Dei sine iustitia quærentes, domum neglecto ostio ingredi cupientibus 248
Resipiscentia, statuæ salis 223

Risus

Risus & gaudiũ, errori & deceptioni 256

S.

SAcramenta, pharmacis 48
Item prætio inæstimabili 60
Item remediis, fonti 60
Salutatio Angelica, fauo mellis 53
Sapiens, pulcherrimo animali 49
Sapientes, ori Domini 2
Sapientia, merci incomparabili 6,7,8
Scientia inflati, vasi musto pleno 24
Sensus quinque, piscinę quinque porticuum 130
Item portis ciuitatis, & Satrapis Philistinorum ibid.
Item quinque Regibus Iosue 131
Septem Sacramenta, septem cornibus Agni, & septem tubis 75
Septem peccata capitalia, septem cornibus draconis, & septem dęmonibus 75
Sepulchri ossa, libris, pręceptoribus 286
Serò salutem curantes, Phrygibus 302
Seruitus Christi, iugo 14
Spes, anchorę 52
Spes impij, lanugini, spumę, fumo 271. & seq.
Spiritualia fastidientes, suibus in volutabro 265
Spiritus sancti dona apungiæ 76
Stultus, lunæ 10
Superbiens, testæ obloquenti figulo 285
Superbi, fœno 259.& seq.
Item dęmoni 231
Symbolum, tesserę militari 50

T.

TAcere nescientes, vasi sine operculo 178
Taciturnitas, libro clauso 149
Tentatio peccati, litteris proditoriis 112
Tentationes, latrunculis 136,137
Item furibus 221
Tentationis incursus, serpentis inuasioni 337
Terrę amatores, sociis Vlyssis lotum gustantibus 264
Timentes Deum, cum Deo ambulantibus 247
Timor Domini & reliquę virtutes, excubiis 227.& seqq.
Timor seruilis, acui vel setę 2
Tribulatio, auro, gemmis, & vnionibus 192
Item vento secundo 192
Item fornaci figuli 201

V.

VAnitas mundi, inanibus instrumentis musicalibus 235,272
Venter, principi coquorum 227
Verbum Dei audientes & non facientes, discentibus opus mechanicum, non admotis manibus 332.& seqq.
Item scholas frequentantibus, nilque proficientibus 332.& seqq.
Item ęgroto medicum tãtùm audienti nilque seruanti 333
Item infundibulo vasique pertuso 333
Item hominibus manibus ligatis, vel amputatis ibid.
Verbum Dei facientes, horologio benè sonanti, & horas indicanti 334
Vindicans se, seipsum vulneranti 197
Vindictę cupiditas, viperę 197
Item apibus aculeo pungentibus 198
Item statuam flagellanti, & ab illa oppresso 198
Item contra mulam recalcitranti 199
Item Dioxippo se occidenti 198
Vinum, colubro mordenti 215
Virga castigatoria, virgę Moysis 155
Virtutes, vię ad regnum cęlorum 246. & seqq.
Item armaturę 115.276
Item mercibus in naufragio adhęrentibus 277
Item ornatui pręcellentissimo 279
Virtutes Theologicę, tribus virginibus 47
Item portis ędificij spiritualis 50
Virtutes & scientię, nuci, & monti 85
Virtutes & eloquia Dei, melli & fauo 84. & seq.
Virtutes & gratię, vasis pretiosis 221
Virtutes sine humilitate congregans, pulueres in vento colligenti 232
Virtuti insistens, equo generoso 103
Item mulieri tollenti oua è nido 103
Virtutum exercitatio, vię 96
Virtutum vitiorumq; semitę biuio Herculis 143
Vita mortalis, vapori 158.& seq.
Vita cuiusque, hortulo 176
Vita humana, litterę Pythagorę Y 64
Item nauigationi 53,54
Item militię super terram 106
Vita sancta, vię arctæ 64
Vita laxa, viæ latæ ibid.
Item equo effreni 343
Vita bonorum & malorum diuersa, diuersis viis 345
Vita malorum, viæ difficili 346

Vita

Vita peruersa, viæ retrogradæ 13
Vita bona, orbitæ rectæ 353,359,373, & seq.
Viæ sanctæ labor, viæ asperæ sed breui 326.& seq.
Vita voluptuosa, viæ iucundæ, & breui; sed,&c. 327
Vitæ spatium, diei vni 264
Vitæ vitium, errori viæ 162
Vitæ cursus, nauigio 192
Vitæ extremum, calcaneo 54,310
Item vesperæ 254.& seqq.
Vitia, malis herbis 176
Viuentes sine cura salutis, porcis 301
Voluntas, malleo fabrorum maximo 140
Voluptates, Sirenibus & syrtibus,&c. 54
Voluptatibus deditiſ, suibus 144,265
Voluptatibus nuncium remittentes, corallio 267
Voluptuosi, locis humidioribus, paludibus 23
Vox Domini, ITE MALEDICTI, tonitruo 322. & seqq.
Vox Domini, VENI ET VIDE, tonitruo 323
Vox ad iudicium vocantis, tubæ horrisonæ 342

Z.

ZElus, igni & ardori 89
Zoilus, cani 180



CENTVM ORATIONES VERIDICI.

1. Pro timore Domini, & sapientia obtinenda fol. 5
2. Ad prudenter probeq; viuendum 9
3. Contra peccati stultitiam 13
4. Ad amoliendam dæmonis seruitutem 15
5. Pro fuga mali consortij 17
6. Ad hæreticam pestem euitandam 21
7. Contra concilium impiorum 25
8. Pro fidei Catholicæ constantia 27
9. Contra complacentiæ tentationem 29
10. Pro Regni cælestis possessione 33
11. Pro animarum tuitione 35
12. Contra spiritum erroris ac mendacij 37
13. Contra simulationis vafriciem 39
14. Contra mendacium & dolum 43
15. Pro Christianismo benè seruando 45
16. Pro doctrinæ Christianæ progressu 47
17. Pro augmento Religionis 49
18. Pro Fidei stabilitate & perfectione 51
19. Ad habendam Spei firmitatem 55
20. Pro Charitate augenda 59
21. Oratio, cum gratiarum actione, pro munere Sacramentorum 61
22. Ad sanctis Sacramentis benè vtendum 63
23. Ad bonæ vitæ studium sectandum 65
24. Pro peccatorum fuga 69
25. Contra Superbiæ Ambitionisq; vitium 73
26. Contra septem peccata Capitalia 75
27. Pro Spiritus sancti gratia obtinenda 77
28. Contra peccata aliena 79
29. Contra 4. peccata in cælum clamantia 81
30 Ad auertendam Dei iram 83
31. Ad impetrandam virtutum actionem 85
32. Pro vera dilectione impetranda 89
33. Pro operum misericordiæ exercitio 91
34. Pro dono Eleemosynæ impetrando 93
35. Ad affectus animi domandos 95
36. Ad vtiliter Verbum Dei audiendum, Confitendũ, & Communicandum 101

37. *Pro constantia in virtutibus seruanda* 105
38. *Contra tres Animæ nostræ inimicos* 113
39. *Pro adiutorio in militia spirituali* 117
40. *Ad Angelum nostrum custodem* 125
41. *In omni anxietate & periculo* 129
42. *Pro bona quinque Sensuum directione* 135
43. *Pro recto trium Potentiarum Animæ vsu* 141
44. *Pro octo Beatitudinum fructu obtinendo* 143
45. *Ad stultum Mundi iudicium contemnendum* 147
46. *Pro Iuuenibus, ad pudoris custodiam* 151
47. *Ad debitum Parentibus honorem præstandum* 153
48. *Oratio parentum, pro filiorum salute* 157
49. *Pro parentibus & filiis* 159
50. *Pro iis, qui nos ad meliora cohortantur* 163
51. *Oratio contra Mendacium* 167
52. *Contra linguæ virulentiam* 173
53. *Contra Detractionem* 177
54. *Ad impediendam Detractionem* 181
55. *Ne aures detractori præbeantur* 185
56. *Contra dissidia & contentiones* 189
57. *Pro patientia iniuriarum* 191
58. *Pro patientia in tribulationibus, &c.* 195
59. *Pro mansuetudine & tolerantia* 199
60. *Pro impetranda Patientiæ virtute* 203
61. *Oratio contra Inuidiam* 205
62. *Contra Vindictæ cupiditatem* 207
63. *Ad bonum pro malo rependendum* 209
64. *Vt inimici amici fiant* 213
65. *Contra Ebrietatis voraginem* 217
66. *Pro oculorum custodia* 225
67. *Pro diligenti oris custodia* 229
68. *Ad obtinendam Humilitatem* 233
69. *Ad humiliter de se sentiendum* 239
70. *Oratio in Aduersitate* 243
71. *Contra diffidentiam de Dei benignitate* 249
72. *Contra otiositatem & pigritiam* 253
73. *Oratio Vespertina, ante quietem* 254
74. *Oratio pro quiete Conscientiæ* 257
75. *Contra Mundi vanitatem* 263
76. *Contra gustum mundanarum rerum* 267
77. *Contra Mundi fraudulentiam* 269
78. *Contra Mundi vanitatem* 273

79. *Ad ornatum Animæ acquirendum* 277
80. *Vt Animæ pulchritudo impetretur* 283
81. *Pro contemtu carnis corruptibilis* 285
82. *Ad benè discendum mori* 289
83. *Pro lucro & salute Animarum* 293
84. *Contra peccati perniciem & damnum* 297
85. *Pro felici Mortis hora* 299
86. *Ad prouidè viuendum* 301
87. *Pro bona ad mortem præparatione* 303
88. *Contra vanum mortis metum* 307
89. *Ad securè ex hac vita discedendum* 311
90. *Ad Regnum cælorum obtinendum* 313
91. *Oratio contra Inferni terrorem* 315
92. *Ad verbum vocationemq́ Dei audiendam* 317
93. *Ad reddendam Deo bonam rationem* 321
94. *Vt mitem in Iudicio sententiam audiamus* 323
95. *Pro salutari Æternitatis Memoria* 327
96. *Ad peccati horrorem & detestationem* 331
97. *Pro peccatorum conuersione* 335
98. *Contra dilationem conuersionis* 339
99. *Oratio ad vitanda peccata* 341
100. *Ad benè viuendum & moriendum* 347
Oratio totum concludens VERIDICVM. 349



APPROBATIO.

CVM VERIDICVS iſte CHRISTIANVS nihil contineat quod Orthodoxæ fidei repugnet, quódve pias aures offendat; quin potiùs, & quæ religionis ſunt noſtræ adſtruat, & mores Chriſtianos inſtituat, mundique contemtum edocendo cælum aſſerat: meritò illum, vnà cum ſubiuncta PROBITATIS ORBITA, in lucem emittendum, magnoque cum fructu omnium manibus terendum cenſeo. Quod atteſtor hac 22. Septembris anni M. DC.

Ioannes van Dale ſacr. Theol. Licentiatus, Archipresbiter Gandauenſis, in Epiſcopatu Gandauenſi librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE *Infantis Hiſpaniæ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum eſt, nequis librum, cui titulus eſt*, VERIDICVS CHRISTIANVS, auctore P. Ioanne Dauid Sacerdote Societatis IESV, *præter voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, intra ſexennium imprimat, aut alibi impreſſum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, conſiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ*, VI. *Nouembris*, M. DC.

Signat.

N. Lombaerts.



